Ann. in: Haller, meth. st. med. t. 2 p. 959–960

Hippocrates

III De decenti habitu.

h. Kaus

TRACTATVS DE PHILOSOPHIA MEDICI,

SIVE

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΚΩΟΥ ΠΕΡΙ ΕΥΣΧΗΜΟΣΥΝΗΣ, HIPPOCRATIS COI LIBER DE HONESTATE:

QVEM RECENSVIT, INTERPRETATIONE LATINA, NOTISQVE PERPETVIS, ET COMMENTARIO ILLVSTRAVIT, ITEMQVE

PROLEGOMENA

DE STATV ANTIQVAE PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE GRAECANICAE ETC. PRAEMISIT,

ET, EX COMMVNICATIONE V. EXP.

HENR. CHRISTIANI CRVGERI,

MED. D. ET PHYS. LVNEBVRG.

ADHVC INEDITA GRAECA

SCHOLIA ET GNOMAS

MS. BIBLIOTHECAE REG. PARIS.

HVIVSQVE ET EDIT. ALD. VENET. 1526,

VARIETATEM LECTIONIS

ATQVE IPSIVS LAVDATI VIRI

ANIMADVERSIONES

IN EVNDEM LIBRVM

ADIVNXIT

GEORGIVS MATTHIAE

BIBLIOTH. BVLOV. CVSTOS.

ADIECTA EST COMMENTATIO

ΠΕΡΙ ΧΡΕΟΥΣ ΑΔΙΔΑΚΤΟΥ,

EODEM AVCTORE.

GOTTINGAE,

TYPIS ABRAMI VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR. ET BIBLIOPOL. CIƆIƆCCXL

– 1740.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

RVDOLPHO IOHANNI
L. B. DE WRISBERG,

DYNASTAE IN WRISBERHOLTZEN, BRVNCKENSEN, WESTLEMB, ARMENSVEL, SELLENSTEDT, ETC. AVG. AC POT. M. BRIT. REGIS ET DVCIS ELECTORIS BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM A CONSILIIS INTIMIS, ET SVPREMI, QVOD CELLIS EST, APPELLATIONVM TRIBVNALIS PRAESIDI,

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO:

ITEMQVE

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

GERLACO ADOLPHO
L. B. DE MVNCHHAVSEN,

DYNASTAE IN STRAVSFVRTH, ETC. AVG. AC POT. M. BRIT. REGIS ET DVCIS ELECTORIS BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM A CONSILIIS INTIMIS, ET MAGNO PER CELLENSEM DVCATVM ADVOCATO,

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO,

DEVOTISSIMVM OBSEQVIVM DICIT

AVCTOR.

ILLVSTRISSIMI ET GRATIOSISSIMI
DOMINI!

Quum literarum, & maxime librorum conscribendorum colligendorumque memoriam inde ab origine per succedentes temporum vices repeto, praecipua quadam admiratione dignum mihi videtur, quod multi illustres & belli & pacis artibus heroës libros quoque in pretio habuerunt, eorumque thesauros singulari studio condere sibi in laude posuerunt. Notiora plurimorum in hoc genere sunt nomina, quam vt hic referri debeant. Simul hoc etiam animaduerto, quo maiora, rebus praeclare gestis, regna atque respublicae ceperint incrementa, quoque plus opum ac gloriae gentes consecutae sint, eo fere magis in Principibus Proceribusque exarsiße amorem literarum & instruendarum Bibliothecarum studium: vt factorum nobilitas & fauor ingeniorum pari passu processerint, vna steterint, vna ceciderint. Itaque magni signum esse animi videtur praestantisque virtutis, amare bonas literas, earundem conquirere monumenta, dignâ collocare sede, sibique commendata habere. Atque ipsa profecto bonorum scriptorum natura & conditio tali cura non indigna est. Sunt enim expressae quasi praestantium ingeniorum imagines, animorum cogitationumque simulacra, doctrinae sapientiaeque documenta, vtilium praeceptorum tabulae, illustrium exemplorum monumenta; denique, quicquid in rebus humanis praeclarum, vtile, iucundum est, eius memoriam conseruant atque reuocant: quae quidem omnia tanto magis valent, quanto magis libri virtutibus scribendi eminent. An mirum igitur, si animus, potior hominis pars, aliorum animorum vel ingeniorum quasi exuuias colit, eorumque societatem inire gestit? si in concilio magnarum animarum versari affectat, optimorumque consultorum admonitionibus frui? & praesertim quum earum, quae ad vitam corporis huiusque vi-

ctum

ctum & cultum pertinent, rerum curis fatigata mens est, libenter in Bibliothecam ad ingeniorum commercia secedit. Huius erga literas & libros voluntatis illustria in Vobis, DOMINI GRATIOSISSIMI, *veneror atque suspicio exempla. De Bibliotheca, quam Illustrissimus* WRISBERGIVS *condidit, celebris fama est: &, quum aliquando Bulouianam suae praesentia personae illustriorem faceret, vidi, quam cupide libros arriperet, audiui, quam perite de iisdem disputaret; qua re cum in admirationem tanti studii tractus sum, tum aliquam pro me quoque talis fauoris fiduciam concepi. Nec minus notum est, quantum* MVNCHHVSIO *Maecenate Bibliotheca Georgiae Augustae Publica subinde magis magisque exsplendescat. Vestrum igitur,* DOMINI, *beneuolum de libris iudicium mihi addidit animum, vt hoc, quodcunque est, opusculi, saltim Hippocratis, summi in omnem partem viri, auctoritate, & argumenti praestantiâ commendabile, vobis aspiciendum aestimandumque Dare, Dicare, atque Consecrare audeam: quandoquidem maiora aut vtiliora conari adhuc fortuna prohibet. Respicite ergo,* MAECENATES, *benigno, quaeso, vultu hunc libellum, in Publica Academiae Patriae Bibliotheca, aliqua ex parte natum; eiusque auctorem, vestrum iam veterem clientem, quem iam olim ea vultus serenitate sermonisque gratia recreastis, qua diuinioris indolis Proceres solent ad tenues humilesque se demittere: Ipsum quidem opusculum non ex sua praestantia, sed pro conatu & conditione scribentis aestimate. Valete,* DOMINI, *& in publica priuataque commoda diu bene agite!*

ILLVSTRISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Dab. in Georgia Augusta
d. 6 Maii, cIↃ IↃ CC XL.

DEVOTISSIMVS CLIENS
GEORGIVS MATTHIAE.



PRAEFATIO.

ANTEQVAM quae nunc edo, legenda tradam, si cui forte haec legere allibuerit, rationem aliquam instituti video mihi esse reddendam, quam in scribendo secutus sum. Et ad ipsum quidem scribendi ordinem distributionemque partium quod attinet, qua res tractandas in Prolegomena, tractationem libri Philologicam, Commentarium, & Epilegomena distinxi, de ea methodo, quidque in singulis praestandum mihi putauerim, quum caussae rationesque sint cum aliis scriptoribus communes, multique multa de iis rebus dicere in Praefationibus consueuerint, nihil afferam, consultius existimans fore, si σύνοψιν subiiciam; sed aliqua, quae propius meam caussam tangunt, nunc praemonebo. Igitur, quum constituissem, in illud de Philosophiae ad Medicinalem artem ratione atque habitu argumentum inquirere diligentius; vnaque viderem, Hippocratis quodam in libro de eadem re iam nonnihil dictum esse: optimum iudicaui, hunc potissimum in eo tractatu ducem ad cogitandum sumere, qui & vtriusque, cum Philosophiae tum Medicinae, rationes haberet perspectas; & ipso rerum vsu subactus esset; nec hypothesium studio ductus, errorem communicaret; & morum probitate ac perspicaciae sapientiaeque laude, promeritam inde ab antiquissimis vsque temporibus auctoritatem consecutus esset; eum denique, qui Medicis tantum non sacri scriptoris loco foret. Quem postquam, solo veritatis cognoscendae consilio, euoluissem, quum deinde adhibiti interpretes & commentatores, cum censori-

bus

bus correctoribusque, nec satis clare sententiam libri proposuisse viderentur; nec veris rerum argumentis explicationes interpretationesque suas confirmasse; tum, mirifice a sese inuicem discrepare, multoque adhuc magis a meo iudicio; adeoque parum afferre, quod ad liquidum & certum sibique per omnia consentientem libri sensum intelligendum conduceret: statui nouas in hoc genere suscipere curas, & quae ad pleniorem certioremque, cum auctoris tum argumenti intellectum necessaria iudicaueram, omnia comportare subsidia; quae nunc expromta comparent. Atque eo quidem audacius in lucem prodeo, quod alii etiam ipsa praestita opera consilium meum studiumque adiuuarunt. Vnde factum est, vt & Celeb. GESNERVS de nonnullis emendationibus atque interpretationibus monuerit, quae etiam permisit, vt sui nominis praescriptione euulgarentur; qui Vir tot iam & tantis suis meum animum impleuit meritis, vt hoc solum mihi restet officium publica simplicique professione significandi, quid ipsi debeam: Et Exper. CRVGERVS sua, quae ad ornandum illustrandumque libellum iam triginta circiter ante annis collegerat atque congesserat, omnia mihi, de nomine tantum sibi cognito, liberalissime transmiserit, simul relicta liberrima potestate, iis ab meum arbitrium libitumque vtendi fruendi. Optabile quidem fuerat, vt ipse Vir Excellentissimus omnem explicandi edendique praesentis libelli laborem sibi demandari passus esset, vt qui optime ab iis rebus instructus sit, quae ad talem operam requiruntur. Nam postquam inde ab anno huius saeculi sexto, in celeberrimis Germaniae Academiis, Iulia, & vtrâque Salana, praestantissimis in omni cum humaniorum tum grauiorum artium ac literarum genere doctoribus esset vsus, *Bötticheris*, *Gakenholziis*, *Meibomiis*, *Wedeliis*, *Slevogtiis*, *Fickiis*, *Hambergeris*, *Richardis*, *Stolliis*, *Stahliis*, *Albertis*, *Wolfiis*; non contentus eruditione indigena, peregre quoque ad scientiarum mercatum abiit, & summorum Virorum, in Batauis quidem *Boerhaauiorum* *Ruyschiorumque*, Parisiis vero *Duuerneyorum* ac *Petitorum*, doctrina & familiaritate gauisus est, opesque collegit, quibus deinde patriam ornaret. Agnouit etiam in reduce ciue suo virtutem & sapientiam patria: talem enim cognitum Hala dignum iudicauit, quem supremis exercendae Medicinae auctoramentis condecoraret; vrbs autem natalis, cui curandos aegros & vni-

niuersam pro salute ciuitatis excubandi prouinciam, Physicatum appellant, concrederet. Verum enim vero huius Clinicae Praxeos occupationes totum fortassis Viri Hippocraticum ferculum nobis surripuissent, nisi nunc alii mandasset eius apponendi officium. Qua in re duo tamen praeter voluntatem meam acciderunt: alterum, quod serius illorum copiam nactus fui, quam vt opportunis locis inseri potuerint, sed in fine demum mei laboris subnecti; alterum, quod per rationes typographi eiusdemque bibliopolae non licuerit omnia Exper. CRVGERI annotata nunc simul excudere, sicut pro ipsorum dignitate oportuerat. Quae autem hic emittuntur, eorum gratia, quam ipsi equidem sane magnam habeo, omnis debetur Viro huic Excellentissimo: nae ille exemplum *Gratiosi Medici!* Caeterum cum horum Virorum tum aliorum auctorum librorumue luminibus aut adminiculis vbi vsus sum, nusquam, quod sciam, celaui: nisi forte hoc fuerit plagium, sicubi quid aut ex vetusta lectione vel auditione memoria haeserit, nescio, vnde primum acceptum sit; aut idem aliis quoque ante nos in mentem venerit: cuius vtriusque generis plurima quotidie nemini non occurrere solent. Nec Nouitatis siue laudem siue criminationem commeruisse videor: in ea enim sum sententia, fere vtiliora esse, quae non noua sint. Quanquam tamen hic fortassis quoque inerunt aliis indicta aliqua: mihi certe nunc primum haec omnia dicta scriptaque sunt. Quod saepius placita, dicta, & facta auctorum sapientumque veterum in meliorem sententiam interpretatus sum, quam ab aliis vulgo fieri solet: si propterea excusatione opus foret, esset ea vero magna calamitas. Similiter, vbi ab aliorum opinionibus aut explicationibus auctorum dissensi, plerumque tamen nomina contra sentientium non addidi, mea solum argumenta proposuisse contentus. Neque propter doctrinam atque praecepta hic exposita memet accusari posse puto, si cui haec displicuerint: quum enim Hippocratis hic tantummodo interpretem agam, ad hunc proprie ea caussa veritatis pertinet, ad me vero fidei perspicientiaeque in interpretando. Potuerant quidem vtique multo plura in textus sententiam proferri, quum hic non minus ac in caeteris scriptis, foecundus & grauis sensibus in breuitate sit Hippocrates: sed partim potiora modo debere dici visa sunt, partim nec officina Typographi plura intra hoc temporis spacium expri-

men-

primenda recipiebat; vt, quod non maiore volumine lectorem onerauerim, gratia referenda sit Typographo: nam & eâdem officinae difficultate factum est, vt complura, quae alias editioni destinaram, resecuerim. Tamen quaedam fortassis superflua videbuntur: quae quidem mihi, nouo scriptori, vt cum caeteris erroribus aut peccatis condonentur, peto; praesertim quum nonnunquam mentis quoque impetus stilum rapiat, & sibi aliquid dari postulet. Sic etiam in adumbratione Philosophiae Graecanicae (quam tamen ipsam compendii caussa separatim proponere & continuo contexere filo, consultum duxi, ne scilicet deinde in Commentario necesse foret eadem saepius repetere, sed tantum remitti posset) in hac igitur delineatione quaedam erunt, quae ad libellum illustrandum parum faciant, verum eiusmodi, vt a connexa Philosophiae, quae describitur, declaratione abesse non posse videantur. Porro, in Graecis auctorum producendis sententiis testimoniisue, tantum aliqua, nimirum quae maxime ad probationem facere visa sunt, vtrâque lingua expressi, reliquis aut Graece solum aut Latine propositis. Hoc quoque monendum puto, me populari quodam & velut publico orationis genere vsum esse, hoc est, vocabulis artium aut scientiarum propriis, technica appellant, fere abstinuisse, & rerum potius ipsas notiones explicasse, quae istis vocabulis significentur: Qui rerum intellectum habent, facile propria rebus imposita nomina recordabuntur, si sciuerint; vt sciant, non arbitror ab omnibus postulari iure posse. Quod aliquot libellum περὶ εὐσχημοσύνης particulis truncatum dederam, id eo consilio erat factum, quod ea tantum constitueram afferre, quae ad Philosophiae praecepta, horumque in obeundis medendi muneribus vsum propius spectabant, praetermissis quae ad ipsam artem pertinebant. Quae subiecta est *Dissertatio de Vsu doceri nescio*, (primum honoribus Amici, C. P. GESNERI, destinata illa quidem gratulatio) liberiore quodam modo stiloque scripta, vel propterea commode attexi videbatur, quod plurima in ea latius vberiusque tractata sunt, quae si huc reiecta essent, in Commentariis breuiorem esse liceret. Id quod etiam de interiecta *Disputatione de Termino Vitae* sciendum.

PRAEFATIO.

Plura hic praefanda non opinor, ne, quae in libro ipſo commodis locis dicta ſunt, hic otioſe repetam. Quum autem probe ſciam, quanta hanc opellam premat tenuitas, quantis opuſculum laboret naeuis, & quam parum alicuius ſaltim imaginem perfectionis referat: veniam mihi poſtremo rogandam ſentio, quod fortunam ſcribentium tentare auſus ſum; Quam etiam hoc magis mihi promitto, quo perfectius lector rationes ſcribendi intelligit: qui idem nimirum ſuam ipſe quoque imbecillitatem optime perſpiciet.

CORRIGENDA.

Pag. 5 leg. 17 leg. ὕτω. p. 11b l. vlt. VI not. 6. p. 15b l. 8 retrogr. ὁμωνύμως. p. 72 l. 13 glorioſae, p. 119 l. 9 auditu. p. 138 l 8 methodum. p. 184 l. 18 exercit. &c. *Graeca deprauata s in Accentibus Spiritibusue: vt* p. 14a l. 9 a fine, in ὡς. p. 39a n. 2 l 3 σχήματος. p. 50 l. 1 ἔκ. - l. 8 εὔστοχοι. p. 125b l. 3 retrogr. οἱ. p. 135 l. 17 ἐντροπῆς. p. 171 l. 18 τούτου. p. 257 l. 2 a fine σῶμα &c. *Exciderunt literae,* p. 48 l. 10 a p. 52 l. 3 in καρτερικοὶ p. 60 l. vlt. ab in. c. p. 98 *b l. 3 a fine, Παραλλ. p. 182. l. 22 laxior. p. 210 l. 15. μὲν. p. 254b l. 19 ineſt *abundat* p. 189 l. 12 retrogr. comma poſt ἀκορίῳ. *Omiſſa*: p. 85 l. 5 neque colorum varietatem affectes. p. 146 l. 14 poſt καθαίρεσθαι, καὶ ἀγνίξεσθαι. p. 208 l. 21 3 ἀπαντώμενα] ἀπαντώματα R. & A.



ΣΥΝΟΨΙΣ

PROLEGOMENA: *Aetas Hippocratis §. I. ortus & vsurpatio nominis Philosophi II. Philosophorum studia III. Pythagorica Philosophia caeteris Graecanicis originem dedit, & Medicinam quoque praecipue coluit: quare ea adumbrabitur, addito aliorum veterum consensu IV. Philosophorum Theologia & Daemonologia, cum cultu religioso; item, Philosophia Practica V. Finis & Media huius Philosophiae VI. Physiognomia &* Ἄσκησις *Pythagorica VII. Instituendi ratio s. disciplina VIII. quis fuerit aetate Hippocratis Medicinae status? IX. Scripta veterum Medicorum: Medicinae & Philosophiae coniunctio & separatio X. quomodo intelligenda sit ea separatio? XI. Logica, Physica, Theologia Naturalis, Philosophia Moralis Hippocratis XII. ad quam Sectam Philosophicam hic respexisse putandus sit? XIII. eius studium Naturae XIV. celebritas suâ aetate; & schola XV. dicendi genus XVI. praesens libellus vtrum genuinus? XVII. eiusdem Argumentum XVIII. Occasio scribendi & Finis XIX. Inscriptionis ratio XX. qua ratione dici possit agere de Philosophia? XXI. Commentatores XXII.* GALENI *de eodem argumento libri recensio XXIII. Hippocratis libri* de Medico *principium XXIV.*

HIPPOCRATIS Liber de Honestate, cum Interpretatione Latina & Annotationibus Philologicis *p.* 44 *&c. cuius Lemmata ibidem proposita sunt.*

COMMENTARIVS *I. Principium iudicandi in caussa* §. 1. *quaenam hic significetur Medicina, quae Philosophia?* 2. *modus & ratio vtramque coniungendi* 3. *qua ratione vtiles fiant contemplationes Philosophicae? Praxeos & Theoriae diuersa ratio* 4. *quomodo Ignauia consequatur ex solo contemplandi studio?* 5. *quomodo Philosophia in ipsa Medicinali disciplina addiscatur?* 6. *quod non fit systematice, sed per partes* 7. *exemplum Criticorum dierum* 8. *quomodo artis scientifica forma existat?* 9. *partes doctrinarum, quae ista ratione in Medicinam assumuntur* 10. *quae liberales artes, quae sordidae?* 11. *quomodo gratiosa fiat Medicinalis professio?* 12. RIVINI *&* VERVLAMII *iudicium de Polypragmosyne Medicorum* 13.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Commentarivs *II. Connexionis ratio: Circumforaneorum erroneum agendi principium* §. 1. *- fortuna* 2. *- peruersa Medicinam profitendi factitandique ratio* 3. *- vestitus cultusque phalerae* 4. *Hippocratis locus de Circumforaneis ex libro* de Morbo Sacro 5.

Commentarivs *III: Connexionis ratio, & Sectionis summa* §. 1. *vestitus cura in Medicis & Philosophis* 2. *- honestas* 3. *- simplicitas, generatim* 4. *- speciatim* 5. *-* εὐδοξία 6. τὸ σύννουν *in vultu* 7. *vestitus ad iter faciendum accommodatus* 8. *nexus sequentium:* ἀδιάχυτοι, ἀπερίεργοι 9. πικροὶ πρὸς τὰς συναντήσιας 10. εὔθετοι πρὸς τὰς ἀποκρίσιας 11. χαλεποὶ πρὸς τὰς ἀντιπτώσιας 12. εὔστοχοι πρὸς τὰς ὁμοιότητας 13. ὁμιλητικοὶ 14. εὔχρητοι πρὸς ἅπαντας 15. σιγητικοὶ πρὸς τὰς ἀναστάσιας 16. πρὸς τὰς ἀποσιγήσιας ἐνθυμηματικοὶ 17. καρτερικοὶ 18. πρὸς τὸν καιρὸν εὔθετοι καὶ ληματικοὶ 19. ὑπομονητικοὶ πρὸς καιρὸν 20. εὔχρηστοι καὶ αὐτάρκεες 21. πρὸς λόγους ἀνυστοὶ 22. εὐεπίῃ χρώμενοι 23. χάριτι διακείμενοι 24. δόξῃ διϊσχυριζόμενοι 25. ἐς ἀληθείην ἀποτεχμαλιζόμενοι 26.

Commentarivs *IV: Connexionis ratio: suprema in arte dux & magistra, Natura?* 2. *quid, Naturam magistram aut ducem sequi?* 3. *Imitatio Naturae ex Hippocrate declarata* 4. *Naturae sequela in comparanda sapientia virtutibusque omnis generis, sec. Hippocratem aliosque veteres, inprimis ex* Cicerone 5. *prosper rerum successus in sequenda natura* 6. *Disciplinae & Vsus diuersitas, & coniungendi ratio* 7. *quomodo Institutio conformetur ad naturam, felicemque exercitationis successum spondeat? & contra* 8. 9. 10. *Rationis & Experientiae notio Hippocratica, & connubium* 11. 12. Hippocratica *Fiducia artis* 13. *peruersa Rationis & Experientiae separatio* 14. *vnde Opinio* 15. *& infaustus operum successus originem ducit* 16. *nimia ratiocinatorum opinatorumque confidentia quam infelicem euentum sortiatur* 17. *productus locus ex l.* Παραγγελιῶν 18.

Commentarivs *V: Ratio Connexionis, & argumenti summa* §. 1. *certae Cognitionis ratio, & ad finem declarandum vis* 2. *quid Tempus contulerit arti?* 3. *artem augendi amplificandique modus* 4. *Finis arti propositus quomodo in curandis morbis cognoscatur obtineaturque? ex libro*

de

de Arte 5. *Medicinam & Philosophiam coniungendi ratio* 6. *quatenus Medicus sit* ἰσόθεος; 7.

COMMENTARIVS *VI: quatenus Philosophiae & Medicinae conueniat inter se,* §. 1. *qua differant?* 2. *argumentum, quo probationem includit auctor* 3. ἀφιλαργυρία 4 - 9. *propositum Finem actionum humanarum non posse esse emolumenta vitae* 4. *Auaritiae vis ad euertenda bonarum artium studia, ex* PETRONIO, GALENO, HIPPOCRATE 5. *quemadmodum eadem peruertat rationes medendi: quam aliena tamen sit ab huius professionis natura* 6. *irritamenta malarum cupiditatum in hac professione* 7. *an, & quatenus deceat poscere certam curationis mercedem?* 8. *Medicinae hac in parte conuenientia cum Philosophia* 9. ἐντροπὴ, ἐρυθρίησις 10. 11. καταστολὴ 12. δόξα 13. 14. κρίσις 15. ἡσυχίη 16 - 18. ἀπάντησις 19. καθαριότης 20. γνωμολογίη 21. καθάρσιες 21 - 23. *de religiosis Purificationibus locus ex l. de* Morbo Sacro *expositus* 22. *& cum dictis S. Scripturae collatus, ex* DRELINCOVRTIO 23. ἀπεμπόλησις 24. ἀδεισιδαιμονία 25 - 29. *superstitiosi* 25. *increduli* 26. *medii* 27. *Angelorum opera in gubernandis rebus humanis* 28. *quomodo Medicum erga Angelos Diuinamue virtutem oporteat affectum esse?* 29. ὑπεροχὴ θεία 30 - 34. *summa dictorum* 35. *disciplinae, in qua medici ista discant, ratio diuersa ab illa Philosophorum* 36. *argumenti illatio* 37.

COMMENTARIVS *VII: Sectionis huius & sequentis obscuritas, separatioque, & praesentis praecipua laus* §. 1. *connexionis ratio* 2. *Philosophiae de dIs fundamentum* 3. *cur dicatur* εἴδησις ἐν νῷ 4. *quid sibi ista velint,* ἐν πάθεσι καὶ συμπτώμασιν 5. *ipsam exercitationem artis intelligi* 6. *praecipua in medicina praesentis Numinis argumenta,* α) *Natura* 7. 10. *variae de significatione illius verbi hypotheses* 7. *vera eius apud Hippocratem notio* 8. *animam quoque rationalem ea comprehendi* 9. *quomodo haec ad religionem valeant* 10. β) *Diuinum in morbis* 11 - 19. *nobilissimus hanc in rem locus Hipp.* 11. *alius locus, vbi Aëris constitutio epidemica respondere illi Diuino videtur* 12. *Hippocratis de Aëris in mundum & hominem actione sententia* 13. *item, de Diuino* 14. *expositio principii l. de* Nat. Mul. 15. *applicatio disputatorum ad declarandam sententiam loci ex l.* Prognost. *propositi, huiusque interpretationis confirmatio*

matio ex aliis auctoribus 16. *ratio appellationis Diuini* 17. γ) *Moriendi necessitas ad certum terminum adstricta* 18 *& subiuncta Disp.* de Termino Vitae: *vbi* §. *I & Mechanicorum & Stablianorum sententia proponitur;* §. *II & III in Animae voluntate terminum istum non esse positum, cum Experientiae, tum* §. *IV Ratiocinii argumentis asseritur;* §. *V ostenduntur Mechanicae moriendi caussae;* §. *VI recensentur Experientiae phaenomena circa terminum fatalem;* §. *VII Consectaria ex disputatis proponuntur.* δ) *Alia diuini in morbis argumenta* 19. *apologia pro Religione Medicorum* 20. *delineatio* Theologiae Naturalis *Hippoc.* 21.

COMMENTARIVS *VIII: Nexus, & argumentum* §. 1. *methodus medicinae adaugendae* 2. *principia demonstrationis medicinalis* 3. *mutationes & metaschematismi morborum* 4. *methodi medicinalis summa* 5.

EPILEGOMENA: *Ratio, cur in reliqua libelli nihil commentariorum subiungatur* §. 1. *certior de Auctore libri coniectura* 2. *an* Praeceptionum *liber pars sit huius de Honestate* 3. *scopus libelli, & nouum pro eius antiquitate argumentum* 4. *censura* GALENI 5. *breuis libri summa, & Hippocratis cum* S. Scriptura *consensus* 6. *qua ratione Honestas principium verae virtutis haberi possit* 7.

PARALIPOMENA: Reliqua libelli περὶ ἐυσχ. *cum noua Versione H. C. Crugeri; itemque* Varietas Lectionis *MSti Biblioth. Reg. Paris. & edit. Ald. Venet.* 1526 *p.* 207. Scholia *antiqua Graeca p.* 212. Gnomae *Graecae p.* 214. H. C. CRVGERI Animaduersiones *p.* 215 *&c.*

COMMENTATIO περὶ χρέους ἀδιδάκτου· *cuius argumentum propositum est p.* 225 *seqq.*



PRO-



PROLEGOMENA.

§. I.

DE Philoſophia, & Hippocrate, huiusque praeſente libro tantum allaturus, quantum ad eundem libellum intelligendum praemonitu neceſſaria videntur, primum obſeruo, Vixiſſe Hippocratem Coum in libera adhuc Graecia eo ſeculo, quo omnis generis ſtudia, cum quae peculiariter ad ordinandas tuendasque respublicas pace belloue pertinebant, tum quibus liberales artes & ſcientiae, praeſertim quaelibet Philoſophiae partes coluntur, denique Medicina Practica, vt cum maxime viguere.

Natum eſſe communiter ſtatuunt circa Olympiadem LXXX, mortuum circa CVI: quae tempora incidunt in ſeculum orbis conditi XXXV, quod iam praecipitabat, XXXVI, & XXXVII, quod modo exordium ceperat; regnantibus apud Perſas Artaxerxe Longimano cum ſucceſſoribus ad poſtremum vsque; Graecorum rebuspublicis primum cum Perſis, deinde inter ſe, perpetuo fere bello implicitis; Philippo tandem Macedone omnes ſub ſuum vnius imperium redigente. Itaque eo partim maiores, partim aequales, partim iuniores fuere Thales, Solon, caeterique Graeciae Sapientes κατ᾽ ἐξοχὴν dicti; Philoſophi, Pythagoras, (quem ferunt Olympiade circiter LXX diem obiiſſe ſupremum) eumque ſecuti Alcmaeon, Empedo-

CLES, EPICHARMVS, ARCHYTAS, EVDOXVS, &c. itemque HERACLITVS atque DEMOCRITVS, cum ZAMOLXIDE Scytha; tum SOCRATES, PLATO, ARISTOTELES, &c. & Sophiſtae, PROTAGORAS, PRODICVS ſ. HERODICVS, GORGIAS, DIAGORAS Atheus dictus, &c. Oratores, PERICLES, LYSIAS, ISOCRATES, DEMOSTHENES, & reliqui; Poëtae, PINDARVS, ANACREON, AESCHYLVS, SOPHOCLES, EVRIPIDES, ARISTOPHANES, &c. Hiſtorici, HERODOTVS, THVCYDIDES, &c. Mathematici, EVDOXVS, EVCLIDES, &c. artifices, APELLES, PHIDIAS, LYSIPPVS, POLYCLETVS, &c. denique Medici DEMOCEDES, cum reliquis PYTHAGOREIS, aliisque philoſophis, & ſophiſtis, inprimis HERODICO Gymnaſtices inuentore, &c.

§. II.

Quod attinet ad Philoſophiam, qui eam profitebantur, quum antea σοφοὶ vocarentur, poſt PYTHAGORAM demum φιλόσοφοι appellari coeperunt (1). Vox tamen φιλοσοφίας pro σοφίᾳ Hippocratis noſtri temporibus nondum peruulgata fuiſſe videtur (2).

(1) Diogenes LAERTIVS Prooem. Segm. 12 Φιλοσοφίαν πρῶτος ὠνόμασε Πυθαγόρας, καὶ ἑαυτὸν ΦΙΛΟΣΟΦΟΝ, ἐν Σικυῶνι διαλεγόμενος Λέοντι, τῷ Σικυωνίων τυράννῳ ἢ Φλιασίων, καθά φησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῇ περὶ τῆς Ἀπνȣ. μηδένα γὰρ εἶναι σοφὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἢ θεόν. θᾶττον δὲ ἐκαλεῖτο ΣΟΦΙΑ καὶ ΣΟΦΟΣ, ὁ ταύτην ἐπαγγελλόμενος, ὃς εἴη ἂν κατὰ ἀκρότητα ψυχῆς ἀπηκριβωμένος· ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ δὲ, ὁ σοφίαν ἀσπαζόμενος· οἱ δὲ σοφοὶ, καὶ ΣΟΦΙΣΤΑΙ ἐκαλȣ̃ντο. καὶ ȣ̓ μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ποιηταὶ, σοφισαί. Aliorum teſtimonia affert ad h. l. Aeg. MENAGIVS. CICERO Tuſc. V, 7 c. 3 *Omnes, qui in rerum contemplatione ſtudia ponebant*, Sapientes *& habebantur & nominabantur, idque eorum nomen vsque ad Pythagorae manauit aetatem: quem, vt ſcribit auditor Platonis, Ponticus Heraclides, vir doctus inprimis, Phliuntem ferunt veniſſe, eumque cum Leonte, principe Phliaſiorum, docte & copioſe diſſeruiſſe quaedam. Cuius ingenium & eloquentiam quum admiratus eſſet Leon, quaeſiuiſſe ex eo, qua maxime arte confideret? At illum, artem quidem ſcire ſe nullam, ſed eſſe* PHILOSOPHVM. *Admiratum Leontem nouitatem nominis* &c.

(2) Nam, licet vox Φιλόσοφος apud Hippocratem ſemel reperiatur, & quidem in hoc opuſculo Sect. V, Φιλοσοφίας tamen vocabulum in ſcriptis eius vsquam legi dubito; in praeſenti certe libello ſemper

per σοφία dicitur, ficut etiam alias faepiffime. Cuius rei haec quoque afferri poteft ratio, quod Hippocrates antiquum vocabulum retinere maluerit: quandoquidem, eum in lingua, fententiis, moribusque admodum ftudiofum fuiffe antiquitatis, multis indiciis apparet.

§. III.

Agitabant autem circa ea tempora Philofophi communiter quidem Mathematicam difciplinam (1): deinde & Logicas Dialecticasque (2) quaeftiones; & contemplationes Phyficas (3), quarum fublimior pars erat Theologia gentilis f. Metaphyfica (4); & Morum philofophiam (5); & Politicam (6). Quarum tamen partium alii alias fibi praecipue excolendas fumebant. (7) Inprimis quoque de multis celeberrimisque, vt praefertim de Pythagora, conftat, eos multum peregrinatos fuiffe.

(1) Exempli caufa funto Thales, Pythagoras, Plato, Ariftoteles &c.

(2) Ante Platonem, Ariftotelem, Euclidem Megarenfem, aliosque notiores hac in parte, iam Xenophanes, Parmenides, Zeno Eleates, totaque Sophiftarum natio hoc ftudium coluere.

(3) Vt de Thalete, Anaxagora, Anaximandro, Heraclito, Democrito, Empedocle, Timaeo, &c. conftat. Sub forma quoque Mythologiae cum res diuinae tum naturales tradebantur.

(4) Vid. Iac. THOMASII *Hiftoria Metaphyfices*, Erotematibus Metaphyficis fubiecta. Huc pertinet, quod Philofophia finiebatur γνῶσις τῶν ὄντων· qua de re idem Thomafius in *Originibus Hiftoriae Philofophicae & Ecclef.* Tralatitium caeteroquin eft, antiquiffimis temporibus Φυσικὰς appellatos effe, qui de Deo rebusque diuinis philofophabantur: item, complures hac in parte eundem cum Spinofa errorem erraffe. Sed tamen Philofophos ante Democritum aut Leucippum non fuiffe Atheos, demonftrat CVDWORTHVS in *Syftem. Intellectuali*, cap. I. Summa hoc in genere laus eft operis VOSSIANI *de Theologia Gentili & Phyfiologia Chriftiana*. Innexa autem huic doctrinae eft etiam illa de Anima &c.

(5) Quo referenda Poëfis HESIODI, HOMERI,

qui, quid fit pulchrum, quid turpe,
quid vtile, quid non,

 plenius

plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit,
Horat. Epist. I, 2, 2:

& propiore quodam modo THEOGNIDIS, vt taceam de *Aureis Carminibus* PYTHAGORICIS, & PHOCYLIDE ὑποβολιμαίῳ· maxime autem huc animum intendit & ad proprium communemque vsum hanc philosophiae partem transtulit SOCRATES.

(6) Haec tribui solet illis SAPIENTIBVS praecipuo quodam modo dictis, qui rectores etiam suarum vrbium aut patriae quisque suae fuere. Eodem referendi SACERDOTES Aegyptiorum, Persarum MAGI, SOPHOCLES, & alii. Similiter PLATO scripsit de Rep., de Legibus, &c.

(7) Sic SOCRATES, ὁ τὴν ἠθικὴν εἰσαγαγὼν, sec. Laërtium Pro. 14, colebat id studium, quod ad vsum vitae tendebat, partem Moralem, Oeconomicam &c. de aliis inquiens, *Quae supra nos, nihil ad nos*; dictusque est *Philosophiam de caelo deuocasse*. Sed in Magnam quidem Graeciam primus introduxit Ethicen PYTHAGORAS, sec. Aristotelem Magn. Mor. Lib. 1 cap. 2. conf. Iac. BRVCKERI *Hist. Philos.* Part. II. f. Lib. III. Cap. X. Qu. XXI not. (qq)

§. IV.

Etsi vero maxima cum antiquitatis tum posteriorum temporum ingenia propriam sibi philosophandi viam secuti fuerint, neque accurate huius illiusue priorum disciplinae addicti censeri possint; etsi quoque omnibus philosophorum sectis plurima fuerint communia, sicut nec aliter esse potest: tamen PYTHAGORAE principatus tribui fere solet (1), & multorum in reliquis sectis dogmatum origines in Pythagorica disciplina quaeruntur (2), omnium licet Graecanicarum apud alias gentes quaerendae sint (3). Praeterea Pythagoraei praecipuum quoque studium in Medicina collocarunt, multique ex hac schola celebres prodiere Medici (4). Qua vtraque de caussa eam paullo propius considerabimus, addita tamen etiam commemoratione consentientium philosophorum aliorum.

(1) Pythagorae & viui & mortui magna admodum fuit gloria & auctoritas. Comati Samii appellatio honestissimo cuique tributa fuit, teste IAMBLICHO. Ipso adspectu homines in venerationem sui concitauit: v. PLVTARCH. *de discr. adulat. & amici*, T. III. Opp. p. 177. A quibusdam pro Apolline Hyperboreo habitus est: v. AELIAN. *Var. Hist.* Lib. II c. 26. LAERTIVS Lib. VIII f. 11 Καὶ γὰρ καὶ σεμνοπρεπέστατος λέγεται γενέσθαι. & ibid. f. 36 τὴν δὲ σεμνοπρέπειαν τοῦ Πυθαγόρου καὶ Τίμων ἐν τοῖς Σίλλοις, δάκνων αὐτὸν, ὅμως οὐ παρέλιπεν, εἰπὼν οὕτω,

Πυθαγόρην τε γόητος ἀποκλίναντ᾽, ἐπὶ δόξαν,
Θήρῃ ἐπ᾽ ἀνθρώπων, σεμνηγορίης ὀαριστήν.

Hinc splendida veste & corona aurea ornatus incedebat: vid. AELIAN. XII, 32. Quantam Crotone consecutus fuerit auctoritatem, ex IVSTINO referemus §. VIII not. 1. Discipuli eum velut Deum reuerebantur: ac notum est illud αὐτὸς ἔφα. Ciuitates petebant ab eo leges, quibus viuerent, & reip. suae ordinationem ipsi committebant: vid. IAMBLICHVS Cap. 27 n. 130 & Cap. 30 n. 172. Postquam Metaponti decesserat, eius *tanta admiratio fuit*, vt IVSTINVS XX, 4 extr. narrat, *vt ex domo eius templum facerent, eumque pro deo colerent.* Nummum in hanc ἀποθέωσιν cusum recensuit HARDVINVS *in Chronologia Vet. Test.* p. 90 seqq. vt refertur in Recensione Librorum Bibliothecae Thomas. (*Nachrichten von in der Thomasischen Bibliotheque vorhandenen Büchern*) Part. XXII p. 871 Tom. II.

(2) Io. SCHEFFERVS *in Praef. libri de natura & constitutione Philosophiae Italicae, Sic*, inquit, *persuasum habemus, non plus interesse publico bonisque literis, vt, quid Plato, quid Aristoteles, quid Stoici, quid Epicurei censuerint de Philosophia, sit perspectum, quam, quid Pythagoras: non modo, quia diligenter isthaec reputanti apparebit, pleraque originem habere suam e Sacris literis, siue bene siue perperam intellectis, vel quod ipse illas habuit Pythagoras, vel quod habuerunt ii, quorum disciplina ipse fuit imbutus ac doctrinis; sed &, quia Plato Aristotelesque, capita & quasi coryphaei quidam omnis sapientiae inter paganos atque eruditionis, sua habuerunt a Pythagora. Atque ita tandem scietur, quibus debeantur initiis, quae a gentibus bene Sanctisque doctrinis conuenienter tradita, tantopere apud eas admiramur & extollimus.* Quod eius iudicium approbat MORHOF. *Polyh.* Tom. II Lib. II Cap. II §. 2 his verbis, *Recte vero is Pythagoricam ante omnes laudat vt reliquae Philosophiae omnis Gentilis matrem & fontem.* Conf. SCHEFFER. c. lib. cap. I. Magn. Dan. OMEISIVS *in Praefat. Ethicae Pythagoricae.*

(3) Vt apud Hebraeos, Aegyptios, Indos, Chaldaeos, &c. Inprimis etiam notandum, *Pythagoram fere omnes consuetudines ex Mysteriis & Sacris ritibus, in philosophiam* suam *transsumsisse*, quod monet

monet Io. Scheffer. *de Philosophia Italica* Cap. IX p. 74 ed. 1701.

(4) Quorum praecipui Alcmaeon, Empedocles, Epicharmus, Democedes, &c. de quibus Scriptores Historiae Medicinae, Schulzius, Clericus, &c. Ipse Galenus tanti aestimauit Pythagoricum Carmen Aureum, vt, tanquam remedium contra morbos animi conuenientissimum, consueuerit semel atque iterum perlegere quotidie, deinde etiam clara voce recitare: prout ipse refert in Libro *de cognitione & curatione morborum animi.*

§. V.

Vt igitur Hippocraticum seruemus morem & tantum, quantum ad argumenti nostri explicationem ex Philosophia pertinet, inde depromamus: principio generatim moneo, *Duo * esse praecipue capita, quibus rectum sapientiae studium continetur, veram placandi Numinis rationem* (1), *& honestam vitae morumque disciplinam* (2). *Nam ad vtramque Pythagoras philosophiam traduxit: nec tantum in naturae & mundi inuestigatione conquieuit: sed animum a consuetudine corporis, & a communi hominum, res tantum caducas quaerentium, errore seuocauit.*

* Sunt verba C. S. Schurzfleischii *in Praefatione ad Io. Schefferi librum de Philosophia Italica.* Addit Idem, *Eadem fuit sententia Socratis, ad Pythagoram proxime accedentis, & animi vitiis simul aptum idoneumque remedium quaerentis. Auctor enim Plato est* &c. Erat autem Pythagorica Philosophia vel καθαρτικὴ s. πρακτικὴ, vel τελικὴ s. θεωρητικὴ in quam sententiam Hierocles dicit de Carmine Aureo, ὅτι περιέχει πάσης φιλοσοφίας πρακτικῆς καὶ θεωρητικῆς τὰ καθόλου δόγματα, δι' ὧν ἂν τὸν (f. τις) ἑαυτὸν καθαρὸν ἀπολαύοι, καὶ τὴν πρὸς θεὸν ὁμοίωσιν ἐντυχήσειε.

(1) De Diuina natura, eiusque religiosa veneratione, haec traditur Pythagorae & eorum, qui eum secuti sunt, sententia.

§. 1. *In Deorum cognitionem*, vt scribit Eunapius, *Pythagoras curas suas maxime conuertit, iique, qui Pythagoram inprimis aemulati sunt, Archytas ille priscus, & Apollonius Tyaneus, quique Apollonium coluerunt.* Triplicis autem generis Numen statuebant, sicut hi Carminis Aurei versus docent:

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, νόμῳ ὡς διάκειται,

Τίμα,

Τίμα· καὶ σέβου ὅρκον· ἔπειθ' ἥρωας ἀγαυούς,
Τούς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας, ἔννομα ῥέζων.

Principio venerare DEOS *immortales, quemadmodum lege constitutum est; & iusiurandum reuerenter habe: deinde illustres* HEROAS, *& inferos* DAEMONAS *cole, sic vt legitima sacra facias.* Add. LAERT. Lib. VIII Segm. 23; it. de Thalete ATHENAGORAS, *in Orat. pro Christianis*, p. 244 seq. & de Hesiodi Platonisque consensu Ant. VAN DALE in Dissertt. *de Orig. ac Progr. Idololatr. & Superstit.*, Cap. III p. 33 seqq. VOSS. *de Sectis Philosophorum*, Cap. XII §. 5.

§. 2. Diog. LAERT. refert VIII, 32 Pythagoram docuisse, ὅτι πᾶς ὁ ἀὴρ ψυχῶν ἔμπλεός ἐστι, καὶ αὗται δαίμονές τε καὶ ἥρωες νομίζονται, *Vniuersum aërem repletum esse animabus, quae Daemones & heroës existimentur.* Similia apud LAERT. eund. Thales I, 27 & Heraclitus IX, 7. Vid. plura apud Tob. PFANNERVM *System. Theologiae Gentilis Purioris*, Cap. VI §. VI p. 176 seq. Ant. VAN DALE, c. l. pag. 32 vsque ad pag. 52 adstruit, antiquissimos cum Poëtas, *Homerum, Hesiodum, & Orpheum*, tum Philosophos, *Empedoclem, Pythagoram, Thaletem, Platonem, aliosque primos, inter Graecos, Daemonum patronos, nullos nisi bonos Daemonas agnouisse, malorumque nullibi meminisse; sensim vero ac paullatim a recentioribus Pythagoricis Platonicisque productos fuisse malos Daemonas, Genios, Lemures*, &c. Contra, *Aristotelem, cum Peripateticis, item Democritum, pluresque alios non minimae dignationis Philosophos, nil tale, quod iam supra nominati senserant, sensisse, imo & omnes Daemonas, iisque patrocinium debentia oracula ac vaticinia, pernegasse*. Idem asserit ibid. p. 52 & VOSS. *de Theol. Gent.* Lib. I. Cap. VI.

§. 3. A DIs Daemonibusque morborum significationes animantium hominumque generi immitti siue suggeri prodiue, statuebat cum asseclis Pythagoras. LAERT. VIII, 32 refert, illum *in Commentariis suis scriptum reliquisse, totum aërem plenum esse animabus, eosque & Daemonas & Heroas existimari: atque ab his immitti hominibus somnia, & signa morborum, & sanitatis; neque solum hominibus, verum & pecudibus & iumentis reliquis: atque ad hos referri Lustrationes, & Diuinationem omnem, & Vaticinia, & caetera id genus.* PLATO in *Symposio*, p. 202 Tom. III H. Steph. Πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι Θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. Τίνα, ἦν δ' ἐγώ, δύναμιν ἔχον; Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ τῶν θεῶν· τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν· ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων, συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι. Διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ, καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη, τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ τὰς ἐπῳδὰς καὶ τὴν μαντείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν. Θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ μὴ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι.

Καὶ

Καὶ ὁ μὲν περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς, δαιμόνιος ἀνήρ. ὁ δὲ ἄλλο τι σοφὸς ὢν, ἢ περὶ τὰς τέχνας ἢ χειρουργίας τινὰς, βάναυσος. Quorum interpres est APVLEIVS *de Deo Socratis*, his verbis, *Sunt quaedam diuinae mediae potestates, inter summum aethera & infimas terras, in isto intersitae aëris spacio: per quas & desideria nostra, & merita ad deos commeant. Hos Graeco nomine* δαίμονας *nuncupant, inter mortales caelicolasque vectores hinc precum, inde donorum: qui vltro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam vtrinque interpretes & salutigeri: per hos eosdem, vt Plato in Symposio autumat, cuncta denunciata, & magorum varia miracula, omnesque praesagiorum species reguntur. Eorum quippe de numero praediti curant, singuli eorum prouide, vt cuique est tributa prouincia, vel somniis confirmandis, vel extis physiculandis, vel praepetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis, vel vatibus inspirandis, vel fulminibus iaculandis, vel nubibus coruscandis* &c. &c. PLVTARCHVS similiter, in libro *de Oraculorum defectu*, p. 417 Tom. II Opp. edit. Francof. 1620 fol. *Nos autem nec eos audiamus, qui diuinationem aliquam esse censent numinis expertem; neque, qui initia aut orgia vlla a diis negligi praedicant, neque tamen in iis Deum versari, interesse, implicari censeamus, sed, quibus ius fasque est, deorum ministris ea attribuentes, tanquam accensis ac scribis, Daemonas quosdam putemus esse arbitros diuinorum sacrorum, & initiorum auspices & auctores; alios scelerum grauium & immanium vindices terram lustrare; quosdam etiam Hesiodus perquam magnifice appellauit sanctos, diuitiarum datores, regale hoc munus habentes, quod regium sit benefacere. Sunt enim, vt in hominibus, sic in Daemonibus, virtutis differentiae.* &c.

§. 4. Et ista quidem omnia de Bonis Daemonibus accipere decet. Alii vero etiam crediti fuere Mali, malarumque actionum operumue effectores ipsi & suamet operâ patratores: de quibus PLVTARCHVM, in libro proxime allegato, p. supra cit. loquentem audiamus. *Caeterum ferias & sacrificia, tanquam dies nefastos & tristes, in quibus epulae crudae, & laniatus, ieiuniaque, & planctus, saepenumero etiam verborum obscenitates inter sacra, versantur, & alii furores excitati cum tumultuosa ceruicis iactatione, haec omnia quidem nullius caussâ deorum fieri affirmauerim, sed ad depulsionem malorum Daemonum, vt hi placentur atque leniantur. Et vero vetusta illa sacrificia humanarum hostiarum, neque a diis expeti aut accipi verosimile est; neque vt bellum auerterent*‖ (Graece, μάχην ἀνέχοντατ Xylander, qui vertit, *frustra sustinuisse*, legisse videtur μάτην) *reges & duces, liberos suos tradebant ad immolandum, sacrificiaque auspicabantur ipsi, & hostias mactabant, sed vt iracundiam & acerbitatem dirorum geniorum* (ἀλαστόρων) *auerruncarent atque satiarent; nonnullorum etiam insanos & tyrannicos amores explerent, quandoquidem illi cum corporibus & per corpora consuescere nec possint nec velint:*

sed

ſed, quemadmodum Hercules propter virginem Oechaliae bellum intulit, ſic praepotentes ac violenti Daemones animam hominis ſibi dedi expoſcant, quae corpore incluſa eſt; quare, quum per corpora nequeant cum illa verſari, & vrbibus peſtilentias, & agris ſterilitates inducunt, & bella ſeditioneſque concitant, donec amoribus ſuis frui potirique liceat. Plura aliorum dabit VAN DALE c. l. & VOSS. *de Idololatr.* L. I C. V & VI. it. Tob. PFANNER. in *Syſtem. Theologiae Gentilis* Cap. VI.

§. 5. Ex ſuperioribus apparet, eadem fere Daemonibus ſuis officia tributa fuiſſe a Gentium Philoſophis, quae Angelis a puriorum ſacrorum cultoribus adſcribuntur: idemque hoc agit in praeclaro opere *de Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana ſ. de Origine ac Progreſſu Idololatriae*, Ger. Io. VOSSIVS, Lib. I Cap. VII pag. 19 b. ſeqq. edit. Amſtelodam. a. 1700, vt productis teſtimoniis oſtendat, Gentilium hac de re opinionem multis modis conſentire cum iis, quae de Angelorum miniſterio tradant cum SS. Scripturae, tum Patres veteris eccleſiae Chriſtianae. *Neque Angelorum nomen Platoni ignotum fuiſſe, vti nec inſolitum de diis id apud Poëtas*, VAN DALE auctor eſt c. l. p. 36, ſimul aliquem Platonis locum afferens. Copioſius hoc argumentum tractat Tob. PFANNER. *de Theolog. Gent.* Cap. VI §. I & II. Et ipſe AVGVSTINVS, *Epiſt.* 49 p. 129, obſeruat, *a Gentilibus Deos appellari, quos Chriſtiani Angelos appellant:* Idemque hanc in rem verba Longiniani Platonici, in *Epiſt.* 21 & 22 Tom. II Opp. in medium profert. Alios conſentientes vide ſis apud PFANNER. c. l. Cap. II §. XI pag. 59 ſeqq. & 63. Sed & de Domino & gubernatore daemonum deorumque omnis generis, vno ſummo Deo, quem plurimi Iouem appellauere, ad cuius nutum & imperium reliqui dii & daemones munerum ſuorum partes adminiſtrent, ſequentia indidem ex VOSS. L. I C. II, excerpere liceat teſtimonia. Secundum PYTHAGORAM, vt docet apud STOBAEVM Onatus Pythagoricus, Τοὶ δ' ἄλλοι θεοὶ ποτὶ τὸν πρῶτον θεὸν καὶ νοητὸν οὕτως ἔχουσι, ὥσπερ χορευτὴς ποτὶ κορυφαῖον, καὶ στρατιῶται ποτὶ στραταγόν. *Reliqui dii erga primum ſummumque, mente cognoſcendum, ſic ſe habent, vt chorus ad coryphaeum, & milites ad ducem.* LACTANTIVS *de Ira Dei*, Cap. XI *Pythagoras vnum Deum confitetur, dicens incorporalem eſſe mentem.* Conf. MACROB. *in Somn. Scip.* Lib. I Cap. VI. PLATO *in Epiſtola ad Hermeam & Coriſcum*, apud STOBAEVM. Idem ap. VOSS. *de Sect. Philoſ.* Cap. XII §. 5. Teſte CICERONE, *de Nat. Deor.* I, 32 c. 13 pr. *Antiſthenes in eo libro, qui Phyſicus inſcribebatur, populares deos multos, naturalem vnum, dixit.* SENEC. *de Benef.* IV, 7 *Quoties voles, tibi licet, aliter hunc auctorem rerum noſtrarum compellare: tot appellationes eius poſſunt eſſe, quot munera. Hunc & Liberum Patrem, & Herculem, ac Mercurium noſtri putant: ſic hunc Naturam voca, Fatum, Fortunam: omnia eiusdem Dei nomina ſunt, varie vtentis ſua poteſtate.* &c. MAXIMVS, Philoſophus

phus gentilis, in *Epistola ad B. Augustinum*, (ap. Augustin. *Epist.* 43) *Equidem, vnum esse Deum summum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus, neget esse certissimum? Huius nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis inuocamus, quoniam nomen eius cuncti proprium ignoremus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen est. Ita fit, vt, dum eius quasi quaedam membra carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere profecto videamur.* ARISTOTELES in lib. περὶ κόσμου, cap. 7 princ. pag. 615 Tom. I Du Val. Εἷς δὲ ὢν (ὁ Θεὸς) πολυώνυμός ἐστι, κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν, ἅπερ αὐτὸς νεοχμεῖ. *Quum Deus vnus sit, pluribus tamen nominibus appellatur, ab iis affectionibus denominatus, quarum specimen exhibere solet.* LACTANTIVS *Inst. Diuin.* Lib. II cap. I, de ethnicis, *Quum iurant, & quum optant, & quum gratias agunt, non Iouem, aut deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit.* &c. Idem Lib. I Cap. II, *Conuicti de vno Deo, quum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant: verum hoc sibi placere, vt Iupiter nominetur.* Plurium auctorum sententias contulit PFANNERVS c. l. Cap. II §. X & XI. Adeoque in supplicationibus suis Gentiles vsurpabant eandem, quam Christiani, formulam, Κύριε ἐλέησον. ARRIANVS in *Dissertationibus Epicteti*, Lib. II Cap. VII, Τὸν Θεὸν ἐπικαλούμενοι, δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον. *Deum inuocantes, precamur eum, Domine miserere nostri!*

§. 6. Nunc de religioso Numinis cultu. Et generatim de Pythagorica quidem disciplina IAMBLICHVS Lib. I Cap. 18, *Omnia ea praecepta,* inquit, *quibus, quid faciendum sit aut non sit, definitur, collineant ad numen diuinum, & sunt velut principium aliquod ad vitam omnem instituendam ad Dei sequelam.* Add. CIC. *de Leg.* II, 26 c. 11 post pr. Plurima de religione gentilium Philosophorum erga Deum, congesta videri poterunt, apud PFANNER. VOSSIVMQVE, in libris allegatis.

§. 7. Hunc religiosum cultum monebant Pythagorici requirere puram mentem, purumque corpus, & puram vestem: Quamobrem sacras *Purgationes Lustrationesque* vsurpandas esse, & ab omni impuro abstinendum. Lustrationes apud antiquissimos, etiam extra veram religionem, communissimo frequentissimoque in vsu erant, ad purgandam omnem rerum, quibus vita & societas humana continetur, varietatem: vt, ad lustrandas aedes, pagos, vrbes, fruges, pecora, &c. praesertim homines in variis negotiis, vt, bello, nuptiis, &c. eorundemque cum corpus, (quod duplicis generis statuebant, alterum crassius illud, in sensus incurrens; alterum subtilius, λεπτὸν ὄχημα, vehiculum animae dictum) tum animam. Erantque & dii καθάρσιοι. Peragebantur Lustrationes ab hominibus, qui vel ad eam rem publice constituti erant, vt sacerdotes, καθαρταὶ dicti; Magi, &c. vel eius rei scientiam profitebantur, vt Magorum imitatores, praestigiatores, &c. quemadmodum Melampus & Epimenides, καθαρταὶ vocati

vocati sunt; Empedocles scripsit καθαρμὰς· Epicurus puer cum matre sua tali arte victum quaesiuisse dicitur.

§. 8. De ipso Pythagora narrat IAMBLICHVS in *eius Vita*, Cap. XIX, *Quum ad singula loca appelleret, & lustrationes faciebat, & pestem ventosque noxios ab illis vrbibus auerruncabat, quae eum in hoc sibi adiutorem rogare ac vocare dignabantur. Sic Lacedaemonem accepimus, lustratione ab eo sibi facta, peste laborare desiisse, quum ante frequens hoc malo conflictaretur.* Habuit hoc ex Orphicis sacris, aliisque: vnde multa in suam disciplinam transtulit. Vid. SCHEFFER. BRVCKER. cc. ll. aliique. Tunc quoque adhuc morborum curationes a sacerdotibus in templis, vario lustrationum ac rituum apparatu, instituebantur: id quod vel vna ARISTOPHANIS Comoedia, *Plutus*, testatum faciat. Speciatim Insaniam, Epilepsiam s. ἱερὰν νόσον, aut diuinum morbum, Pestemque ac Pestilentiam, expiationibus auertere moris erat. ARISTOPHANES, in *Vespis*, v. 118 εἶτ᾽ αὐτὸν (τὸν μαινόμενον) ἀπέλου, καὶ κάθαιρε, καὶ μάλα μετὰ ταῦτα ἐκορυβάντιζε. *Postea illum insanum lauit, & purgauit, & posthaec etiam Corybantica sacra fecit.* Ad quem locum haec habentur in veteribus SCHOLIIS, Ἐκορυβάντιζε] Ὡς μαινόμενος καὶ κατεχόμενος ὑπὸ θεοῦ. ἀντὶ τοῦ, τὰ τῶν Κορυβάντων ἐποίει αὐτῷ μυστήρια, ἐπὶ καθαρμῷ τῆς μανίας. *Vt qui insanus erat, & numine obsessus. quasi dicat, mysteria Corybantica ipsi fecit, in lustrationem insaniae.* Sed de toto Lustrationum negotio videndus vnice est eruditissimus liber Ioh. LOMEIERI, *Epimenides* dictus, *siue, de veterum Gentilium Lustrationibus syntagma.*

§. 9. Obseruat LOMEIER. c. l. Cap. XV paullo post init. p. 178 ed. alterius Zutphan. 1700, *Hoc sub lustralibus caerimoniis latebat* μυστήριον, *vt mores emendarent, hominumque vitam corrigerent. Arrianus in Dissertt. Epicteti, Lib.* III *Cap.* XX *ipsum inducit haec dicentem,* Οὕτως ὠφέλιμα γίνεται τὰ μυστήρια· οὕτως εἰς φαντασίαν ἐρχόμεθα, ὅτε ἐπὶ παιδείᾳ καὶ ἐπανορθώσει τοῦ βίου κατεστάθη πάντα ταῦτα ὑπὸ τῶν παλαιῶν. *Sic vtilia fiunt mysteria: propertereaque ad externam caerimoniarum speciem venimus, quod ad institutionem & emendationem vitae omnia ista a veteribus constituta sunt.* Conf. *Lucian. Cronosol.* p. 616 Tom. II Ed. Amstelod. 1687. Idem LOMEIER. ib. p. 183, *Pythagorei Purgationibus antecedentibus ad sequentes & perfectiores viam sibi sternebant. Prima* περίοδος *erat abstinentia ab illis, quae voluptatem animo adferebant, &* τὸ θνητὸν σῶμα *ad venerem incitabant. Huc praecepta illa symbolica spectabant, quae praeter externum illud abstinentiae officium, aliud* μυστικὸν *in recessu continebant. Secunda* περίοδος *erat purgatio corporis* ψυχικοῦ καὶ αὐγοειδοῦς: *quae fiebat* καθαρμοῖς, ἱεροῖς θεσμοῖς, καὶ ἱεραῖς τέχναις, *quibus terrenae ac* ὑλικαὶ φαντασίαι *amputabantur, & anima quasi corporeis vinculis soluebatur. Vnde ait Pythagoras,* ἔν τε καθαρμοῖς, ἔν τε λύσει ψυχῆς. Conf. *Prolegomena* infra §. V. HERACLITVS sacrificia nun-

cupare

cupare solitus erat *animae pharmaca:* quia a morbis animam expurgent.

(2) De studio Virtutis generatim & in vniuersum, sequentia annotare, fini proposito inseruiet.

§. 1. Refert STOBAEVS, *Serm.* I pag. 3, dixisse Pythagoram, *ὅτι οὗτος θεοῦ νόμος, ἀρετὴν εἶναι τὸ ἰσχύον μόνον· τὰ δ' ἄλλα, λῆρον. Hanc esse Dei legem, vt virtus solum robur in sese habeat & largiatur: caetera vero, vana esse.* Et tria quidem praecipua oppugnabat haec Philosophia vitiorum genera. THEAGES Pythagoricus, in libro *de Virtutibus*, docet, *iniuste agere homines vel lucri vel voluptatis vel gloriae caussa.* Atque ad suffocanda haec tria malorum semina, tota Pythagoreorum *ἄσκησις* comparata erat: sicut egregie adstruxit b. Io. Franc. BVDDEVS in peculiari Dissertatione *de ἀσκήσει Philosophica*, in Eiusdem Analectis Historiae Philosophicae recusa.

§. 2. THEAGES, c. I., *Nihil aliud est vera virtus quam habitus decori.* ARCHYTAS, in Libro *de bono ac beato viro*, *Virtus decorum pro norma habet*, & *est τοῦ δέοντος ἕξις ἐν τοῖς πρακτοῖς*, *decori* (f. rectius, *officiorum*) *habitus in rebus agendis.* Apud IAMBLICHVM, *de Vita Pythagorae*, Cap. 18, Virtus dicitur, *quod bonum & honestum est.* Add. verba Theagis infra *Proleg.* §. VII *not.* 7. De generibus Virtutis, ARCHYTAS, a. l. *Animae bona sunt Prudentia, Fortitudo, Iustitia, Temperantia.* Quae diuisio deinde a plerisque omnibus Philosophorum recepta ac propagata est, vt norunt omnes.

§. 3. De Iustitia, THEAGES, c. I. *Et inter deos & inter homines magnam vim habet Iustitia: totius enim huius vniuersi, tum inter hos tum inter illos, communionem haec virtus continet.* POLVS Pythagoricus, in Lib. *de Iustitia*, *Existimo, Iustitiam reliquarum virtutum matrem ac nutricem esse dicendam: siquidem absque hac nec temperans, nec fortis, nec prudens quisquam potest esse. Est enim haec animi totius cum concinnitate pax & harmonia.*

§. 4. Ad Prudentiam pertinent haec ex AVREO CARMINE,

Βουλεύου δὲ πρὸ ἔργου, ὅπως μὴ μωρὰ πέληται.
Δειλοῦ τοι πρήσσειν τε λέγειν τ' ἀνόητα πρὸς ἀνδρός·
Ἀλλὰ τάδ' ἐκτελέειν, ἅ σε μὴ μετέπειτ' ἀνιήσῃ.
Πρῆσσε δὲ μηδὲν τῶν μὴ ἐπίστασαι· ἀλλὰ διδάσκευ,
Ὅσσα χρεὼν· καὶ τερπνότατον βίον ὧδε διάξεις.

Priusquam aliquid agas, consultato, ne stulte te geras. Caueto etiam, ne incogitata facias, aut ad quemquam loquaris: Talia vero perficere, operam dato, quae tibi non postea dolorem creent. Sed nullam rem aggredere facere, quam non scias: disce vero, quae eo necessaria sunt. Sic vitam iucundissime transibis. Prudentiae autem THEAGES opponit *κακίαν*, dicitque, *vt prudentia cum arte, ita Malitia cum praua confertur arte, quoniam ad iniuriam dolos excogitat.*

§. 5. De Continentia, Pythagoras, apud STOBAEVM *Serm.* XVII,

XVII, *ῥώμην μεγίστην καὶ πλοῦτον, τὴν ἐγκράτειαν κτῆσαι*, *Maximum robur atque diuitias in eo esse sitas, vt continentiâ instructi simus.* Item, *Satius est mori, quam per incontinentiam animum obnubilare.* Pecuniae cupiditatem Pythagoras maxime in vitio ponebat, & apud STOBAEVM, *Serm.* II, ait, *Vt idem homo voluptatem, corpus, pecuniam, & Deum amet, fieri nullo modo potest: nam, qui voluptatem amat, idem continuo & pecuniam; qui autem pecuniam, idem necessario iniustus, & in Deum quidem impius, in homines iniquus est.* Et apud IAMBLICHVM in *Vita*, Cap. 31, *Ex auaritia nasci rapinas, latrocinia, sacrilegia, aliaque vitia his affinia.* Add. ibid. Cap. 17.

§. 6. Quamuis autem nimiam gloriae cupiditatem & ambitionem damnabat, commendabat tamen *Φιλοτιμίαν*: docebatque, perabsurdum esse, omnem existimationem & gloriam spernere & pro nihilo putare: siquidem indoctum & inemendabilem esse, qui sic sit affectus. Vid. IAMBLICHVS, in *Vita*, Cap. 31.

§. 7. Post Deum plurimi faciendos esse Parentes & sanguine iunctos, admonebat: vid. IAMBLICH. c. 30. CARMEN AVREVM, v. 4:

Τοὺς τε γονεῖς τίμα, τοὺς τ' ἄγχιστα ἐκγεγαῶτας.

& Parentes & proxima cognatione iunctos honora.

De Ciuilitate librum scripsisse Pythagoram, LAERTIVS auctor est. IAMBLICHVS vero, Cap. II, memoriae prodidit, Illum cum vnoquoque eorum, quos in peregrinationibus suis adiit, ita consuetudinem familiaritatemque iunxisse, vt omnes eum amarent. Conf. CARMEN AVREVM, v. 5 seqq.

§. VI.

Propositus autem huic philosophiae erat vltimus scopus, Deo similem fieri (1); idque efficere intendebat per mortem philosophicam (2); quae veritatis cognitione constet (3). Verum versari statuebat circa ea, quae ita sunt, vt nullis mutationibus obnoxia sint, sed eodem semper modo se habeant, i. e. aeterna & tantummodo intellectu s. mente comprehendenda (4); non autem circa sensuum obiecta (5). Quare haec diuina contemplandi studio teneri Philosophum; contra negligere & nescire humana, i. e. negotia vitae, actionesque ciuiles:

les (6); praeparari tamen harum ciuilium humanarumque rerum ac virtutum exercitatione animum ad veram philoſophiam (7); quibus qui occupantur, eos appellabant Practicos & Politicos (8). Methodum autem, qua ad hanc ſapientiam perueniri poſſit, contineri cognitione ſui (9), καθάρσει (10), conuerſione in ſemet ipſum (11), ἀνόδῳ (12), cumprimisque etiam inuocatione opis diuinae (13).

(1) HIEROCLES *ſub finem praefationis Commentarii ad Carmina Aurea*, πρὸς τὴν θείαν ὁμοίωσιν ἀνάγει (ſc. τὰ χρυσᾶ ἔπη) καὶ τῆς Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας τὸν τελειότατον σκοπὸν ἐκκαλύπτει. STOBAEVS Ecl. II cap 3 Σωκράτης, Πλάτων, ταυτὰ τῷ Πυθαγόρᾳ, τέλος ὁμοίωσιν θεῷ. σαφέστερον δ' αὐτὸ διήρθρωσε Πλάτων, προσθεὶς τὸ, κατὰ τὸ δυνατόν. De Ariſtotele teſtem citabo nota (2). De Stoicis, CICERO *de Nat. Deor.* 2, 153 c. 61. & SEN. *de Conſt.* c. 8. Add. Id. Epiſt. 48. & HORATIVS, Epiſt. I, I, 105

Ad ſummum, Sapiens vno minor
eſt Ioue.

Quin & Epicurus in Epiſtola quadam, ταῦτα καὶ τὰ τούτοις συγγενῆ μελέτα διὰ παντὸς ἡμέρας καὶ νυκτὸς πρὸς ἑαυτὸν, καὶ ζήσῃ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. Adeoque talem Philoſophum fieri Deum docebant: ſicut confirmatur hisce HIEROCLIS verbis in Praef. *Oportet prius fieri hominem, & poſt deum.* & cap. 69 *Hic finis eſt Pythagoricae diſciplinae, vt toti penitus alati fiamus ad diuinorum bonorum participationem, vt, quum mortis tempus inſtat, relicto in terra mortali corpore, eiusque natura exuta, ad caeleſte iter expeditiores fiant philoſophicorum certaminum athletae:* τότε γὰρ καὶ τὴν ἀρχαίαν αὐτοῖς ἀποδίδοσθαι στάσιν, καὶ θεοποιεῖσθαι, ὅσον οἷόν τε ἀνθρώποις θεοὺς γενέσθαι. Sic in CARM. AVR. verſus fin. dicitur,

Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος,
οὐκ ἔτι θνητός.

Fundamentum huius doctrinae eſſe dicitur, quod Pythagoras ſtatuerit, mentem, νοῦν, (quam ab anima, θυμῷ, tanquam ex effluuiis ſiderum decerpta, diuerſam faciebat) ex Deo prodiiſſe, & in eum redire, quanquam nihilominus res ſingularis maneat. Vid. Iac. BRVCKER. *in Hiſt. Philoſ.* Part. II L. III Cap. X Qu. XXII.

(2) IAMBLICHVS Lib. II Cap. 13 *Atque ita quidem puri, liberati nempe ab amentia corporis, cognoſcemus vltro ipſi omne, quod eſt ſincerum: id quod nil eſt aliud quam verum. Purgatio autem in eo conſiſtit, vt ſeparetur quam maxime animus a corpore, aſſuefiatque per ſe eſſe absque corpore*

corpore, in se ipsum versus, liberque a corpore, velut ex vinculis: id quod Mors vocatur, solutio scilicet & separatio animi a corpore. Ex mente Aristotelis, EVSTRATIVS *ad Nicomachicorum* X cap. 7 *Quia hoc compositum non est verus homo, sed id, quod in nobis est diuinissimum, mens videlicet: oportet conari sese reddere immortalem, hoc est, a mortalis animalis contagione separare, & immortalem facere, & similem reddere immortalibus, hoc est, intelligibilibus & intellectualibus accedere. Vera enim felicitas, quae homini conuenit, ea est, quum fit deo similis. Similis autem deo redditur, quum & his corporeis abscedit, & in intelligibilibus versatur. Quare omnia oportet facere, quae spectant ad vitam secundum mentem degendam, quae est summum & optimum & diuinissimum omnium, quae in nobis sunt. Viuit autem secundum eam, sicut dictum est, qui diuino fulgore illustratus contemnit omnia externa, seque ipsum separat & liberum facit ab iniqua foedaque procliuitate omni in corpus.* Hinc est, quod, vt refert HIERONYMVS *aduersus Rufinum, Primus Pythagoras dixit, Philosophiam meditationem esse mortis, quotidie de carcere corporis nitentem educere animae libertatem.* IAMBLICHVS Lib. II in expositione Symboli 23 Μελέτη θανάτου, καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος ἡ φιλοσοφία. PLATO in *Phaedone*, Θάνατος ὀνομάζεται λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος. λύειν δὲ αὐτὴν προθυμοῦνται ἀεὶ μάλιστα καὶ μόνοι οἱ φιλοσοφοῦντες ὀρθῶς. καὶ τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτό ἐστι τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος.

(3) STOBAEVS *Serm.* XI Πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς, τί ποιοῦσιν ἄνθρωποι θεῷ ὅμοιον; ἔφη, ἐὰν ἀληθεύωσι. Plane similia prodit AELIANVS *Var. Hist.* Lib. XII Cap. 59. IAMBLICHVS Lib. II in expos. Symboli 15 οὕτως δὲ τὸ φιλοσοφεῖν ὡς ἀληθῶς καὶ ἄνευ αἰσθητηρίων καὶ σωματικῶν ἐνεργειῶν, καθαρῷ τῷ νῷ χρῆσθαι εἰς κατάληψιν τῆς ἐν τοῖς οὖσιν ἀληθείας, ἥπερ ἐπέγνωσται σοφία οὖσα. *Ita autem philosophamur, quum vere & absque sensuum & corporalium functionum opera, pura mente vtimur ad comprehensionem veritatis, quae in rebus ipsis existit,* (h. e. vt interpretatur SCHEFFERVS, conformitatem iudicii nostri cum natura rerum vera: sed vid. huius (4)) *quam quidem nouimus esse sapientiam.* Conf. HIEROCLES in Praef. Damascenus ap. PHOTIVM Cod. 242.

(4) IAMBLICHVS Lib. I Cap. 29 σοφίαν εἶπεν ὁ Πυθαγόρας εἶναι ἐπιστήμην τῆς ἐν τοῖς οὖσιν ἀληθείας. NICOMACHVS *in Arithm.* initio, de Pythagora, Ὄντα *definiebat illa, quae secundum idem ac eodem semper modo sunt perfecta in mundo, & nunquam, ne minimo quidem temporis momento, immutantur.* (τοῦ εἶναι ἐξιστάμενα) *Haec vero esse expertia materiae, ac quorum per participationem caetera, quae aequiuoce dicuntur esse,* (τὰ ὁμωνύμως ὄντα καλούμενα) *aliquid esse dicuntur & sunt. Corpora namque ac materialia in perpetuo fluxu ac mutatione esse per omnia, imitarique naturam & proprietatem ἀϊδίου ὕλης καὶ ὑποστάσεως, materiae ac substantiae aeternae.* IAMBLICHVS, ὄντα δὲ ἤδη καὶ

καὶ ἔλεγε τὰ ἄϋλα καὶ ἀΐδια καὶ μονοειδῆ, ἅπερ ἐστὶ τὰ ἀσώματα. ὁμωνύμως δὲ λοιπὸν ὄντα, κατὰ μετοχὴν αὐτῶν ὀνομαζόμενα. De Parmenide, Pythagorae discipulo, PLVTARCHVS *aduersus Colotem*, *Hic omnibus aliis, ipso etiam Socrate prior sensit, naturam habere aliquid* δοξαστὸν, *opinione comprehendendum, aliquid* νοητὸν, *mente comprehendendum. Est autem* δοξαστὸν, *opinabile illud, inconstans, vagum, & variis motionibus ac mutationibus obnoxium, & quod ob incrementa ac decrementa alium atque alium respectum habens, non semper eodem modo sensum afficiat.* νοητὸν, *intelligibile vero, alia species, quod est, vt ipse* (Parmenides) *cecinit, aeternum, integrum semper, semperque quiescens, suique simile, & constanter suam naturam conseruans* (μόνιμον ἐν τῷ εἶναι.) *Hic cauillans Colotes, ac de rebus ad verba disputationem trahens, simpliciter ait, Parmenidem, quia vnum ens ponit, omnes res abolere. Ille vero neutram abolet naturam, sed vtrique id, quod ei conuenit, tribuens, in forma vnius & entis ponit intelligibile; ens quidem, vt aeternum est & interitus securum; vnum autem, ob similitudinem sui ipsius, & quia nullam admittat differentiam, appellans. In forma vero inordinata & in motu versante, collocat* τὸ αἰσθητὸν, *sensibile.* Add. Perictiones, antiquissimus Pythagoricus, ap. STOB. *Serm.* I. Mercurius Trismeg. ap. eundem Serm. XI. ALEXANDER APHRODISAEVS, Peripateticus, *de Fato* cap. 7. BOETHIVS *in Arithm.* Lib. I Cap. 1. Hoc respectu Philosophia plerumque finiebatur γνῶσις τῶν ὄντων. vid. supra §. III. not 4. Eodem huc referendae PLATONIS Ideae.

(5) Praeter ea, quae n. praecedente iam allata sunt, add. Mercurius Trismeg. l. c. & ipse Pythagoras apud IAMBLICHVM *ad Symbol.* 36.

(6) IAMBLICHVS *in Protreptico* cap. 14 *Oportet nos a vita moribusque illorum virorum, qui quasi duces philosophiae fuerunt, ad Pythagorae sententias progressum facere. Atque illi quidem viam ducentem in forum ignorabant, nec, vbi ius diceretur, nouerant, aut vbi deliberationes publicae haberentur, aut alii ciuium conuentus celebrarentur.* &c. &c. interque alia, *Qui reuera talis est* philosophus, *is vicinum proximumque suum ignorat, non modo quid ab eo agatur, sed & parum est, vt nesciat, homone sit an aliud quodpiam brutum.* ARISTOTELES *Nicomach.* Lib. VI Cap. 3 *Ex his, quae diximus, perspicuum est, sapientiam esse earum rerum, quae sunt honore dignissimae naturâ, scientiam & mentem s. intelligentiam* (νοῦν.) *Quocirca Anaxagoram, Thaletem, caeterosque tales viros, sapientes quidem esse dicunt, prudentes vero nequaquam: quum videant, eos, quae sibi vtilia sint, ignorare; atque eos fatentur recondita atque eximia quaedam, & admirabilia, & difficilia, & diuina tenere, sed inutilia, quia humana bona non quaerunt.* PLATO saepe in eandem sententiam loquitur, e. gr. in *Theaeteto*, *Et saepe quidem alias, mi Theodore, animaduerti, nunc vero maxime, eos, qui in philosophiae studiis longo tempore fuerunt versati,*

ad forum accesserunt, ridiculos esse oratores. Hinc CICERO *Off.* I, 69 c. 23 *Multi & sunt & fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, a negotiis publicis se remouerunt, ad otiumque confugerunt: in his & nobilissimi philosophi & longe principes.* Add. SENECA *Ep.* 56 & *de Breu. Vit.* c. 14. Anaxagoras ap. Tyrium MAXIMVM Dissert. VI.

(7) Vid. infra §. VIII n. 1. Huc pertinet illa vulgatissima apud veteres definitio philosophiae, γνῶσις θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων.

(8) ANONYMVS *de vita Pythagorae*, οἱ δὲ περὶ τὰ ἀνθρώπινα, οἵπερ ἐκαλοῦντο Πολιτικοί. Conf. IAMBLICHVS Lib. I Cap. 28. De Practica philosophia vid. not. 10, huius.

(9) HIEROCLES *ad Carm. Aur.* cap. 14 τοῦτο δὲ τὸ παράγγελμα περιείληφεν ἐν ἑαυτῷ τό, σαυτὸν γνῶθι· ὃ πασῶν μὲν σπουδαίων πράξεων, πασῶν δὲ θεωρητικῶν γνώσεων προυποκεῖσθαι δεῖ. Et sunt, qui hoc effatum, γνῶθι σαυτόν, ad Pythagoram tanquam auctorem referant: vt videri potest apud Schefferum Cap. IX. Eadem omnium deinde Philosophorum communis fuit praeceptio. Et PLATO quidem ipse hac de re tradit *in Alcibiade* per tot. & *in Philebo.* De Stoicis CICERO *de Fin.* 5, 41 c. 15 & de Academicis Id. Fin. 4, 25 c. 10. Conf. PERS. 2, 67 cum Comment. Casaub. De Cynicis IVLIANVS *in Oratione* VII. Ex Indorum philosophis, Iarchas ap. PHILOSTR. *de vita Apollon.* Lib. III Cap. 6. Denique plane his consentanea sunt verba AGAPETI Diaconi, Christiani hominis, *in Sermone ad Iustinianum*, cap. 3. HIPPARCHVS Pythagoreus *de Animi Tranquillitate*, *Optimum homines in vita iter instituent, si animi tranquillitatem sectabuntur. Hoc autem maxime assequentur, si se ipsos diligenter cognouerint.* ANONYMVS *de Vita Pythagorae*, apud Photium, *Nosse se ipsum, nihil aliud est, quam totius mundi naturam nosse.* Add. SARESBERIENSIS *in Policrat.* Lib. III Cap. 2 ex Pythagoreorum placitis, *Est primum hominis sapientiam affectantis, quid ipse sit, quid intra se, quid extra se, quid infra, quid supra, quid contra, quid antea vel postea sit, contemplari. Haec enim contemplatio quadripartitum parit fructum, vilitatem sui, charitatem proximi, contemtum mundi, amorem Dei. - Certe non superbit, qui paruus est in oculis suis: dum quisque, quae adsunt vel absunt, expetibilium numerum cogitat, quis non de sua paupertate erubescit?* add. Timon apud LIBANIVM *in Declam.* IX. ANONYMVS *de Vita Pythagorae*, παραινεῖ δ' ἡμῖν, (illud de cognitione sui praeceptum) γνῶναι τὴν ἑαυτῶν δύναμιν. CICERO *ad Qu. Fratrem* Lib. III Epist. 6 *Illud* γνῶθι σεαυτὸν *noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam vt bona nostra norimus.* Idem explicatius, *de Legib.* Lib. I, 58 c. 22 *Docuit, vt nosmet ipsos nosceremus. Cuius praecepti tanta vis, tanta sententia est, vt ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum, ingeniumque in se suum sicut*

 simu-

ſimulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoque munere deorum ſemper dignum aliquid & faciet & ſentiet; & quum ſe ipſe perſpexerit, totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a natura ſubornatus in vitam venerit, quantaque inſtrumenta habeat ad obtinendam adipiſcendamque ſapientiam. &c. &c. MACROBIVS in *Somn. Scip.* I cap. 9 *Homini vna eſt cognitio ſui, ſi originis natalisque principia atque exordia prima reſpexerit, nec ſe quaeſiuerit extra. Sic enim anima virtutes ipſas conſcientia nobilitatis induitur, quibus poſt corpus euecta, eo, vnde deſcenderat, reportatur.* IVLIANVS *in Orat.* VI *Qui ſe ipſum norit, primum animam ſuam, deinde corpus ſuum cognoſcet. Neque hoc ſatis habebit diſcere, hominem eſſe animam corpore vtentem: verum etiam animae naturam ipſius, tum eius vires ac facultates indagabit.* &c. &c.

(10) PORPHYRIVS in II Parte *Sentent.* cap. 34 ἔστι μὲν γὰρ ἡ κάθαρσις, ἀπόστασις σώματος καὶ τῆς ἀλόγου παθητικῆς κινήσεως. Conf. Id. in *Sentent* p. 239. IAMBLICHVS ſupra not. 2 huius. Secundum HIEROCLEM haec purgatio res talis eſt, qua quis mundatur ἀπὸ τῆς ὑλικῆς ἀλογίας καὶ τοῦ θνητώδους σώματος. Eandem cap. 67 vocat τὴν τῶν ὑλικῶν μολυσμῶν ἀπόθεσιν. HIPPARCHVS Pythagoricus *in Lib. de Tranqu. Animi*, *Debemus omnibus modis inueteratas maculas abluentes & repurgantes philoſophica doctrina detergere.* STOBAEVS *in Ecl.* p. 144 ex Pythagoreorum placitis, καὶ μὴν τῆς γε καθάρσεως τέλος, ἀφαίρεσις τῶν ἀλλοτρίων, ἀπόδοσις τῆς οἰκείας οὐσίας, τελειότης, ἀποπλήρωσις, αὐτάρκεια, ἄνοδος ἐπὶ τὴν γεννησαμένην αἰτίαν. Hanc κάθαρσιν curabat Philoſophia Practica: v. §. V not. *

(11) Quae appellabatur ἐπιστροφὴ εἰς ἑαυτὸν· it. ἀναχωρεῖν εἰς ἑαυτὸν aut ἐγκύπτειν· SIMPLICIO autem, συννεύειν εἰς ἑαυτὸν καὶ φεύγειν ἀπὸ τῶν φυσικῶν παθῶν. IVLIANVS *in Orat.* VII ἀρχὴ μὲν οὖν (τῆς φιλοσοφίας) ἑαυτὸν γνῶναι, τέλος δὲ ἡ πρὸς τοὺς κρείττονας ὁμοιότης· ὅστις οὖν Κυνικὸς εἶναι ἐθέλει, πάντων ὑπεριδὼν τῶν νομισμάτων καὶ τῶν ἀνθρωπίνων δόξων, εἰς ἑαυτὸν καὶ τὸν θεὸν ἐπέστρεπται πρότερον. Conf. SENEC. *de Otio Sap.* cap. 20. Hinc explicandum illud Pythagoricum, λάθε βιώσας· quod deinde plures ſuum fecerunt, vt Zeno cum Stoicis, Epicurus, it. Apollonius Tyaneus ap. PHILOSTRATVM *in eius Vita*, Lib. VIII Cap. XI. De Proclo MAXIMVS *in Vita eius*, *Vsque adeo latebat, quantum ne Pythagoraei quidem, qui praeceptum hoc auctoris ſui, λάθε βιώσας, inconcuſſum ſeruant.* Eodem tendebat decantata illa Pythagoreorum Echemythia. SVIDAS, ἐχεμυθεῖ. ἔχει ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον. SIMPLICIVS *in Comm. ad Epictetum*, Cap. 42 ἡ ὅλη σπουδὴ τῶν παιδευτικῶν λόγων ἐστὶν, ἐπιστρέψαι τὴν ψυχὴν εἰς ἑαυτὴν, ἀπό τε τῶν ἐκτὸς, καὶ ἀπὸ τῶν ἀλόγων ἐν αὐτῇ παθῶν, καὶ τοῦ σώματος. ὥστε τὴν ἑαυτῆς ζωὴν τὴν αὐτὴν ἀεὶ ζῆν. πρὸς δὲ τοῦτο ἡ σιωπὴ τὰ μέγιστα συντελεῖ. διὸ καὶ οἱ Πυθαγόρειοι τῆς καθ' ἑαυτῆς διαγωγῆς ἀρχὴν ἀνυσιμωτάτην συνέταττον τὴν πενταετῆ σιωπήν. CLEMENS Alexandrinus *Stromat. Hoc ſibi vult etiam Pythagorae quinque annorum ſilentium, quod praecipit diſcipulis, vt ſcilicet auerſi a rebus*

bus ſenſilibus, nuda mente Deum contemplarentur. Hanc in rem inſtitutum quoque erat & mane & veſperi apud animum ſuum reputare, quid agendum foret vel quid egiſſent. IAMBLICHVS Lib. I Cap. 29 Πυθαγόρειος ἀνὴρ οὐ πρότερον ἐκ τῆς κοίτης ἀνίστατο ἢ τὰ χθὲς γενόμενα πρότερον ἀναμνησθείη. Qua de re quoque verſus exſtant apud PORPHYRIVM:

Πρῶτα μὲν ἐξ ὕπνοιο μελίφρονος ἐξυπαναστὰς,
Εὖ μάλα ποιπνεύειν, ὅσ' ἐν ἤματι ἔργα τελέσσεις.

HIEROCLES, πρὸς ἑσπέραν δὲ καὶ εἰς ὕπνον τρεπομένους, ὅπως ἂν πέρας τῶν μεθημερινῶν πράξεων τὸ τῆς συνειδήσεως καθέζοιμεν δικαστήριον, ἐπικοίτιον ᾆσμα θεῷ τὴν τῶν διαθέσεων ἀνάκρισιν ποιούμενοι, πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; Quae ſpectant ad hosce *Carminis Aurei* verſus,

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν·
Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου, ἐπέξιθι καὶ μετέπειτα·
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο· χρηστὰ δὲ, τέρπου.
Ταῦτα πόνει, ταῦτ' ἐκμελέτα· τούτων χρὴ ἐρᾶν σε·
Ταῦτά σε τῆς θείης ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει.

Quorum verſuum interpres eſt AVSONIVS in Eidyll. XVI, (quod inſcribitur, De Viro Bono Πυθαγορικὴ ἀκρόασις) vbi poſtquam de tali viro dictum eſt v. 3

Iudex ipſe ſui, totum ſe explorat ad vnguem,

& v. 9

Cogitat, & iuſto trutinae ſe examine pendit,

hoc modo pergit v. 14

Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei:
Quae praetergreſſus? quid geſtum in tempore? quid non?
Cur iſti facto decus afuit, aut ratio illi?
Quid mihi praeteritum? cur haec ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit? miſeratus egentem,
Cur aliquem fracta perſenſi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? vtile honeſto
Cur malus antetuli? num dicto aut denique vultu
Perſtrictus quisquam? cur me natura magis quam
Diſciplina trahit? Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoque a veſpere cuncta reuoluens,
Offenſus prauis, dat palmam & praemia rectis.

CICERO *de Senect.* Cap. XI *Pythagoreorum more, quid quoque die dixerim*

rim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Similiter & alii vitam instituerunt, vt Horatius de se, Sat. I, 4. Sextius apud SENEC. *de Ira* 3, 36 vbi Idem de semet ipso, *Quum sublatum e conspectu lumen est, & conticuit vxor, moris iam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior:* &c.

(12) Vid. locus STOBAEI n. 10 huius. IAMBLICHVS *in Protreptico*, cap. 3 ἀφ' οὗ (post purgationem) δὴ πρώτη μὲν ἔσται κακῶν παῦλα τῶν συμπεφυκότων ἡμῖν ἀπὸ τῆς γενέσεως. ἔπειτα γνῶσις ἡμῖν ἀληθινὴ παρέσται τῆς δαιμονίας καὶ μακαρίας ζωῆς, ὅση ἐστὶ καὶ ὁποία. μεθ' ἧς ἀνιόντες, τὸ ἀρχηγὸν θεῖον γένος τῶν ἀνθρώπων κατοψόμεθα, καὶ εἰς αὐτὸ ἐνιδρυθέντες, τέλος ἕξομεν τοῦ προτεθέντος ὑπὸ τῶν θεῶν μακαριωτάτου βίου. De eodem Adscensu multa passim in Dialogis PLATO. Conf. SENECA, *Quaest. Nat.* Lib. I praef. post med.

(13) IAMBLICHVS *de Vita Pythagorae*, cap. 18 hunc docuisse tradit, *Quicquid bonum & honestum est, ab ipso deo petendum esse: hunc namque in eos, quos amore complectatur, sapientiam & alia eiusmodi bona conferre.* Idem *in Protreptico*, cap. 3 ad illos τῶν χρυσῶν ἐπέων versus, Ζεῦ πάτερ, ἦ πολλῶν &c. *In his versibus vna omnino continetur, eaque optima ad diuinam felicitatem adhortatio, ea nempe quae fit admissis precibus & inuocationibus cum caeterorum deorum, tum eorum principis, hoc est, Iouis. Altera ostendit, datum nobis, & quasi sortito collatum genium, per quem ad deos reducimur. Alioquin namque fieri nequit, vt quis ad diuinam substantiam, quae reuera talis est, perueniat, nisi tali genio, velut duce quopiam vtatur; aut purgare se vllatenus, ac sicut decet, qui deos amant, nisi adminiculo alicuius ex daemonibus.* CARMINA AVREA,

Ἔρχευ ἐπ' ἔργον
Θεοῖσιν ἐπευξάμενος τελέσαι.

§. VII.

Disciplina igitur fere talis erat: Qui in eam admitti cupiebant, prius explorabantur, an apti forent. Quamobrem Naturam eorum, qui accedebant, speculabatur Pythagoras, obseruabatque, quomodo se gererent in risu, silentio, sermone, cupiditatibus atque animi perturbationibus, &c. simul considerabat externam oris corporisque speciem, ac motum incessumque, & vniuersum habitum (1). Quum hoc modo aliquis dignus iudi-

iudicatus erat, ad ἄσκησιν veniebatur: vbi primum facultates suas in commune quasi aerarium conferre cogebatur (2); tum sustinendus erat per sat longum temporis interuallum contemtus (3), & silentium (4), & abstinentia quarundam rerum (5), &c. Inprimis luxus omnis & ad voluptatem comparata viuendi ratio interdicta erat, &c. (6) vultumque semper eundem seruare (7) contendebant. Vestitu vtebantur candido ac mundo (8), &c. Amicitiam inter se & consuetudinem sanctissime colebant (9); & bona habebant communia (10).

(1) GELLIVS Lib. I, 9 *Iam a principio* Pythagoras *adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant*, ἐφυσιογνωμόνει· *id verbum significat, mores naturasque hominum coniectatione quadam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu sciscitari.* MALCHVS s. PORPHYRIVS de Pythagora, οὔτ᾽ ἂν φίλον, οὔτε γνώριμον ἐποιήσατο οὐδένα, πρὶν πρότερον φυσιογνωμονῆσαι τὸν ἄνδρα, ὁποῖός ποτ᾽ ἐστίν. Idem refert exempla, probati quidem Astraei, reiecti vero Cylonis) his verbis, ὁ δὲ (Pythagoras) λαβὼν (Astraeum) καὶ φυσιογνωμονήσας, καὶ τὰς κινήσεις καὶ τὰς ἠρεμίας τοῦ σώματος ἐπεσκεψάμενος, ἐπαίδευσε. ταύτην γὰρ ἠκρίβου πρῶτος τὴν περὶ ἀνθρώπων ἐπιστήμην, ὁποῖος τὴν φύσιν ἕκαστος, ἐκμανθάνων. &c. IAMBLICHVS Lib. I Cap. 17 ἔπειτα θεωρῶν αὐτῶν τοὺς γέλωτας τοὺς ἀκαίρους, καὶ τὴν σιωπὴν, καὶ τὴν λαλιὰν παρὰ τὸ δέον· ἔτι δὲ τὰς ἐπιθυμίας, τίνες εἰσι· καὶ τοὺς γνωρίμους, οἷς ἐχρῶντο, καὶ τὴν πρὸς τούτους ὁμιλίαν· καὶ τὴν χαρὰν, καὶ τὴν λύπην ἐπί τισι τυγχάνουσι ποιούμενοι.

(2) GELLIVS Lib. I, 9 *Omnes simul, qui a Pythagora in cohortem illam discipulorum recepti erant, quod quisque familiae pecuniaeque habebant, in medium dabant.* IAMBLICHVS I cap. 17 ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ (τῆς ἐχεμυθίας) τὰ μὲν ἑκάστου ὑπάρχοντα, τουτέστιν αἱ οὐσίαι, ἐκοινοῦντο.

(3) IAMBLICHVS Lib. I Cap. 17 ὅντινα δοκιμάσειεν οὕτως, ἐφίει τριῶν ἐτῶν ὑπερορᾶσθαι. it. δοκιμάζων, πῶς ἔχει βεβαιότητος καὶ ἀληθινῆς φιλομαθίας, καὶ εἰ πρὸς δόξαν ἱκανῶς παρεσκεύασθαι, ὥστε καταφρονεῖν τιμῆς. ALEXIS *apud Athenaeum*, Lib. IV Cap. 17 *Sordes oportuit ferre, ieiunium, coeli rigorem, silentium, tristitiam, illuuiem.* CRATINVS de Pythagoreis, *apud Diog. Laërtium, Eis consuetudo est, si quem simplicem vndecunque nacti fuerint ingressum, experimentum facturum, quantum dicendi viribus valeant, perturbare illum, obiectionibusque versare, conclusionibus, inaequalitatibus, fallaciis, magnitudinibus, callidissime.*

(4) PLVTARCHVS *de Curiositate*, Πυθαγόρας ἔταξε τοῖς νέοις πενταετῆ σιωπὴν, ἐχεμυθίαν προσαγορεύσας. De quinquennali tempore, velut ordinario, conueniunt auctores, vt IAMBLICHVS, LYSIS Pythagoricus *in Epistola ad Hipparchum*, Diogenes LAERTIVS, SIMPLICIVS *ad Epictetum* Cap. 42, CLEMENS Alexandrinus *Stromat.* LVCIANVS *in Auctione vitarum*, HIERONYMVS *in Eccles.* cap. 3, SERVIVS *ad Virg. Aen.* X, &c. Nonnunquam tamen exceptio obtinuit: vid. GELLIVS I, 9. APVLEIVS *in Floridis*, *Non in totum tamen vocem desuescebant, nec omnes pari tempore elingues magistrum sectabantur; sed grauioribus viris breui spacio satis videbatur taciturnitas modificata: loquaciores enimuero ferme in quinquennium, velut in exilium vocis mittebantur.* IAMBLICHVS Lib. I Cap. 32 *Ea quae propria maxime essent ac potissimum continerent praecepta sectae, inter se custodiebant omnes omni tempore accurata echemythia, nec ad exteros efferebant, quae proferri nefas reputabant.* Add. ib. c. 31. Ipsius Pythagorae praeceptum est apud Diog. LAERTIVM, μὴ εἶναι πρὸς πάντας πάντα ῥητά. Pythagoras aliquando interrogatus ab aliquo, quomodo in sapientium discipulorum numerum adscribi posset? respondisse fertur, *Si serues silentium, donec loqui sit necessarium: si nihil dixeris, nisi quod bene scieris: si feceris optima, & locutus fueris paucissima.*

(5) IAMBLICHVS Lib. I Cap. 24 ἀπεδοκίμαζεν (Pythagoras) τὰ πνευματώδη καὶ ταραχῆς αἴτια. it. τὰ τοῖς θεοῖς ἀλλότρια, ἢ ἱερά. it. τὰ πρὸς τὴν καθαρότητα τῆς ψυχῆς, καὶ ἁγνείαν, καὶ σωφροσύνης ἢ ἀρετῆς ἕξιν, καὶ εὐάγειαν, ἐναντίως ἔχοντα.

(6) CARMINA AVREA,

Ἀλλὰ ποτῶ τε μέτρον καὶ σίτω γυμνασίων τε
Ποιεῖσθαι· μέτρον δὲ λέγω τόδ', ὃ μή σ' ἀνιήσει.

HIEROCLES *in Comm.* *Omnem fugiet* philosophus *corporis faciendi curam, quippe quae repugnat intelligenti animae luci.*

CARM. AVR.

- - - κρατεῖν δὲ ἐθίζεο τῶνδε,
Γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, λαγνείης τε.

ALEXIS *apud Athenaeum*, Lib. IV cap. 17

- - οἱ (Pythagorici) δὲ ἡμέρας
Δειπνοῦσι πέμπτης ἀλφίτων κοτύλην μίαν.

Quod Casaubonus ita explicat, *Hoc dicit, quarto quoque die solum edere; & nihil edere nisi mazam factam ex cotyla farinae hordeaceae: erat autem cotyla, octaua pars choenicis, qui censebatur legitimus modus diurni alimenti personae vnius.* Conf. IAMBLICHVS Lib. I cap. 31.

(7) Vid. LAERTIVS in Pythagora. THEAGES in Fragm. *de Virtutibus*, *Debet virtus, quum decori sit habitus & affectuum mediocritas, nec stupida esse nec immodice affici: vt enim stupor immotum & languidum*

ad

ad honestatem reddit animum, ita confusum & imperitum immodica perturbatio. Archytas *de Morum doctrina, Mediocritatem affectuum sectari debemus: siquidem stuporem aeque ac immodicam perturbationem fugimus.* Iamblichvs Lib. I cap. 31 *Quoad animum, eodem semper modo se habebant, non vt nunc quidem essent hilares, nunc vero tristes, sed eodem modo leniter laeti. Iras quoque omnesque animi perturbationes expellebant.* Cicero *de Officiis* I c. 26 pr. *Praeclara est aequabilitas in omni vita, & idem semper vultus eademque frons: vt de Socrate, item de C. Laelio accepimus.* Sic & *Animi totius cum concinnitate pacem & harmoniam*, praecipit Polvs in Fragm. Libri *de Iustitia.* Hinc ducenda ratio Symboli Pythagorici, *Ne stateram transilias.*

(8) Iamblichvs Lib. I cap. 21 ἐσθῆτι δὲ χρῆσθαι λευκῇ καὶ καθαρῇ, praecipiebat Pythagoras. Sosicrates *apud Athenaeum*, Lib. IV cap. 18 de veteribus Pythagoricis dicit, eos fuiſſe λαμπρᾷ τε ἐσθῆτι ἀμφιεννυμένους. Melissa Pythagorica, *in Epistola ad Claretam*, *Oportet modestam & liberam coniugem veste candida esse amictam, mundamque & simplicem, at non sumtuosam ac luxuriantem.*

(9) Iamblichvs Lib. I cap. 35 refert, Pythagoreos dicere consueuiſſe de magiſtro ſuo,

Τοὺς μὲν ἑταίρους ἦγεν ἴσον μακάρεσσι θεοῖσι.

Cicero *de Officiis* Lib. I, 56 c. 17 *Pythagoras vult in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus.* Idem ibid. Lib. III, 9 extr. *Damonem & Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, vt, quum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinauisset, & is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum caussa postulauisset, vas factus sit alter, eius sistendi, vt, si ille non reuertisset, moriendum esset ipsi. Qui quum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petiuit, vt se ad amicitiam tertium adscriberent.* Multa hanc in rem Iamblichvs *de vita Pythagorae* cap. XVI n. 69. Cap. XXII n. 102. Cap. XXX n. 181. Cap. XXXIII n. 229. 230. 234. 237. Exempla plura enarrat Idem Cap. XXVII n. 162. Avsonivs, *Eidyll.* XV, 31

Viue & amicitias semper cole! crimen ob istud
Pythagoreorum periit schola tota sophorum:
Hoc metuens igitur, nullas cole! crimen ob istud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.

(10) Iamblichvs Lib. I Cap. 6 *Habuit* Pythagoras *permultos sectatores, non modo traductos ab ipso ad philosophiae studia, sed & congregatos in coenobium, vt vocant, ex eius instituto: erantque hi philosophi.* Gellivs Lib. I Cap. 9 *Coibatur societas inseparabilis, tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod in iure, absque verbo Romano, appellatur κοινόβιον.* Inde profluxit Platonica rerum communio: idemque mos ad monaſteria transiit. Vid. Holstenivs *ad Porphyrium*, n. 20.

§. VIII.

§. VIII.

Inſtitutio pro diuerſitate profectuum varia erat: *Exoterica* enim de iis rebus praecipiebat, quae pertinent ad vitam communem atque ciuilem recte prudenterque agendam (1), *Acuſmatica* vero ſ. *Acroamatica* de iis, quibus vitam philoſophicam contineri putabant (2); vtraque ſimplici praeceptionum genere comprehenſa erat, nec rationes demonſtrationesue traditorum adiunctas habebat (3). Contra fiebat in ſublimiori philoſophandi ratione, quae *Eſoterica* dicebatur: cuius prima pars, *Mathematica* (4); altior, *Phyſica* (5); ſuprema, *Theologia* (6). In inferiore diſcendi ordine adhibebantur Sententiae, Aenigmata ſ. Problemata, Oracula, Similitudines, Symbola (7): in Eſoterica autem tractabatur Numerorum ac Geometriae ſcientia, ad quam doctrinam deinde reliqua omnia exigebantur (8).

(1) Vid. Io. SCHEFFER. *de Philoſophia Ital.* Cap. X poſt initium: qui appellationis rationem hanc reddit, quod Exoterica quidem ſpectauerit ad τὺς ἔξω, *id eſt eos, qui eſſent extra ſcholam Pythagoricam; qui audiebant quidem Pythagoram & Pythagoricos, ſed tamen in ſectam & ſocietatem eorum non transierant, verum priſtinum viuendi genus ſeruabant, ſuaque in ciuili vita obibant munia.* - *At vero* Eſotericam *vocabant eam, quae pertinebat ad* τὺς ἔσω, *id eſt eos, qui ſubduxerant ſe a vulgo vitaque ciuili, ac conceſſerant in ſcholam Pythagoricorum, philoſophi futuri, victurique ex decretis regulisque ſectae, poſthabita communi illa & in ciuitate recepta conſuetudine.* Iac. autem BRVCKERVS, *in Hiſt. Philoſ.* Part. II ſ. Lib. III Cap. X Qu. XII n. III & IV propterea ſic appellatas eſſe putat has diuerſas docendi vias, quod, quum Pythagoras intra velum docuerit, illi qui extra velum praecepta viuendi accipiebant, nec dum ipſum Pythagoram audire poterant, *Exoterici* vocati fuerint, h. e. extra velum conſtituti; contra illi, quibus iam permiſſum erat ad ipſum Pythagoram intro accedere, *Eſoterici.* Conf. SCHEFFER. pag. 100 & 126 ſeq. qui priore loco diſertis verbis, *Non*, inquit, *Pythagoram, quum adhuc viuus eſſet, audiebant ipſum, ſed*

sed ab vno seniorum ex discipulis ipsius dogmata accipiebant: ipse discretus ab eis post sindonem versabatur, sicuti Iamblichus testatur. Quod autem antea Idem dixit, *Exotericos audiisse* etiam *Pythagoram*, id intelligendum de auditoribus, quum publice verba faceret Pythagoras; non de discipulis scholae. Caeterum, quemadmodum Idem pag. 84 ait, *Exoterica continebat & praecepta de rep. & de vita priuata: illa ostendebant officia cum magistratuum erga ciues, tum ciuium erga magistratus; haec officia parentum erga liberos, ac vicissim, coniugum erga maritos, iuniorum erga seniores, ac vicissim. Habenturque eximia exempla apud Iamblichum Pythagorae ipsius, talia tradentis, Lib. I Cap. 8 & seq. Neque scio satis, an non ad philosophiae huius partem spectent pleraque ea scripta, quae ex Pythagoricis supersunt, vt* Archytae *de doctrina morali, viro bono, lege ac iustitia:* Hipparchi *de tranquillitate animi:* Euryphami *de vita:* Metopi *de virtute:* Perictionis *de mulieris concinnitate:* Pempeli *de parentibus:* Damippi *de prudentia & bona fortuna*, &c. Sic ipse Pythagoras, referente IVSTINO Lib. XX Cap. IV n. 5 seqq. *Populum* Crotoniensem, *in luxuriam lapsum, auctoritate sua ad vsum frugalitatis reuocauit. Laudabat quotidie virtutem: & vitia luxuriae, casusque ciuitatium ea peste perditarum enumerabat, tantumque studium ad frugalitatem multitudinis prouocauit, vt aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur. Matronarum quoque separatam a viris doctrinam, & puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam, & obsequia in viros: nunc illos modestiam & literarum studium. Inter haec velut genitricem virtutum, frugalitatem omnibus ingerebat, consecutusque disputationum assiduitate erat, vt matronae auratas vestes, caeteraque dignitatis suae ornamenta, velut instrumenta luxuriae deponerent, eaque omnia, delata in Iunonis aedem, ipsi deae consecrarent, prae se ferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse. In iuuentute quoque quantum profligatum sit, victi feminarum contumaces animi manifestant.*

(2) SCHEFFER. Cap. X p. 82 *Acroamatica continebat ea, quae ad vitam pertinebant philosophicam, & spectabant tantum ad eos, qui futuri essent Pythagorici.* IAMBLICHVS Lib. I Cap. 18 *Omnia haec Acusmata diuidebantur in tres species: vna continebat ea, quae, quid quidque sit, significant; altera, quae, quid sit maxime; tertia, quae, quid faciendum sit aut non sit.*

(3) IAMBLICHVS Lib. I Cap. 18 *Consistit Acusmaticorum philosophia in auscultationibus nudis, absque vllis demonstrationibus rationibusue: e. g. ita faciendum est, & sic deinceps.* SCHEFFER. p. 80 *In Exotericis tradebantur omnia absque subtilibus & abstrusis speculationibus philosophicis, & rationibus: quas si quando adhibebant, sicut adhibebant saepe, eas desumebant ex communi vita vsuque quotidiano, ex euentu exemplisque; atque ita de his talibus non philosophice, sed practice ac populariter disserebant.*

(4) GELLIVS Lib. I, 9 *Dicebantur*

tur μαθηματικοὶ *ab eis artibus, quas iam discere atque meditari inceptauerant, quoniam geometriam, gnomonicam, musicam, caeterasque item disciplinas altiores* μαθήματα *veteres Graeci appellabant.* IVSTINVS *in Dial. cum Tryphone, Ad Pythagoricum quendam magni nominis, multique in sapientia supercilii virum, accessi, & cum eo, auditor eius & discipulus esse volens, egi. Ibi, quid? inquit ille; versatusne es in musica, & astronomia, & geometria? An existimas, quidpiam te perspicere eorum posse, quae ad beatitudinem conducunt, nisi haec prius cognoueris, quae animum a sensibilibus ad intelligibilia percipienda aptum commodumque reddunt, vt id ipsum, quod pulchrum & quod bonum est, contemplari queas?* Inde est, quod PLATO foribus Academiae inscripsit, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω· qui & mathesin appellauit προπαιδείαν, itemque κατὰ παίδευσιν ὁδὸν· XENOCRATES vero, λαβὰς φιλοσοφίας.

(5) GELLIVS l. c. *Exinde his* (mathematicis) *scientiae studiis ornati, ad perspicienda mundi opera, & principia naturae adscendebant; ac tunc denique nominabantur* φυσικοί. SCHEFFER. pag. 94 *Agebant in hac parte de principiis rerum, de corporibus & elementis, & id genus aliis: sicut ex Ocello Pythagorico cognoscimus.*

(6) SCHEFFER. pag. 92 *Vltima & praestantissima Esotericae philosophiae pars, de Deo & diuinis, quam Theologiam vulgo appellabant.* IAMBLICHVS Lib. I Cap. 29 *Hanc igitur ab initio circa intelligibilia & quae pertinent ad deos, scientiam prodit,* (philosophia Pythagorae) *postea docet omnia physica & naturalia.* Huc referenda Metaphysica ARISTOTELIS.

(7) Exemplo sint γνῶμαι Secundi philosophi, ab Holstenio editae; itemque Demophili, & Aristoxeni, ipsiusque Pythagorae, a STOBAEO relatae; Democratis χρυσαῖ γνῶμαι, cum illis Demophili coniunctim editae; ipsa χρυσᾶ ἔπη. SIMPLICIVS, de Epicteti praeceptis, κομματικοὶ δέ εἰσιν οἱ λόγοι, καὶ γνωμικοὶ, κατὰ τὸ τῶν ὑποθηκῶν καλουμένων παρὰ τοῖς Πυθαγορείοις εἶδος. SENECA Epist. 94 quum de eiusmodi institutione loquitur, appellat *oracula, & praecepta carmini intexta, aut in sententiam coarctata.* Pertinent huc illa sic dicta γνωμικὰ ὁμοιώματα, ap. IAMBLICHVM Lib. II Cap. XX in fine: item liber Demophili, quem inscripsit ὅμοια. De *Aenigmatis* vid. SCHEFFER. pag. 85 seqq. De *Symbolis* peruulgata res est.

(8) IAMBLICHVS, *Pulchram quidem Pythagoras* aiebat *esse faciem huius vniuersi, & siderum, quae in eo feruntur, si quis velit contueri, ordinem: sed hoc secundum communicationem eius, quod est primum, atque intelligibile tale. Primum autem Pythagorae dicebatur natura numerorum rationumque, quae in omnibus cernitur, & secundum quam haec omnia sunt composita scite, & ornata conuenienter.* Idem Lib. I Cap. 18 *Naturam numerorum, qua deorum indoles naturaque definitur, didicit ab Orphicis.* SEXTVS Empiricus *contra Mathematicos, Doctissimi ex physicis magnam vim tri-*

tribuerunt numeris: ii autem sunt sectatores Samii Pythagorae. Philosophabantur autem e. c. hunc fere in modum: Omnium rerum principium & origo Monas est: cui si alterum accedit, Dyas exsistit indefinita: ex hac deinde Monade & Dyade omnia facta & procreata sunt: Monas autem est principium actiuum, Dyas vero passiunm s. materia: Corpus exsistit ex puncto, linea, & superficie; corpus respondet Tetracty, punctum Monadi, linea Dyadi, superficies Triadi, &c. v. BRVCKER. l. c. Quaest. XXII n. XVIII seqq.

§. IX.

Et ista quidem sufficiant ad declarandum, qualis tempore Hippocratis fuerit philosophiae status, quantum ille praesenti libello lucem afferre videtur. Nunc quoque nonnihil de conditione, quam Medicina illis temporibus subierit. Iam autem *superstitioni* (1) *in medicina derogauerat Philosophiae exortus: ex quo tempore sui iuris fieri, & a templis abstrahi coepit:* quemadmodum loquitur Io. Henr. SCHVLZE *in Historia Medic.* Period. I Sect. II Cap. IV. §. III. Neque tamen adeo felix iisdem temporibus erat artis medicinalis status (2), vt non complures artem facere & profiteri aggressi fuerint, qui neque legitima ratione eam didicerant, neque aliis naturae & eruditionis praesidiis necessariis instructi erant (3): quorum etiam culpa factum est, vt cum ipsis ars quoque minus honesta & gloriosa vulgo haberetur (4). Legitimus autem addiscendae medicinae mos erat, vt disciplinae alumni magistros in faciendis artis operibus comitarentur, praecepta cum communiora tum magis recondita perciperent, ipsisque rerum documentis experimentisque comprobata & quasi repraesentata cognoscerent; sed & ad administranda quaecunque medicinae negotia pro modo profectuum adhiberentur (5). Medici munus, omne officiorum genus continebat, quae eius nominis amplitudinem implent (6): quare nec dum in partes medicina diducta erat (7);

 mini-

ministrorum (8) tamen opera vtebantur medici, quum non omnia ipsi per se agere possent. Praeterea Medici illorum temporum peregrinationes instituere consueuerant artis exercendae gratia (9).

(1) Vid. supra §. V not. 1 §. 8.

(2) Conf. Celeb. SCHVLZIVS all. libro, Per. I Sect. III Cap. VI.

(3) Loca apud Hippocratem iam adduxi in Comm. *de Eo in Medico quod nec dici nec scribi potest*, §. XXI n. 9. it. ibid. §. III & §. VI extr. & alibi subinde. Vid. HIPPOCRATIS Νόμος & Ὅρκος & praesertim in praesente lib. Sect. II & IV cum Commentar. Idem legitimum medicum vocat ὁμότεχνον· μεμεληκότα τὰ τῆς τέχνης ἀνυπεύθυνα, ἐφ' οἷς ἂν ἰητρὸς ἀγαθὸς ἀκμάζοι, ὁμότεχνος καλεόμενος. Παραγγελ. VI Lind.

(4) HIPPOCRATES in Νόμῳ pr. Ἰητρικὴ τεχνέων μὲν πασέων ἐστὶν ἐπιφανεστάτη· διὰ δὲ ἀμαθίην τῶν τε χρεωμένων αὐτῇ, καὶ τῆς εἰκῇ τοὺς τοιούσδε κρινόντων, πολύ τι πασέων ἤδη τῶν τεχνέων ἀπολείπεται,

(5) Testatum hoc faciunt complura apud HIPPOCRATEM loca in libellis περὶ ἰητροῦ, περὶ εὐσχημοσύνης, παραγγελιῶν, &c. praesertim Νόμος, & Ὅρκος, in quod *Commentarius* Io. Henr. MEIBOMII conferendus est: vbi Cap. XI speciatim tractatur de duplici medicinalis institutionis genere, παραγγελίᾳ & ἀκροάσει.

(6) Hoc vel inde pateat, quod in Hippocraticis libris omnis generis morborum curationes & praecepta proponuntur.

(7) Id quod demum paullo post Hippocratem accidit, quando, referente CELSO in Praef. *in tres partes medicina diducta est, vt vna esset, quae victu; altera, quae medicamentis; tertia, quae manu mederetur: primam*, διαιτητικὴν· *secundam*, φαρμακευτικὴν· *tertiam*, χειρουργικὴν *Graeci nominauerunt*. Illam tamen Chirurgiae partem, qua calculi curatio sectione peragitur, singulari proprioque studio a nonnullis iam circa tempora Hippocratis fuisse excultam & exercitam, probant illa *Iurisiurandi* verba, οὐ τεμέω δὲ οὐδὲ μὴν λιθιῶντας· ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε. Vid. in h. l. Commentarius Io. Henr. MEIBOMII. Loquor autem nunc tantum de Graecanica medicina: nam apud Aegyptios, Malabares, &c. constat aliter comparatum fuisse, & officium medici ita diuisum, vt particularia morborum genera suam sibi quaeque medicorum classem attributam haberent, & vna v. c. medicorum familia curaret oculi solius morbos, alia dentium, aurium alia, &c. CIC. *de Orat.* III c.33 *An tu existimas, quum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui morbis; alios, qui vulneribus; alios, qui oculis mederentur?*

(8) Hi erant, praeter filios cum ipsius medici Magistri, tum huius Praeceptorum, οἱ μαθηταὶ συγγεγραμμένοι τε καὶ ὡρκισμένοι νόμῳ ἰητρικῷ, vt dicitur in Ὅρκῳ. Iidem erant vel liberi vel serui: vid. PLATO *de Legib.*

gib. Lib. IV non longe ante finem, pag. 602 Laemar. it. ibid. lib. 1 & 9, citante *Zuingero* p. 80 & 87. Io. Henr. SCHVLZIVS *in Hist. Medic.* Period. I Sect. III Cap. VI § XLVII.

(9) Quo pertinet, quod in Νόμῳ dicuntur medici ἀνὰ τὰς πόλιας φοιτεύειν. Conf. GALEN. in l. ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος, de Hippocrate ipso. Dan. Wilh. TRILLER. *in Epistola ad Ioh. Freind*, pag. 18. Io. Henr. SCHVLZ. *in Hist. Medic.* Period. I Sect. II Cap. VII §. XLVII vbi exemplum Democedis affert.

§. X.

Multa Medicorum scripta exstitisse suo tempore, testatur Socrates apud XENOPHONTEM *Memorabil.* Lib. IV. * *Neque illud forte quisquam negauerit, torporem Asclepiadis primum excussisse Philosophos, quum se rei medicae dedere & sanitatis, morborum, vitae, mortisque caussas scrutari, sua industria dignum laborem existimare inciperent; & non solum de his frequentius inter homines disserere, verum etiam meditationes suas scriptis libris propagare instituerent:* vt scribit Io. Henr. SCHVLZE *in Hist. Medic.* Period. I Sect. II Cap. V §. XI. Adeoque, auctore CELSO *in Praefatione, Primo medendi scientia, sapientiae pars habebatur;* & paullo post, *Ideoque multos ex sapientiae professoribus peritos eius* (medicinae) *fuisse accepimus, clarissimos vero ex his Pythagoram, & Empedoclem, & Democritum.* Sed pergit Idem CELSVS, *Huius autem,* (Democriti) *vt quidam crediderunt, discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis, ab studio sapientiae disciplinam hanc separauit.*

* Ipse hoc passim significat HIPPOCRATES, e. c. περὶ Ἀρχῶν pr. περὶ ἀρχαίης Ἰητρικ. passim, περὶ Διαίτ. 1 pr. περὶ Κρισίμων pr.

§. XI.

Quanam vero ratione Hippocrates separasse a Philosophia Medicinam intelligendus sit, declaraturus Celeb.

SCHVLZIVS, *in Hiſtoria Medicinae*, Period. I Sect. III Cap. I §. vlt. ita ſcribit, *Hippocrates a Philoſophia Medicinam ſeparauit hoc ſenſu, vt nihil voluerit ex philoſophia ad medicinam a priori* (1) *diſcendam adferri: rationalis autem medicinae diaeteticae auctor illo dicitur intuitu, quod ex ipſis phaenomenis, quae praxis quotidiana ſuppeditat, colligendam eſſe philoſophiam naturalem, medico vtilem & neceſſariam, ſuos admonuerit, & exemplo optimo in hoc ſtudio praeiuerit. Atque adeo phyſica* (2) *Hippocratis doctrina nihil fuit praeter collectionem obſeruationum, per experientiam cognitarum, de effectibus rerum extra nos poſitarum, corpus noſtrum, ſi vel intro ſumta ſunt, vel quocunque modo nos affecerunt, iuuandi vel laedendi viribus inſtructarum. Omnem autem ſpeculationem, hos fines excedentem, inutilem medicinae cenſuit, & ad ſophiſtas amandauit.* Denique, ait Idem Period. II Cap. IV §. II, *Separauit a medicina philoſophiam, non vt disiungeret & philoſophiam excluderet; ſed vt ſeorſim eam colendo, incrementa artis promoueret.* Aliter tamen hac de re ſentit Auctor Disp. *de Fortuna Medica*, Praeſ. Ill. HEISTERO habitae 1722, §. II. Si quid ego vero hic iudico, ſimpliciſſimum mihi & hiſtoriae illorum temporum maxime conſentaneum videtur, eam ſeparationem ita interpretari, vt, quum adhuc ſophiſtae aut philoſophi praecepra quoque medicinae contemplando, diſſerendo, ratiocinando explicuerint atque tradiderint, Hippocrates ab eorum ſcholis abſtraxiſſe medicinalem artem dicatur, & defendiſſe, eam a Medicis, inter ipſam operum exercitationem, tradi diſcipulis debere (3).

(1) HIPPOCRATES in Παραγγελιῶν pr. Δεῖ γε μὴν ταῦτα εἰδότα μὴ λογισμῷ πρότερον πιθανῷ προσέχοντα ἰητρεύειν, ἀλλὰ τριβῇ μετὰ λόγου. Ὁ γὰρ λογισμὸς, μνήμη τίς ἐστι ξυνθετικὴ τῶν μετ᾽ αἰσθήσεως ληφθέντων. Ἐφαντασιώθη γὰρ ἐναργέως ἥτε αἴσθησις, προπαθὴς, καὶ ἀναπομπὸς ἐοῦσα εἰς διάνοιαν τῶν ὑποκειμένων· ἡ δὲ, παραδεξαμένη πολλάκις, οἷς, ὅτε, καὶ ὁκοίως, ταῦτα τηρήσασα, καὶ ἐς ἑωυτὴν καταθεμένη, ἐμνημόνευσε.

σε. Ξυγκαταινέω μὲν ὦν καὶ τὸν λογισμὸν, ἤνπερ ἐκ περιπτώσιος ποιῆται τὴν ἀρχὴν, καὶ τὴν καταφορὴν ἐκ τῶν φαινομένων μεθοδεύῃ. κ. τ. λ. h. e. *Qui igitur haec de temporis & opportunitatum ratione ad curationem morborum nouerit, illum decet ipsius artis exercitationibus frequenter interesse in iisque ipsum versari, & attentum ad ea, quae circa hoc opus accidunt, inde rationem suam veris medendi praeceptis instruere; non autem antea ad probabiles ratiocinationes animum aduertere, & methodo ex istis sibi fabricata, ad medicinam faciendam aggredi. Nam & ipsa ratiocinatio nihil aliud esse debet quam talis mentis operatio, qua ea, quae per sensuum ministerium percepit mens, memoriâ comprehendit, & tum inter se componit. Sensus enim ab obiectis antea perculsi, rerum imagines clare recipiunt, vnde sensatio; & ab hac referuntur percepta ad intellectum, vt hic quoque obiecta cognoscat. Intellectus autem, postquam hoc modo saepius, quae sensus obtulerunt, suscepit, & inprimis quoque diligenter animaduertit, quibus sigillatim hominibus, quo item tempore, & quali denique modo phaenomena circa corpus sanum aegrumue contingunt; haec custodit obseruata, &, quum apud se eadem velut deposuerit, postea quandocunque opus est, recordatur. Quare laudandam equidem esse ratiocinationem consentio, siquidem ea initium capiat ab obseruatione earum rerum, quae reuera in natura accidunt, & tum ad ea, quae prona inde consecutione manant, secundum phaenomena, legitima via atque ordine progrediatur.*

(2) Hippocr. *de Sterilibus*, XVIII ab init. p. 635 T. II Lind. Πειρῶ δὲ φυσικὸς εἶναι, πρὸς τῆς ἀνθρώπου τὴν ἕξιν καὶ τὴν ἰσχὺν ὁρῶν. *Caeterum, conare, vt physicus sis, ad hominis habitum ac robur respiciens.* Et *de Vet. Medicina*, XXXVI 18 Μοὶ δοκέει ἀναγκαῖον εἶναι παντὶ ἰητρῷ, περὶ φύσιος εἰδέναι, καὶ πάνυ σπουδάσαι, ὡς εἴσηται, εἴπερ τι μέλλει τῶν δεόντων ποιήσειν. Conf. Celeb. Schulzii Diss. *de Medico Physico*, §. X & XI.

(3) Hac de re pluribus in Commentario I.

§. XII.

Speciatim, de *Logica* * Hippocratis iudicari quodammodo potest ex ipsius verbis, ad §. praecedentem in Annotatione (1) productis. De *Physica* iam vidimus eodem §. *Theologiam* eius *Naturalem* cum Psychologia &c. commodius in Commentar. ad Sect. VII vbi praecipuus hac de re locus exstat, me tractaturum existimo. *Moralem* Philosophiam eum ipsa viuendi resque suas agendi ratione, maxime coluisse, cum illi libelli, quibus Medicum for-

mat,

mat, ſunt teſtimonio, tum hoc, quod Celeb. SCHVLZIVS *in Hiſtoria Medic.* Period. I Sect. III Cap. I §. XXV affirmat, *Non meminiſſe ſe quicquam legere apud veteres auctores, quo vitiorum inſimularetur Hippocrates.* Conf. G. C. SCHELHAMMERI Progr. cum Aphoriſmorum Hippocratis publicam interpretationem aggrederetur, P. P. 1685.

* Formulas Hippocratis, *quas haut raro non abſimili Geometrarum more, re ex cauſſis demonſtrata, appoſuit*, prolatis ſcriptorum locis videre licet in *Theologia Hippocratis Naturali*, praeſide Io. And. SCHMIDT diſputata Ienae 1691, Cap. I §. 2 p. 4. De ea *praxis Logicae parte, qua de ſcriptis iudicare informamur*, affertur ib. locus ex pr. libri *de diebus Iudicatoriis*, Μέγα μέρος ἡγέομαι τῆς τέχνης εἶναι. τὸ δύνασθαι κατασκοπέεσθαι περὶ τῶν γεγραμμένων ὀρθῶς· ὁ γὰρ γνοὺς καὶ χρεόμενος τούτοισιν, οὐκ ἄν μοι δοκέει μέγα σφάλλεσθαι κατὰ τὴν τέχνην. Atque adeo Logicam medicinam inueniſſe perhibetur Hippocrates: vid. ISIDOR. *Origg.* IV, 3. 4. SORANVS Epheſius, praef. in *Art. Med. Iſagog.* GALEN. *de Humorib.* I, 1 & I, 7. De Heuriſtica, lib. *de Arte*, poſt pr. Ἐμοὶ τὸ μέν τι τῶν μὴ εὑρημένων ἐξευρίσκειν, ὅ,τε καὶ εὑρεθὲν κρέσσον ἢ ἀνεξεύρετον, ξυνέσιος δοκέει ἐπιθύμημά τε καὶ ἔργον εἶναι· καὶ τὸ τὰ ἡμίεργα ἐς τέλος ἐξεργάζεσθαι, ὡσαύτως.

§. XIII.

Ex quibus omnibus ſatis arbitror intelligi, & ex praeſentis libelli perlectione ſubiunctoque Commentario adhuc manifeſtius intellectum iri, Hippocratem nulli quidem proprie Philoſophorum ſectae nomen dediſſe; nihilo tamen minus, quum ad artem ſuam quam optime rectiſſimeque exercitandam acri cura ſtudioque incumberet, omnia, quae eo faciunt, praeſidia ſolicite diligenterque circumſpexiſſe, & ad medicinam bene ac ſapienter faciendam traduxiſſe: cuius generis quum plurima quoque in quibuslibet Philoſophorum diſciplinis atque Sectis deprehendantur, eatenus cum iſtis conuenire Hippocrati dicendum eſt; quumque ex Pythagorica potiſſimum

mum ſchola reliquae tunc temporis in Philoſophia agitatae quaeſtiones, decreta, ac praecepta promanaſſe putentur; eademque ſchola Medicinam quoque prae caeteris coluerit, (vid. §. X & IV) igitur Hippocratem potiori iure dici poſſe cenſeo, Pythagoricae diſciplinae praecepta reſpexiſſe, vbi de rebus ad Philoſophiam pertinentibus loquitur, quam cuiuscunque alterius diſciplinae *.

* HIPPOCRATES de ſe ipſo, περὶ ἀρχῶν ab initio, *Ego ad hunc vsque ſermonem communibus ſententiis vtor, tum aliorum, qui me praeceſſerunt, tum etiam meis. Neceſſe enim eſt, commune principium ſententiis ſupponere eum, qui velit hanc de arte medica tractationem componere. - Nunc autem ipſe meas ſententias profero.* Porro, ne ego ſolus Hippocratem inter Pythagoriſtas vel quaſi retuliſſe videar, praeter V. Cel. Io. Matthi. GESNERVM, cui propter editam Diſſ. de ψυχαῖς Hippocratis eandem ſententiam tribuit Exc. HALLERVS, in *Annott. ad Boerhaauii Prael. in proprias Inſt. Med.* Προλεγ. §. XIII not [1]: iam CELSVS, Lib. III, 4 p. 134 ed. Ien. 1713, vbi de Hippocratis obſeruatione dierum Criticorum agit, diſerte pronunciat, *Verum in his quidem antiquos, tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt.* Communiter quidem *Heracliteum* faciunt Hippocratem. Sed, vt taceam, Heraclitum ipſum ſua accepiſſe a Pythagoreis, ſicut oſtendit BRVCKERVS, vbi de Heraclito agit: conſtat, illum virum medicis admodum infenſum fuiſſe, & inter alia dixiſſe, *Ni Grammatici eſſent, Medicos omnium mortalium ſtultiſſimos haberi poſſe.* Vid. le CLERC, dans *l'Hiſt. de la Medec.* I Part. Liv. II Chap. VI & Liv. III Chap. XIX not. 7. Idem quam diuerſus ingenio moribusque fuerit ab Hippocrate, docet M. Ioh. Chriſti. RABE in Diſſ. qua *Hippocratem Barbaris operam negantem ſiſtit*, hab. Lipſ. 1722, §. VIII: ibidemque, *Neſcio*, ait, *quî factum ſit, vt Hippocratem Heracliti ſectatorem perhibuerint: reuera fabulae inſtar traditum eſt & propagatur*; quod deinde productis ſententiarum documentis demonſtrare intendit. Contra, G. C. SCHELHAMMER. in Diſſ. *de Medico Philoſopho ἰσοθέῳ*, Theſ. VI, *De Philoſophia illius temporis*, inquit, *conſtat*, Pythagoricam *quidem tum iam interiiſſe:* Socraticam *vero, vtpote moralis doctrinae potius ſectatricem, minus ad artem fuiſſe accommodatam, cum de cauſſis rerum naturalium ſcire ſe vnum id diceret Socrates, quod nihil ſciret.* & Theſ. VII, *Fuit Hippocrates* Platoni *quidem coaeuus, ſed ab illo diuerſiſſimam coluit philoſophiam. Nam is a Deo ad creaturas deſcendebat: noſter vero contrario modo per opera naturae cognoſcebat & τὸν θεὸν & τὸ θεῖον, id eſt, naturae limites egrediens; non*

 enim

enim aliunde de eo quam ex obſeruationibus, ipſi conſtitit. (Theſ. VIII) *In quo, vt in plerisque aliis, cum* Peripato *ita conſentit, vt non iniuria forte dixerim,* Ariſtotelem *non modo hanc methodum, ſed & ſua principia, tam in arte ratiocinandi, quam in naturali philoſophia, magnam partem vel ex ipſo Hippocrate hauſiſſe, vel alioqui cum Hippocrate idem ſenſit. Nam & quatuor Qualitates primae, & Analytica argumentandi ratio, & Moralis doctrinae principia Ariſtotelica, tam clare in eius libris exſtant, vt ex eo eſſe confecta, vix liceat dubitare: quicquid etiam de libro* de Priſca Medicina *fiat.*

§. XIV.

Illud adhuc peculiari animaduerſione dignum videtur, quod Hippocrates in omnibus rebus potiſſimum ad *Naturam* cognoſcendam atque ſequendam ſibi reſpiciendum exiſtimauit: id quod cum ex innumeris ipſius ſcriptorum locis manifeſtum eſt, vbi ad *Naturam* prouocat; tum hoc Platonis teſtimonio confirmatur, *in Phaedro,* pag. 354 E Laemar. p. 270 C Tom. III H. Steph. Σωκρ. Ψυχῆς οὖν φύσιν ἀξίως λόγου κατανοῆσαι οἴει δυνατὸν εἶναι ἄνευ τῆς τοῦ ὅλου φύσεως; Φαιδρ. ει μὲν Ἱπποκράτει τε τῷ τῶν Ἀσκληπιαδῶν δεῖ τι πείθεσθαι, οὐδὲ περὶ σώματος ἄνευ τῆς μεθόδου ταύτης. Σω. καλῶς γὰρ, ὦ ἑταῖρε, λέγει. χρὴ μέντοι, πρὸς τῷ Ἱπποκράτει τὸν λόγον ἐξετάζοντα, σκοπεῖν, ει συμφωνεῖ. Φαι. Φημί. Σω. τὸ τοίνυν περὶ φύσεως σκόπει τί ποτε λέγει Ἱπποκράτης τε καὶ ὁ ἀληθὴς λόγος. ἆρ' οὐχ' ὧδε χρὴ διανοεῖσθαι περὶ ὁτουοῦν φύσεως; κ. τ. λ. So. *Naturamne animae absque vniuerſi Natura, ſicuti conſentaneum eſt, cognoſci poſſe arbitraris?* Ph. *Si Hippocrati, ex Aſclepiadarum genere oriundo, fides eſt adhibenda, neque etiam corporum Natura cognoſci poterit ſine huiusmodi doctrina atque ordine.* So. *Recte quidem ille: ſed praeter illam etiam Hippocratis ſententiam conſiderandum eſt, vtrum nobis huius dicti conſtet ratio.* Ph. *Equidem ita disquirendum eſſe aio.* So. *De Natura igitur quidnam Hippocrates & vera ipſa rei ratio dicat, velim animaduertas.* &c. *

* Haec de Methodo Hippocratis Logica intelligit ZVINGER. in Praef. libri §. XXII not. [1] recensendi, & *Hippocratem* ait *a diuino Platone, methodi nomine potissimum celebrari.* Caeterum, GALENVS quoque similiter, in *Method. Med.* tradit, Κατὰ τὸν Πλάτωνα, καὶ κατὰ τοὺς ἐκ τοῦ Περιπάτου, καὶ κατὰ τοὺς ἐκ τῆς Στοᾶς, ἡ Ἱπποκράτους νικᾷ φυσιολογία.

§. XV.

Alius PLATONIS * locus fidem facit, Hippocrati iam suo tempore palmam in artis medicinalis gloria tributam fuisse,& medicinae studiosos in disciplinam datos. Sed satis quoque liquido ex ipsius libris constat, eum discipulos, famulos, ministros secum habuisse, quos in arte instituere, quorumque opera in curationibus obeundis vteretur. Praeterea, tam ipsius natura rei hoc ostendere videtur, siquidem non omnia ipse per se agere potuit; quam ea, quae illis temporibus fuit, addiscendae factitandaeque medicinae ratio: de qua supra §. IX.

* *In Protagora*, non longe post pr. T. I p. 311 B H. Steph. Σωκρ. εἰπέ μοι, ὦ Ἱππόκρατες, παρὰ Πρωταγόραν νῦν ἐπιχειρεῖς ἰέναι, ἀργύριον τελῶν ἐκείνῳ μισθὸν ὑπὲρ σεαυτοῦ ὡς παρὰ τίνα ἀφιξόμενος; καὶ τίς γενησόμενος; ὥσπερ ἂν εἰ ἐπενόεις, παρὰ τὸν σαυτοῦ ὁμώνυμον ἐλθὼν Ἱπποκράτη, τὸν Κῶον, τὸν τῶν Ἀσκληπιαδῶν, ἀργύριον τελεῖν ὑπὲρ σαυτοῦ μισθὸν ἐκείνῳ, εἴτις σε ἤρετο, εἰπέ μοι, μέλλεις τελεῖν, ὦ Ἱππόκρατες, Ἱπποκράτει μισθὸν ὡς τίνι ὄντι; τί ἂν ἀπεκρίνω; Εἶπον ἄν, (ἔφη) ὅτι ὡς ἰατρῷ. ὡς τίς γενησόμενος; ὡς ἰατρὸς, ἔφη. Εἰ δὲ παρὰ Πολύκλειτον, ἢ Φειδίαν, κ. τ. λ. *Dic mihi, Hippocrates, nunc ad Protagoram instituis proficisci, & illi argentum tui edocendi mercedem dependere: ecquem vero hominem te adire arbitraris? ecquem vero, illius opera, te euasurum existimas? Quemadmodum, si cogitares, ad Hippocratem Coum, Aesculapii genere natum, (& Asclepiadarum summum) tuum cognominem, proficisci, vt tui caussa disciplinae mercedem pecuniam dependeres; aliquis vero te hoc modo rogaret, Dic mihi, Hippocrates, Hippocratine mercedem tributurus es, tanquam ei qui aliquis sit? ecquid responderes? Dicerem, (inquit ille) me eo consilio pecuniam depensurum, tanquam Medico. Ecquem vero te euasurum existimares? Medicum, inquit. Quod si vel Polycletum, aut Phidiam, &c.* Caeterum, *Scuticis dignos* censet ZVINGER. in praef. *qui Hippocratem sugillare, reprehendere, ignorantiae singularium accusare audent*, &c.

§. XVI.

De Hippocratis genere dicendi iudicat EROTIANVS, in Προοιμίῳ τῆς τῶν παρ' Ἱπποκράτους λέξεων συναγωγῆς, ὅτι γέγονεν ἀνὴρ Ὁμηρικὸς (1) τὴν φράσιν, καὶ τὴν ὀνοματοποιΐαν εὐχερὴς· περιγράψαι καὶ διάνοιαν ἱκανὸς, καὶ τῆς κοινῆς καὶ εἰς πολλοὺς πιπτούσης λέξεως ἐκλέξασθαι τὴν κυριωτέραν. *Eum fuisse virum in dicendi genere Homericum, & in effingendis nominibus felicem: qui & cogitata mentis aptis verbis enunciare potuerit, & ex communi vulgarique sermone vocabula quam maxime propria deligere.* Quapropter etiam, praeter EROTIANVM, GALENVS quoque vocum singularium Hippocratis explicationem edidit, siue, vt titulus habet, τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησιν. Sed neuter huius περὶ εὐσχημοσύνης libri vocabula minus nota, propria, interpretationem requirentia, in censum retulit; quanquam complura eius generis occurrant. Hoc quoque sciendum, Hippocratem tanta breuiloquentia vsum esse, vt plura lectoribus subintelligenda reliquerit (2).

(1) Exemplum huius rei affert Celeb. SCHVLZIVS *in Hist. Medic.* Period. I Sect. III Cap. IV §. LX in nota *. Versus quoque nonnunquam & sententias ex Homero allegasse Hippocratem, obseruat Dan. Wilh. TRILLER. *in Epistola Medico-Critica ad Ioh. Freind*, pag. 21. Laudari Homerum ab Hippocrate semel in Lib. de Articulis, T. II pag. 763 Lind. indicat b. Io. Alb. FABRICIVS in Biblioth. Gr. Vol. XIII pag. 248. Attamen intempestiuum testimonii poëtici vsum damnat in medico ipse Hippocrates, Παραγγελίαις Τμήμ. IX Lind.

(2) Ioh. STEPHANVS *in Theologia Hippocratis*, Cap. VI, 8 in. *Perinde accidit in Hippocratis sententiis atque in Timanthis opellis, in quibus plusculum semper aliquid intelligebatur, quam pingeretur.* Eximio hoc exemplo illustrari potest ex I. A. FABRICII nota b) ad Cap. I eiusdem libri Stephaniani. Caeterum de Stilo viri haec habet ZVINGER. in praef. *Hippocratem, pro sui seculi moribus, proprietati nominum minime studuisse, magisque rerum cognitioni, quam sermonis elegantiae incubuisse, saepe etiam soloecismos commisisse, ex Galeno constat. Frequens illi synchysis, casuum quin etiam, & generum, & modorum enallage. Stili praeterea, nunc pleno veluti alueo decurrentis, nunc in aestuaria quae-*

dam exundantis, nunc Altbei in morem occulti sinus subeuntis, inaequalitas, vt fastidium delicatis mouere, sic Criticorum vngues atque dentes acuere potest. Sed & vocum obsoletarum, vt quidem nobis videtur, id fortasse aetatis, si non vulgo, saltem literatis cognitarum, vsurpatio, obscuritatem adauget, &c.

§. XVII.

Vtrum genuinus ſit nec ne hic περὶ εὐσχημοσύνης libellus, ſtatui probabilius tum demum poterit, poſtquam totum hunc propoſitum librum atque argumentum pertractauerimus excuſſerimusque.

§. XVIII.

Argumentum tale eſt: vt ars Medicinalis honeſte exerceatur, Sect. I, 3. III, 1. XVIII, 1. (quae honeſta medicinam factitandi ratio propoſitâ cum bonorum medicorum proſopographiâ, III, tum contrariâ malorum inhoneſtorumque, II, declaratur) oportet id facere eodem modo, quo Philoſophia colitur, VI, 1 & 4. XVIII, 1: Quamobrem α) & iis doctrinae praeceptis animus inſtruendus eſt, quae in diſciplinis Philoſophicis ad vſum Medicum comparata ſunt, I. V. XVIII, 1, idque methodo arti propria, i. e. ad ductum Naturae, IV; β) & vita ad omnium virtutum officiorumque, tam erga homines, VI, quam erga Deum, VII, normam componenda atque agenda: Qualis medicinam exercendi ratio deinde, exempli cauſſa, ſigillatim in partium medicinae complexu & connexione, VIII, in modo quo conuerſandum & agendum eſt medico cum aegrotantibus & qui circa eos ſunt, IX. XII. XVI; in inſtruendo remediorum apparatu, IX, 4. X. XII, 1, oſtenditur.

§. XIX.

Occasio scribendi fuerit: Quum forte videret Hippocrates, Medicos & medicinam ab aliis vulgo contemni tanquam artifices & artem minus honestam & gloriosam, (Proleg. §. IX not. 4) praesertim quum & Chirurgicen &c. agitarent medici, (ibid. not. 6. 7) inprimisque animaduerteret, quod ita contemtui haberetur medicina, partim culpam esse in ipsis medicis, qui eam indignis modis exercerent, (ibid. not. 3) partim a Philosophis, tum maxime florentibus, (Proleg. §. I & X) requiri in medicis, vt Philosophiam quoque addiscerent & ex praeceptis, ratiociniis, institutisque philosophiae medicinam adornarent atque exercerent, denique apud se in suis scholis artis praecepta addiscerent, non autem, quod Hippocrates, medicorum illis temporibus celebratissimus, fecerat, medicinam a philosophia separarent, (Proleg. §. X. XI) igitur, quo & sui instituti rationem redderet Hippocrates, & arti suum decus legitimamque formam ac docendae exercendaeque methodum assereret, & inprimis moneret discipulos suos, quid ipsi hac in quaestione sequi deberent, quid cauere; praesentem conscripsit librum. Ex quibus simul apparet, quinam praecipuus libri *Finis* ac scopus sit.

§. XX.

Inscriptio Graeca, περὶ εὐσχημοσύνης, varie ab interpretibus Latine reddita est (1): mihi vis vocabuli, quam conuenientissime cum sententia libelli, videtur exprimi, si simpliciter *de Honestate* (2) praecipere dicatur.

(1) Vt, *de Elegantia*, *de decenti habitu*, *de decenti ornatu*, *de Decoro*, &c. conf. An. FOESIVS *in Oeconomia*, sub hac voce. Similiter, prout

prout in Commentario annotat Theod. ZVINGERVS, eiusmodi medicus a Platone, de Leg. 1 & 9, appellatur ἐλευθέριος, καὶ τοῦ φιλοσοφεῖν ἐγγύς, it. in 3 de Rep. κομψὸς Ἀσκληπιάδης· & ab Aristotele passim χαρίεις. (Add. CONRING. *Introd. in Art. Med.* Cap. I §. XVIII.) Idemque hoc significare voluisse veteres, quando Apollinem, medicum, proposuere, manu dextra ternas gestantem Gratias, Aglaiam, cum maiestate venerandam; Thaliam, cum humanitate amabilem; Euphrosynen, cum decore prudentem: quo ternario vniuersam εὐσχημοσύνην medicam videntur antiqui expressisse.

(2) Vt ex argumento libelli, §. XVIII proposito, & ex vsu vocabuli σχήματος III, 2 apparet, εὐσχημοσύνη ponitur & in recta praeceptorum philosophiae pariter ac medicinae cognitione, & in prudenti eorundem praeceptorum vsu s. exercitatione, & in omnis virtutis studio, quo etiam honestorum morum disciplina exteriorisque cultus atque decori cura continetur. Quod omne quorumlibet officiorum genus si vno vocabulo Latino comprehendere velis, quo quidem tanquam in concreto, sicut loquuntur Philosophi, ille habitus morum externus, quem haec virtutum in animo cultura omnibus vitae actionibus inducit, sub sensuum perceptionem cadens, & ipsa velut forma ac species virtutum oculis cernenda, exprimatur: nullum aptius & significantius occurret, quam illud *Honestatis*. Nam & CICERO in Libris *de Officiis*, generale Honesti s. Honestatis nomen de omnibus officii partibus virtutisque speciebus, saepius adhibet: sicut e. c. Lib. I Cap. 2 *In officio colendo*, inquit, *sita vitae est honestas omnis, & in negligendo turpitudo.* it. Cap. 5 *Omne, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua:* & has partes deinde declarat esse Sapientiam Prudentiamque, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam; de quibus conf. Proleg. §. V not. (2) §. 2 Idem M. Tullius eodem Lib. Cap. 27, vbi de Decoro praecipere incipit, *Huius*, ait, *vis ea est, vt ab honesto non queat separari: nam &, quod decet, honestum est; &, quod honestum est, decet. Qualis autem differentia sit honesti & decori, facilius intelligi quam explanari potest: quicquid est enim, quod deceat, id tum apparet, quum antegressa est honestas*, &c. Haec est latior huius vocis significatio: arctior illa, quando diuersum statuitur Honestum a Iusto & Decoro & Pio, sicut a recentioribus factum est; similiter in peruulgato vsu vocis Gallicae *Honnêteté*. Verumtamen, ego nolim confundi notiones vocum officii, virtutis, honestatis: honestatem enim vtique in exteriori, qui ex animi virtutibus officiorumque cultura oritur, actionum habitu & specie colloco, quemadmodum iam paullo superius significaui. Et sic proxime mihi conuenit cum illis, qui libellum Latine inscribunt *de decenti habitu*. Caeterum, ista tituli expositio, *de Decoro* &c. omnino quidem similis videtur illi Pythagoricae virtutis definitioni, qua eam in *Decori habitu* collocabant, vid. *Proleg.* §. V not. (2) §. 2: verum, ex vsu Latinae linguae, vocis *Decori* longe minor vis est quam *Honestatis*.

§. XXI.

§. XXI.

Quandoquidem autem honesta vitae morumque disciplina s. de officiis traditio, praecipuum sit & generale omnis Philosophiae argumentum *: apparet, quo iure hic περὶ εὐσχημοσύνης libellus dici queat agere *de Philosophia Medici* s. *de Medico Philosopho*.

* Cicero *de Officiis* Lib. I cap. 2 *Atque haec quidem* de officio *quaestio communis est omnium philosophorum: quis est enim, qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere?*

§. XXII.

Inter Commentatores maximam laudem adeptus est Theodorus Zvingervs (1). Post quem similem laborem suscepit Ioh. Hevrnivs (2). In illum locum, vbi *Medicus Philosophus* dicitur ἰσόθεος, praeclaram Dissertationem publice disputandam proposuit, magnum in literis & medicina nomen, Guntherus Christophorus Schelhammervs (3). Gallice hunc libellum vertit Andr. Dacerivs (4).

(1) Titulus voluminis, quo huius etiam libelli expositio continetur, hic est: *Hippocratis Coi viginti duo Commentarii, Tabulis illustrati: Graecus contextus ex doctiss. VV. codicibus emendatus, Latina versio Iani Cornarii innumeris locis correcta, Sententiae insignes per Locos Communes methodice digestae. Basil.* 1579 fol. Liber in raris habendus, sec. Fabricium, Schelhammerum, Praefationem Hippocrati Lindeniano praefixam: mihi eius vsus beniuole concessus a V. Celeb. Io. Matthi. Gesnero. Vt in Praef. scribit Auctor, ad hunc in Hippocratem commentandi laborem inductus fuit a Conr. Gesnero, *qui in tanta opinionum medicarum diuersitate vnum Hippocratem cynosurae instar sequendum, aut saltem intuendum*, censuerit: confirmatus a Io. Cratone a Craftheim, qui acciderit, *cui Hippocrates placeat, eum de medicinae possessione saltem aliqua gloriari posse.* Hunc autem plus quam *vndecimestrem* (per plusquam XI annos elaboratum) *partum* edere maluit, quam, dum totum Hippocratem absoluere parat, morte praeueniri. In iis, quae illustrauit, esse quidem, *quae mole videntur exigua*, eadem vero *Hippocratis ingenio esse maxima, a nemine praesentium*

tium hactenus, quod quidem sciat, tacta: qualis sit Commentarius de Elegantia & Praeceptionum. Omnem autem Tabularum laborem in dichotomias perpetuas concidit; vt Rami discipulum possis agnoscere. Caeterum, Io. Ant. van der LINDEN auctori propter hoc opus *iudiciosissimi* viri laudem tribuit, in *Physiolog. Med.* p. 781 §. 139. Eidem Lindenio auro contra aestimandus hic liber visus est: vid. *Praef. Hippocratis Lind.* Valde etiam laudatur Prosp. MARTIANO in princ. suarum in Hipp. *Notationum.*

(2) In opere, quod inscribitur: *Hippocratis Coi Prolegomena, & Prognosticorum libri tres: cum paraphrastica versione & breuibus commentariis.* Lugd. Bat., 1597 in 4. Exstat etiam in Eiusdem Operibus, editis Lugd. B. 1609, 4 & Lugd. 1658 fol.

(3) Titulus est: *Dissertatio Medica, qua Medicus Philosophus ἰσόθεος delineatus, publico examini exponitur.* Ien. 1690. Expositionem suam incipit a verbis, ἐς ἀλήθειαν πρὸς τὸ ὑποδειχθὲν ἀποτελματιζόμενοι, (Sect. III extr.) & definit in hisce, οἱ δὲ ἰητροὶ θεοῖσι παρακεχωρήκασιν. (Sect. VII, 2) *Elegans, & quae tota legatur, dignissima* audit Io. Melchiori VERDRIES in *vera ad veram Medicinam Via*, p. 43 not. ** Giess. 1714.

(4) Qui a. 1700, 12 edidit duos Tomos selectorum Hippocratis librorum Gallice conuersorum: quorum in priore praesens liber exstat p. 179. Vid. b. FABRICII B. G. Lib. II Cap. XXIV p. 851 & 860.

§. XXIII.

Argumentum de Philosophia Medici tractauit etiam GALENVS in libello, ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος. *Optimum Medicum esse quoque Philosophum.* *

* Exstat Opp. Graece edit. Basil. 1538 f. Tomo I p. 8 seq. Quum animaduerteret Galenus, suae aetatis Medicos, quanquam Hippocratem communiter laudent, tamen ab eius praestantia tam longo interuallo abesse; caussam huius diuersitatis inquirens, quum Naturam humanam & huius vniuersi non immutatam aut deteriorem factam deprehenderet: illam in hoc sibi reperisse visus est, quod non, vt Hippocrates, facultates spernant medici, nisi quantum naturae necessitas requirit; nec laboris amantes sint, nec sobrietatis; porro & inprimis Logicam methodum negligant in inquirenda veritate corporumque natura: quibus partibus Philosophia continetur, & Physica, & Logica, & Ethica. Haec igitur praesidia Medico prius esse comparanda; tum artis opera diligenter exercenda: & sic nihil impedire, quo minus Hippocrati similes, quin adeo praestantiores fiamus.

§. XXIV.

Quia in libello Hippocratico περὶ ἰητροῦ, paullo poſt principium, aliquammulta reperiuntur, quae ad praeſentem περὶ εὐσχημοσύνης librum illuſtrandum apprime faciunt: illa huc transſcribere non alienum exiſtimo. Sunt autem haec: Τὰ περὶ αὐτὸν (ἰητρὸν) καθαρῶς ἔχειν (χρὴ), ἐσθῆτι χρηςῇ, καὶ χρίσμασιν εὐόδμοις, ὀδμὴν ἔχουσιν ἀνυπόπτως πρὸς ἅπαντα· τοῦτο γὰρ ἡδέως ἔχειν ξυμβαίνει τοὺς νοσέοντας. 2 Δεῖ δὲ τοῦτον σκοπέειν τάδε περὶ ψυχὴν σώφρονα, μὴ μόνον τὸ σιγᾷν, ἀλλὰ καὶ περὶ τὸν βίον πάνυ εὔτακτον· μέγιςα γὰρ ἔχει πρὸς δόξαν ἀγαθά. 3 Τὸ δὲ ἦθος εἶναι καλὸν καὶ ἀγαθόν. τοιοῦτον δ' ὄντα, πᾶσι καὶ σεμνὸν καὶ φιλάνθρωπον· τὸ γὰρ προπετὲς καὶ τὸ πρόχειρον καταφρονεῖται, κᾂν πάνυ χρήσιμον ᾖ. σκοπὸν δὲ, ἐπὶ τῆς ἐξουσίης· τὰ γὰρ αὐτὰ παρὰ τοῖς αὐτέοις σπανίως ἔχουσιν, ἀγαπᾶται. 4 Σχήμασι δὲ, ἀπὸ μὲν προσώπου σύννουν, μὴ πικρῶς· αὐθάδης γὰρ δοκέει εἶναι, καὶ μισάνθρωπος. ὁ δὲ εἰς γέλωτα ἀνιέμενος, καὶ λίην ἱλαρὸς, φορτικὸς ὑπολαμβάνεται. Φυλακτέον δὲ τὸ τοιοῦτον οὐχ' ἥκιςα. 5 Δίκαιον δὲ πρὸς πᾶσαν ὁμιλίην εἶναι· χρὴ γὰρ πολλὰ ἐπικουρέειν δικαιοσύνην. πρὸς δὲ ἰητρὸν οὐ μικρὰ συναλλάγματα τοῖσι νοσοῦσίν ἐςιν· καὶ γὰρ αὐτοὺς ὑποχειρίους ποιέουσιν τοῖς ἰητροῖς, καὶ πᾶσαν ὥρην ἐντυγχάνουσι γυναιξὶν, παρθένοις, καὶ τοῖς ἀξίοις πλείςου κτήμασιν. ἐγκρατέως οὖν δεῖ πρὸς ἅπαντα ἔχειν ταῦτα. Τὴν μὲν οὖν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα οὕτω διακεῖσθαι. Quae FOESIVS ita Latine reddidit: *Cultus Medici mundus eſto, veſtis ſit decora, & vnguentis vtatur bene olentibus, citra omnem odoris ſuſpicionem. Iſtud enim iucundum eſſe aegrotantibus ſolet. 2 Eum quoque ſpectare oportet, vt animi temperantiam excolat, non taciturnitate ſolum, verum etiam reliqua totius vitae moderatione. Quod ad illi comparandam gloriam (exiſtimationem) plurimum adfert adiumenti. 3 Bonis etiam ac honeſtis*

ſit

ſit moribus, vnaque grauitatem cum humanitate coniunctam habeat. Temeraria namque procliuitas & promtitudo, quamuis valde ſit vtilis, deſpectui eſt. At conſiderandum, quando his vti liceat. Eadem enim apud eosdem, quum rara ſunt, aeſtimantur. 4 *Quod ad geſtum attinet, vultu ſit ad prudentiam compoſito, non aſpero tamen, ne ſuperbus & inhumanus videatur. Qui vero in riſum effuſus eſt & ſupra modum hilaris, moleſtus habetur: quod vel inprimis vitandum eſt.* 5 *Aequum autem in omni vitae conſuetudine ſe praeſtare debet. Nam, quum omnibus in rebus multum ſit in iuſtitia praeſidii, tum vero Medico cum aegris non parum eſt commercii. Ii enim ſe huic tractandos ſubmittunt, isque nunquam non fere cum mulieribus, (&) virginibus conuerſatur, resque magni pretii contrectat: a quibus omnibus ſibi temperare debet. Atque his tum animi tum corporis virtutibus eum praeſtare oportet.*



ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ
ΚΩΟΥ
ΠΕΡΙ ΕΥΣΧΗΜΟΣΥΝΗΣ.

ARGVMENTVM.

Conf. Proleg. §. XVIII.

Medicinalis artis & Philosophiae commercium I. Quo neglecto, mali exsistunt artifices s. Circumforanei II. Bonorum Medicorum character III. Quem Natura, in mediis artis operibus, formare debet IV. Inueniendi ratio in Medicina, huiusque & Philosophiae ad

---

ΤΜΗΜΑ I.

Ουκ ἀλόγως οἱ προβαλλόμενοι, τὴν σοφίην a πρὸς πολλὰ εἶναι χρησίμην· ταύτην δὲ *, τὴν ἐν τῷ βίῳ. Αἱ γὰρ πολλαὶ b πρὸς περιεργίην c φαίνονται γεγενημέναι, λέγω

a Videri alicui posset, cum hic tum aliis huius libelli locis agi de σοφίᾳ siue Sapientia speciatim ita dicta, vna quatuor Virtutum cardinalium; vt ita theoretica Philosophiae pars a practica intelligatur esse separata. Verum, collatis locis, *Sect.* IV, 2. V, 2. VI, 1 & 4. XVIII, 1 apparet, σοφίην hoc in libro vocari illud cognitionis humanae siue disciplinae genus, aut, vt alii loquuntur, illum habituum mentis complexum, professionem, aut institutum vitae, quod postea Philosophia proprio nomine appellari consueuit, & ab artibus, cum aliis, tum Medicinali distinguitur; quanquam non eo ambitu, quo hodie sumitur de Ordine siue Facultate Philosophica, hic sumenda sit. Conf. *Prolegomena* §. II & III. Itaque etiam Galenus in libello, ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος, quum eandem rem tractet, quam praesens libellus, tamen vsitato tum vocabulo φιλοσοφίαν semper appellat: conf. *Proleg.* §. XXIII *not.* *

† Quanquam Sapientiae vocabulum postea quoque, quam Philosophiae nomen communi vsu receptum erat, de hac

HIPPOCRATIS COI

DE HONESTATE LIBER.

ad sese mutua relatio V. Quaenam sint Medicinae communia cum Philosophia? VI. Quomodo se habeat ad Religionem? VII. Methodi Medicinalis vsus & assertio VIII. Aliquot regulae prudentiae in facienda medicina IX. Praecipua, quae ad faciendam medicinam sciri debent X. Quid in accessu ad aegrum obseruandum sit? XII. Quomodo in imperando significandoque versandum? XVI. Conclusio XVIII.

SECTIO I.

Non sine ratione fecerunt illi, qui statuerunt, Philosophiam † ad multas res esse vtilem: intelligo autem eam Philosophiam, quae in communi vita virtutem suam exserit. Multae enim in hac professione sunt disputationes, quae tantummodo ad otiosam luxuriantis

hac disciplina vsurpatum fuit; *&*, e. c., apud M. Fabium QVINCTILIANVM in *Instit. Orat.* hoc sensu saepius occurrit, quin apud CELSVM, Latinum quasi Hippocratis interpretem, in *Praefatione*, vbi, *Primo*, inquit, *medendi scientia Sapientiae pars habebatur*; item, *Hippocrates ab studio Sapientiae disciplinam hanc separauit:* tamen malui ego in versione adhibere vocabulum, quod & multo magis celebre, & quasi publicum ac solemne est, & huic nostro praesertim instituto quam maxime conuenit.

* ZVINGER. δη.

[b] Intelligo, διαλέξιες, disputationes, aut θεωρίαι, contemplationes; sicut ipse sermonis contextus innuere videtur. Prius tamen magis placet, quia & statim postea verbum διαλέγονται adhibetur, & in fine commatis 2 ipsum illud διαλεξίων vocabulum occurrit.

[c] Περιεργίην vocat operam & studium eiusmodi, quo scopus operis propositi recte perficiendi tantisper omittitur, & diuertit animus ad talia agenda meditandaue, quae sibi propter alias quascunque caussas placent, quamuis ad exsequendum nego-

γῶ δὲ, ἅυται, ἁι μηδὲν χρέος [d] τῶν πρὸς ἃ διαλέγονται.

2 Ληφθείη δ' ἂν τουτέων μέρεα ἐς ἐκεῖνα [e]. ἢ ὅτι ὀυκ ἀργίη**; ὀυδὲ μὴν κακίη. [f] τὸ γὰρ σχολάζον καὶ ἄπρηκτον ζητέει ἐς κακίην καὶ ἀφέλκεται· τὸ δ' ἐγρηγορὸς, καὶ πρός τι τὴν διάνοιαν ἐντετακὸς, ἐφειλκύσατό τε [g] τῶν πρὸς καλλονὴν βίου τεινόντων ἑαυτοῦ τουτέων τὰς μηδὲν ἐς χρέος πιπτούσας διαλέξιας [h].

3 Χαριεστέρη [i] γὰρ καὶ πρὸς ἕτερον [k] μέν τι ἐς τέχνην πεποιημένη· τέχνην δὲ, πρὸς ἐυσχημοσύνην καὶ δόξαν [l]. Πᾶσαι [m] γὰρ, ἁι μὴ μετ' ἀισχροκερδείης καὶ ἀσχημοσύνης, κἀκείνοισι μέθοδός [n] τις ἐοῦσα τεχνικὴ, ἐργάζεται.

II.

negotium nihil conferant. Cui quidem χρέ☉ opponitur. Vid. infra *Sect.* III, 1 & 2. it. IX, 3. Conf. FOESII *Oeconomia*, h. v.

[d] Hoc est, peragendum negotium, opus propositum, res ipsa, debitum officium. Add. comm. 2 huius *Sect.* it. IV, 2. IX, 4. Ita, v. c., variae Syllogismorum figurae nullum in ipsa veritatis inquisitione vsum in communi vita praestare, multis videntur, quem tamen in finem proponuntur.

[e] Ex istis Philosophicis quaestionibus aut disputationibus vult Auctor tantum ab homine quoddam vitae munus obeunte, in suam professionem assumi, quantum ad illud munus melius administrandum facere liquido apparet. *Sic fere etiam Socrates apud Xenophontem*, ait ZVINGER. p. 81, *eo vsque Geometriae incumbendum putabat, dum quis posset suos a vicini agris distinguere.* Vox ἐκεῖνα referri potest ad illam πολλὰ, vel, πρὸς ἅ.

** ZVINGER. ἀργείη.

[f] *Κακίην* appellat illam ignauiam siue inertiam ad obeunda communis vitae negotia, quae consequitur ex studio scholasticarum, theoreticarum &c. disputationum aut contemplationum, coniuncto cum intermissione operis siue exercitationis.

[g] *Τι* legere malit FOESIVS, in *Oecon.* v. Καλλονὴ βίου· & sic etiam ZVINGER. in margine adscripsit. Verum ita contextus minus cohaerere videtur.

[h] Tota

riantis ingenii contemplationem comparatae esse videntur: cuiusmodi quidem illas esse dico, quae nullum praestant vsum in peragendis iis rebus, quarum caussa tamen instituuntur.

2 Veruntamen conuenit, harum disputationum partes assumere in suam cuiusque vitae professionem: sic enim, si non per otium peraguntur, neque ignaua erit opera. Contra, quatenus aliquis inter contemplandum vacat ab opere & actione, tendit in ignauiam eoque abripitur: qui vero excitato ad agendum animo est, & mentem ad certum aliquem vitae vsum intendit, ille ex disciplinis, quae ad vitam honestiorem melioremque reddendam comparatae sunt, eas sibi adiungit disceptationes, quae alias nihil ad negotiorum administrationem conferrent.

3 Atque hoc modo etiam gratiosior est ars Medicinalis, si adscito aliarum disciplinarum consortio in artem redacta sit: qualis quidem ars honestatem atque gloriam sibi adiunctam habet. Quemadmodum omnes adeo artes, quae non in sordido quaestu versantur, neque inhonestis rationibus exercentur, secundum Methodum aliquam, qualis arti conuenit, opus suum efficiunt.

II.

h Tota fere tunc temporis Philosophiae professio probabilibus in vtramque partem disputationibus, quas διαλέξιας appellat, peragebatur: vid. *Proleg.* §. III & *Commentarius* VI §. 18.

i Subaud. ἡ ἰητρική. De hac enim arte nunc institui sermonem, sequentia declarant. Et notum est, Medicinalem professionem communiter ab ipsius inde Hippocratis temporibus appellari χαρίεσσαν, facultatem siue ordinem *Gratiosum*, &c. qua de re alibi. Praeterea, loquitur Auctor de methodica artium tractatione siue constitutione, eamque inde esse docet, quod in iisdem artibus Philosophia quoque, siue potius multa ex Philosophia insint. Quamobrem mihi quidem videtur melius conuenire haec expositio, quam si cum aliis subintelligatur ἡ σοφίη· & tum quoque legendum foret non πεποιημένη, quae communior est lectio, sed πεποιημένην, sicut etiam aliqui ediderunt.

k Ἕτερον illud intelligo σοφίην· quod apertum videtur ex *Sect.* XVIII, 1 vbi dicitur, Medicum esse debere περιεννύμενον πάντοτε τὴν ἑτέρην, scilicet τὴν σοφίην.

l De vocabulo εὐσχημοσύνη, item δόξα conf *Prolegom.* §. XX & XIX. it. XXIV, 2. Add. *Index.*

m Videlicet τέχναι.

n Vid. *Sect.* IV ibidemque inprimis comma 5. Alias ab Hippocrate plerumque vocari solet ὁδὸς, vt eadem *Sect.* IV, 4 & V, 1: & praesertim plenius appellatur ὁδὸς τῆς ἰητρικῆς ἐν σοφίῃ, *Sect.* VIII, 1. Conf. Foesii *Oecon.* v. Μέθοδος.

II. Ἀλλ' εἴγε μὴ πρὸς ἀναιτίην [a], δημευταί [b]. Νέοι τε γὰρ αὐτέοισιν ἐμπίπτουσιν· ἀκμάζοντες δὲ, δι' ἐντροπίην [c] ἱδρῶτας [d] τίθενται βλέποντες· πρεσβῦται δὲ, διὰ πικρίην [e] νομοθεσίην τίθενται, ἀναίρεσιν ἐκ τῶν πόλεων.

2 Καὶ γὰρ ἀγορὴν ἐργαζόμενοι οὗτοι, μετὰ βαναυσίης [f] ἀπατέοντες, καὶ ἐν πόλεσιν ἀνακυκλέοντες οἱ αὐτοί.

3 (II Lind.) Ἴδοι δέ τις ἂν καὶ ἐπ' ἐσθῆτος καὶ τῇσιν ἄλλῃσι περιγραφῇσι [g]. κὴν γὰρ ἔωσιν ὑπερηφανέως κεκοσμημένοι, πολὺ μᾶλλον φευκτέοι καὶ μισητέοι τοῖσι θεωμένοισίν εἰσι.

III. Τὴν δὲ ἐναντίην, χρειῶδες σκοπέειν, οἷς οὐ διδακτὴ κατα-

[a] Ἀιτίη tribuitur malis artificibus, *Sect.* IV, 6 qui non rite didicerunt artem, *ibid.* neque eam legitima artique propria methodo exercent, *ibid. comm.* 5. Ἀναιτίη itaque, ex aduerſo, dicitur recta & reprehenſione vacans medicinam faciendi ratio. Quare etiam laudatiſſimus ille Medicus, Aug. Quirin. RIVINVS, alicui Diſputationi Academicae, qua totum officium Medici delineauit, hunc dedit titulum, *De Medico Inculpato:* ex qua ſane perquam ſapiente diſſertatione ſpecimina opportunis locis excerpta dabo in *Commentariis.* Interim, quia peculiaris quaſi character circumforaneorum ponitur in αἰσχροκερδείη κ̀ ἀσχημοσύνη, paullo ante *Sect.* I, 3. itemque in ἀναιδείη, *Sect.* VI, 3: poſſet aliquis ſuſpicari, legendum eſſe hoc loco ἀναιδείην, eiecta particula μή. Caeterum ZVINGERVS ἀναιτίην exponit de vitae innocentia in rebus venereis, ſ. in impuro maſculorum amore.

[b] Sic in MSS. omnibus legi, teſtatur FOESIVS: quapropter ita retinendum videtur, quum & commodam interpretationem admittat, & ſic etiam ſequens vocabulum, αὐτέοισιν, habeat ad quod referatur. Alii, & ipſemet FOESIVS, legere iubent δημεύεται.

[c] Magis vulgaris vox eſt ἐντροπή· ſignificat autem vtraque, vi etymi, talem affectionem, qua quis prae pudore ſimul & indignatione vultum auertit. Ἐυτροπίην non nemo emendare voluit.

[d] Quid ſi legatur, εἰς ἱδρῶτας; aut ἰδιῶτας; Et iam interpretes, CORNARIVM & CALVVM, ita vertiſſe, ac ſi legeretur ἰδιῶτας, docet FOESIVS in *Oecon.* v. Ἐντροπή.

[e] Πι-

II. E contrario, qui non ita recta cum ratione Medicinam exercent, ſunt Circumforanei: quorum longe diuerſum vitae inſtitutum eſt. Nam iuniores quidem ex populo, quum ſint leuioris animi, ruunt ad eos videndos atque audiendos: adultae vero aetatis ac prudentiae viri, qui propter verecundiam ac modeſtiam cum eiusmodi impudentibus hominibus contendere nolunt, prae indignitate tamen rei commouentur animo, quum illos deblaterantes viderint: ſenes autem, quia ſeueriores ſunt, leges conſtituunt, quibus iſti nugatores cum omni ſua arte ex vrbibus proſcribuntur.

2 Niſi enim hoc fiat, per fora quaeſtum faciunt hi homines, & illiberali arte ſua decipiunt imprudentes, dum in ciuitatibus circulos populi congregant.

3 Noſſe autem eos aliquis poterit, vel ſi veſtitum ipſorum, caeterosque exteriores, corpori ſuperinductos, ornatus intueatur. Nam quo ſpecioſiore cultu ſe efferunt, eo magis fugiendi ſunt ſpectatoribus atque odio habendi.

III. Diuerſa autem ratione conducit, eos propius conſiderare, qui non oſtendunt exquiſite comtum apparatum aut ſuperfluum cultum

[e] Πικεὴν, πικρὸν εἶναι, pro re nata, virtus habetur ab Auctore & in laude ponitur. conf. *Sect.* III, 2 & XVI, 2. Dicitur autem de ſeueritate, grauitate, qua ſaepe ad coërcendam petulantiam & improbitatem opus eſt. Alias reprehenſionem meretur: vt in libello περὶ ἰητροῦ, vid. *Proleg.* §. XXIV, 4.

[f] De hoc verbo in *Commentario* I §. 11.

[g] Aptum vocabulum ad ſignificandum exteriorem corporis & apparatus ſiue inſtrumentorum artis ſpeciem, cultum, ornatumque, longe ab interiore animi cultura remotum atque diuerſum; ſed cui homines eo magis ſtudere ſolent, & phaleras (φαντασίην, *Sect.* IX, 3) ad populum ſibi circumdare, quo minus ad veram animi honeſtatem & elegantiam, aut, verbo Auctoris, εὐσχημοσύνην incumbunt. Caeterum, notabile eſt, quum poſt praepoſitionem ἐπὶ prius ſecutus ſit genitiuus, ἐσθῆτος, deinde ſubiici datiuum ſ. ablatiuum, περιγραφῇσι. Monuit autem Celeb. GESNERVS, genitiuum illum ἐσθῆτος non pendere a particula ἐπὶ, ſed a περιγραφῇσι.

[a] Vis huius vocis eſſe videtur in denotando nimium quaeſito corporis & ſupellectilis ornatu: qua quidem in re ſic a multis elaborari, vt reuera ars ſit ſiue potius artes, non feminas tantum, ſed etiam iuuenes virosque, caeterasque adeo res omnes, multiplici decoraminum ſpecie adornandi exornandique, quotidianis experimentis licet deprehendere. Diſplicet tamen haec lectio Viro Celeberrimo, Dan. Wilh. TRILLERO, in

 Epi-

τασκευὴ, οὐδὲ περιεργίη. ἔκ τε γὰρ περιβολῆς [b], καὶ τῆς ἐν ταύτῃ εὐσχημοσύνης καὶ ἀφελίης, οὐ πρὸς περιεργίην πεφυκυίης [c], ἀλλὰ μᾶλλον πρὸς εὐδοξίην, τό, τε σύννουν [d], καὶ τὸ ἐν νῷ πρὸς ἑωυτοὺς διακεῖσθαι [e], πρός τε τὴν πορείην [f].

2 Ὅιτε ἑκάστῳ σχήματι [g] τοιοῦτοι· ἀδιάχυτοι [h]· ἀπερίεργοι· πικροὶ πρὸς τὰς συναντήσιας [i]· εὔθετοι πρὸς τὰς ἀποκρίσιας· χαλεποὶ πρὸς τὰς ἀντιπτώσιας [k].

3 πρὸς τὰς ὁμοιότητας [l] εὔστοχοι· καὶ ὁμιλητικοὶ [m]· εὔκρητοι

Epistola Medico-Critica ad Ioh. Freind, pag. 14, & malit rescribere διάτακτος, i. e. *ornatus aut apparatus non affectatus & supra modum concinnus*, sicut ipse explicat.

b Infra *Sect.* XII, 3 περιστολῆς. Aliqui hic legunt ἐπιβολῆς. Apparet autem, in huius commatis contextu quaedam verba deesse, mente supplenda: quae ego quidem repetam ex *Sect.* praecedente II comm. 3, ἴδοι τις ἂν αὐτούς.

c Referatur ad περιβολῆς.

d Conf. *Prolegom.* §. XXIV, 4.

e *Sect.* XII, 3 dicitur εὐσταθίη ἡ ἐν ἑαυτῷ. Alibi Hippocrates de simili re formulam adhibet Αὐτὸν ἑωυτοῦ γενέσθαι, item, Ἔχειν ἑωυτόν, it. Παρ᾽ ἑαυτοῖσιν, παρὰ σφῖσιν εἶναι· de quibus locutionibus vid. Foesius in *Oeconomia*, sub indicatis vocibus.

f Conf. infra *Sect.* IX, in fine. Caeterum Foesius non eodem modo distinguit, & ita interpretatur, *Ad incessum vero eo semper sunt habitu, minime diffluentes aut superflui*, &c.

g Vid. *Proleg.* §. XX not. 2 & §. XXIV, 4. Conf. *Commentar.*

h Potest dupliciter accipi: vel de vestitu, qua notione significat talem amictum, qui non diffluit, neque magnitudine, ambitu, laciniis, &c. impedimento est faciendis artis operibus; sed qui ita concinnatus & compositus est, vt cum eo libere & expedite, promte parateque liceat tum prodire ad visendos aegros quocunque tempore, & peregre abire, tum artis opera, praesertim manuum ope peragenda, perficere. Vel posset intelligi de talibus, qui non sunt nimium προπετεῖς καὶ πρόχειροι, neque εἰς γέλωτα ἀνιέμενοι, λίην ἱλαροί, φορτικοί· vid. *Proleg.* §. XXIV, 4. Prior explicatio videtur esse conuenientior. Vid. *Commentarius.*

i Id est, congressus, in coetibus hominum celebrandis, in accipiendis reddendisque amicitiae, honoris, obseruantiae officiis, &c. Quidam interpretantur perinde, ac si scriptum esset συναντῶντας· tanquam, per tropum synecdoches vel

tum corporis. Etenim hi agnoſcuntur etiam ex amictu, &, quae in hoc conſpicua eſt, honeſtate ac ſimplicitate: quum non ita comparatus ſit, vt ſuperfluus cultus appareat, ſed potius ita, vt bonam apud homines exiſtimationem conciliet, & cogitabundus vultus, eaque animi affectio qua quis in mente apud ſemet ipſum conſtitutus eſt, eluceat; vtque ad iter faciendum expeditus ſit.

2 Cuius quidem generis Medici ſimiliter in omni vitae habitu ſe gerunt, ita, vt non diffluant eorum veſtimenta: neque ipſi curent ſuperuacua: in congreſſibus grauitatem adhibeant: ad interrogata promte parateque reſpondeant: contra oppoſitiones obnixi:

3 ad deprehendendas & declarandas ſimilitudines, ſagaces: frequenter libenterque cum aliis verſentur; facile cum omnibus conſue-

vel metonymiae, (nam diſſenſus eſt) abſtractum pro concreto, vel adiunctum pro ſubiecto poſitum eſſet; id quod etiam de aliis ſimilibus deinde ſequentibus appellationibus generatim monendum eſt, v. c. ὁμοιότητας pro ὁμοίους, &c. Sed quanquam hoc in aliquibus bene procedere fortaſſis largiendum eſſet: tamen in aliis officere rectae interpretationi videtur.

k Ἀντίπτωσις Grammaticis dicitur caſus vnius pro altero poſitio: cuiusmodi permutatio caſuum tametſi in omni vita, arte, aut diſciplina, adeoque ſpeciatim etiam in Medicina, frequenter accidat, verum alio quodam intellectu; non tamen ſimplicitatem Hippocraticam ſapere videtur talis interpretatio, praeſertim τοῦ, χαλεποί. Quare de contentionibus diſſentientium, impedientium, &c. intelligere liceat. Vid. *Commentarius* III §. 8. Poſſet autem hic alicui in mentem venire, vt velit legere ἀντιλογίας.

l Difficilis, perplexa, longeque petita videtur expoſitio, & ipſi natiuae vocum, ὁμοιότης & εὔστοχος, ſignificationi vim afferre, ſi de conſuetudine cum iis, qui noſtri ſimiles, aut eiusdem nobiscum ſiue vitae generis ſiue ſententiae & voluntatis ſint, accipiatur: ſicut etiam a Zv. pag. 84 accipi video. Nam quanquam ita plerumque fieri ſoleat, idemque naturale ſit, tamen Medico verſandum eſt inter omnis generis homines, bonos, malos, ὁμοτέχνους & idiotas, conſentientes, diſſentientes, &c. Adeoque proxime ſequentibus verbis, ὁμιλητικοὶ καὶ εὔκριτοι πρὸς ἅπαντας, idem hoc praecipitur. Quodſi tamen illa altera interpretatio recipienda vtique foret, directa haec videri poſſent contra peruerſos Medicaſtros: quibus obſiſtere iubet Auctor Παραγγελιῶν, inprimis Τμήμ. XI pr. Lind. Sed ego magis conueniens iudico haec interpretari de Analogica cognoſcendi medendique ratione, deque rerum medicarum per ſimilitudines declaratione.

m Alii vulgo legunt & interpretantur ſine diſtinctione, εὔστοχοι καὶ ὁμιλητικοί. Et poſſet quidem haec hiſce verbis tribui ſententia, vt illi Medici, qui per ſimilitudines incognita morborum explicare norunt, propter hoc ipſum ad conuerſandum & colloquendum aptiores & gratiores eſſe dicantur: quemadmodum VILLANOVANVS ait, *Doctor gratioſus & efficax*

τοι † πρὸς ἅπαντας· πρὸς τὰς ἀναςάσιας [n] σιγητικοί· πρὸς τὰς ἀποσιγήσιας [o] ἐνθυμηματικοί· καὶ καρτερικο [p]·

4 πρὸς τὸν καιρὸν εὔθετοι καὶ λημματικοί [q]· πρὸς τὰς τροφὰς εὔχρηςοι, καὶ αὐτάρκεες [r]· ὑπομονητικοὶ πρὸς καιρὸν πρὸς ὑπομονὴν [s]·

5 πρὸς λόγους ἀνυστοὶ, πᾶν τὸ ὑποδειχθὲν [t] ἐκφέροντες· εὐεπίῃ χρώμενοι· χάριτι διατιθέμενοι· δόξῃ τῇ ἐκ τουτέων διϊσχυριζόμενοι [u]· ἐς ἀληθείην πρὸς τὸ ὑποδειχθὲν ἀποτελματιζόμενοι [x].

IV.

ficax parabolis vtitur ad occulta per sensibilia declaranda. At enimuero mihi longe melius, adeoque licitum videtur, ita distinguere, sicut edidi; aut certe sic transponere verba, ὁμιλητικοὶ καὶ εὐκρ. vel, εὐκρ. καὶ ὁμιλ.

† Huius vocis interpretationem debeo Celeb. Gesnero, qui significatum illum in Plutarcho saepius se obseruasse ait.

n Accipio simpliciter & proprie de surrectione ad aggrediendum negotium: rationem in *Commentario* reddam. Si quis autem eum huic verbo tribuere velit significatum, quem habet nonnunquam nostrum Teutonicum, *Aufstand*, quo significat seditiosum tumultum. possit ita exponere, vt dicantur Medici, vbi seditio, rixae, contentiones, cum conuiciis & contumeliosis dictis cooriuntur, *saeuitque animis ignobile vulgus*, tum auersari istum immoderatorum suique impotentium hominum morem, nec velle cum quoquam contentionis ferram reciprocare, dum in ita affectis *impedit ira animum, ne possit cernere verum*; sed vel tantisper secedere, vel silendo prae se ferre compositum animum, quo sic ad similem affectuum quietem reducat animos, eosque sedatiores redditos, accipiendis admonitionibus aptos faciat.

o Vocabulum, quod fortasse nusquam alibi reperitur: sicut etiam sequens illud λημματικοί. Et Hippocratem noua, rebusque significandis aptissima vocabula frequenter effinxisse, iam in *Prolegomenis* §. XVI annotatum est. Neque significatus eorundem obscurus esse poterit ei, cui origines non ignotae sunt.

p Hunc characterem, τῶν καρτερικῶν, iterum per τελείαν ςιγμὴν separaui a praecedentibus, πρὸς τὰς ἀποσιγήσιας ἐνθυμηματικοί. Vid. *Commentarius*.

q Caue, characterem τοῦ λημματικοῦ ponas in animo munerum appetente aut mercedi inhiante, manuque ad accipiendum composita. Quanquam, si cupiditatis affectus absit, nec ipse tibi sumas aut rapias, tum, vt Quinctiliani *de Inst. Or.* Lib. XII, 7, 9 verbis vtar, *si res familiaris aliquid ad vsus necessarios exiget, secundum omnes sapientium leges patietur sibi gratiam referri: cum & Socrati collatum sit ad victum; & Zeno, Clean-*

ſuetudine coaleſcant: cum ſilentio ſurgant ad rem aggrediendam: vbi loquendum eſt, cogitata verba proferant: tolerantes:

4 ad occaſionem agendae rei captandam compoſiti, eamque arripiant: victu cultuque tenui & frugali parabilique contenti: vbi legitimum tempus nondum adeſt, patienter exſpectent:

5 in ſermonibus efficaces, ediſſerendo quicquid ſub apparente rerum ſpecie, tanquam ſignis, ſibi indicatum eſt: felici facundia proloquantur: ſeſe ita gerant, vt gratia eos comitetur: eximiam his rebus & dotibus exiſtimationem conſecuti, multum auctoritate valeant: ad veritatem per obſeruationem phaenomenorum euadant.

IV.

Cleanthes, Chryſippus mercedes a diſcipulis acceptauerint.

r Praeſtat fortaſſis interpungere poſt εὔχρηστοι· & τὴν αὐτάρκειαν exponere de moderato facultatum omnis generis ſtudio; quae moderatio originem ducit ex animo ſorte ſua contento.

ſ Ὑπομονὴν eam arbitror intelligendam eſſe, qua legitimum curationis morborum, coctione & criſi peragendae, tempus exſpectatur, neque hic ſalutarium naturae motuum ordo turbatur. Caeterum, poſtrema duo verba, πρὸς ὑπομονὴν, fortaſſis pro gloſſemate habenda ſunt. Zv. *An* ὑπομονητικοὶ *omiſſo,* πρὸς *κ. πρ. ὑπ. cum* ἀνυστοὶ *conſtruenda? An* πρὸς ὑπομονὴν εὔκαιροι *ſubintelligendum? Exſpectant opportunitatem, nec importuni ſunt exſpectando.*

t Quod ſub occulto morborum ſchemate per certa ſigna deprehendunt, (vid. lib. περὶ τέχνης XVI ſeqq. Lind.) hoc dilucide explicant aegrotis aut eorum propinquis, ſcire cupientibus; & hinc rationes cum ſymptomatum tum ſuorum factorum diſerte norunt reddere.

v Quia iſtis virtutum ornamentis eximiam apud homines opinionem, exiſtimationem, & gloriam conſecuti ſunt, ideo auctoritate tantum valent, vt hac ſola aegros ad omne obſequium paratos habeant; eademque ſapienter vtuntur, quando argumentis allatis vel non poſſunt demonſtrari facienda, vel hoc non conſultum eſt.

x Τέλμα eſt palus, locus coenoſus, vbi non datur firmo ſtabilique gradu inſiſtere, ſed haeret pes, & in emergendo euadendoque laboratur; quemadmodum prouerbialiter dici ſolet, *in luto haerere.* Ἀποτελματίζεσθαι igitur vi etymi ſignificat, ex abdita & profunda morborum implicatione, lubrico turbidoque rerum ſtatu, tandem, diligenti obſeruatione & inquiſitione, ad liquidam veritatem, quae antea velut in Democriti puteo delituerat; (adeoque τέλμα ſignificat etiam puteum) ad veri perſpicientiam, & ad certam curandi methodum peruenire. Simili ſub imagine dicitur in Παραγγελίαις VI pr. Lind. de malis medicis, ὅτι ἔοντες ἐν βυθῷ ἀτεχνίης, τῶν προλελεγμένων οὐκ ἂν αἰσθάνοιντο· & paullo poſt, n. 17, de aegrotis, ὅτι ἀνιώμενοι νήχονται ἐπὶ

 ἐκα-

IV. (III Lind.) Ἡγεμονικώτατον μὲν οὖν τουτέων ἁπάντων τῶν προειρημένων ἡ Φύσις [a]. καὶ γὰρ οἱ ἐν τέχναισιν, ἦν προσῆν αὐτέοισι τοῦτο, διὰ πάντων τουτέων προσπορέυωνται τῶν προειρημένων.

2 Ἀδίδακτον γὰρ τὸ χρέος ἔν τε [b] σοφίῃ καὶ ἐν τῇ τέχνῃ προσθεμένῃ, διδαχθῇ ἐις τὸ ἀρχὴν λαβεῖν [c] · ἡ δὲ φύσις [d] κατερρύη καὶ κέχυται τῇδε σοφίῃ, ἐς τὸ ἐιδῆσαι τὰ ἀπ' αὐτέης τῆς φύσιος ποιεύμενα.

3 Καὶ γὰρ ἐν ἀμφοτέροισι λόγοισι [dd] πολλοὶ κρατηθέντες, οὐδαμῇ σὺν ἀμφοτέροισιν ἐχρήσαντο τοῖσι πράγμασιν ἐις δεῖξιν. ἐπὴν οὖν τις αὐτέων [e] ἐξετάζῃ † τε πρὸς ἀληθείην τῶν ἐν

ἑκατέρῃ μοχθηρίῃ. Eiusdem generis ſunt PERSII *craſſi dies*, &, *lux paluſtris*, *Sat.* V, 60. Et cum hac quidem expoſitione conuenit Zuingeriana pag. 83. Verum enimuero, tota hac disputatione nihil opus foret, ſi legeremus, mutatione leuiſſima, ἀποτερματιζόμενοι, *ad determinatum finem prouecti, perducti:* quam emendationem forſitan aliquis audacior non dubitaſſet ſtatim in textum recipere, reiecto illo, quod nunc obſedit exemplaria, vocabulo cum aliis inaudito, tum lutulento.

a Naturam hic, quod ſciam, omnes interpretantur de hominis medicinalem artem percepturi & exercituri natura: vnde SCHELHAMMERVS Theſ. XV *Eſt*, inquit, ἡ φύσις *Hippocratis decantata illa Ariſtotelis* ἀγχίνοια, *quae in ſubita cauſſae inuentione ſpectatur.* Idem deinde Th. XXIV *Manum Philoſophiae eſſe* illam ἀγχίνοιαν. Verum enim vero, ex toto ſequentis ſermonis contextu, liquido patere exiſtimo, φύσιν hic non adhiberi de ſola artificis natura, ſiue apta ad diſcendam & exercendam artem indole; neque de ſola corporis aegrotantis natura: ſed de vniuerſa rerum natura, quae ſi recte cognoſcatur, prout in ſingulis rerum tractandarum ſpeciebus ſe exſerit & comparata eſt, & haec cuiusque rei natura in conſilium adhibeatur, vbi humana ſapientia, arte, aut prudentia quicquam in aut cum illa re efficere, ſiue mutando ſiue conſeruando velimus; non poteſt non optimam ad cognoſcendam perſequendamque agendi methodum viam pandere. Pluribus haec declarabo atque confirmabo in *Commentariis.*

b Fortaſſe legendum, ἐν τῇ. In Lindeniana expreſſum eſt, ἔν τε τῇ.

c Qui ſapientiam aut artem aliquam profiteri velit, &, quae vſum in communis vitae negotiis praeſtant, exercere:

IV. Iſtorum igitur, quae adhuc dicta ſunt, omnium ſuprema dux ac magiſtra eſt Natura. Nam ſi illi, qui in artium operibus verſantur, Naturam ducem ac magiſtram ſequantur, per iſta modo commemorata omnia ad ſcopum arti propoſitum licet perueniant.

2 Et ipſe quidem rerum vſus, cum in Philoſophia, tum in ipſa, quae cum illa coniungitur, Arte, inſtitutione aliorum addiſci non poteſt; nihilo tamen minus licet tradatur de eodem inſtitutio, quemadmodum neceſſe eſt ad initium artis profitendae capiendum: Verum, vt ea diſciplina recte formata ſit, ipſa Natura debuit influere ſ. in medium adhiberi & permiſceri cum Philoſophia, quo ſic cognoſci poſſit, quid & quomodo ipſa Natura in effectis ſuis agat.

3 Contra ea, quoniam multi, qui de rebus ad artem pertinentibus in vtramque partem diſputare aggreſſi ſunt, non ipſa ſimul artis opera ad demonſtrandam veritatem adhibuerunt inter diſputandum, propterea ſuperati ſunt in diſputationibus & erroris conuicti. Quod ſi

re; ordiri ſane debet ab inſtitutione quadam & operis propoſiti praeformata notitia, quo tantum ſcientiae ſibi compararet, quantum requiritur ad initium gerendi negotii faciendum. SCHELHAMMER. c. l. Th. XVI legit, quo auctore neſcio, διδαχῇ pro διδαχθῇ· & *hunc eſſe ſenſum exiſtimat.* Vſus enim in Philoſophia & in arte ad principia (*demonſtrationis*) inde accipienda, doctrinâ adiunctâ doceri nequit. Defluit igitur natura & infunditur, (*id eſt, ſeſe adiungit arti & doctrinae*,) & facit, vt, quomodo ex natura (*phaenomenis naturae*) principia ſumenda ſint, cognoſcatur. Multi enim (*natura deſtituti ſcilicet*) in ambobus (*Philoſophia ſcilicet & arte*) ſuccumbentes, nunquam in vtrisque ad demonſtrationem operationibus (*phaenomenis*) vſi ſunt.

d Quatenus Natura artificis pendet ex vniuerſa rerum Natura, huc applicari poterunt illa ex Νόμῳ· ἔτι δὲ φιλοπονίην προσενέγκασθαι (δεῖ) εἰς χρόνον πουλὺν, ὅκως ἡ μάθησις ἐμφυσιωθεῖσα δεξιῶς τε καὶ εὐαλδέως τοὺς καρποὺς ἐξενέγκηται.

dd Ἀμφότεροι λόγοι videntur dici diſputationes philoſophicae, quae *Sect.* I, 2 *not.* h vocatae ſunt διαλέξιες.

e Αὐτέων vel poteſt referri ad τοὺς πολλοὺς κρατηθέντας· vel, quod aptius videtur, conſtruendum eſt cum τῶν ἐν ῥήσει τιθεμένων.

† Pro τε, poſt ἐξετάζῃ, SCHELHAMM. Th. XXXIII legit τὶ, quod idem in margine appoſuerat ZVINGERVS. Idem SCHELHAMM. ſic interpretatur: Si quis igitur aliquid ad veritatem eorum, quae a ratione ponantur, expenderit, nequaquam ea, quae ſecundum naturam ſunt, intelliget. GESNER. legi iubet ἐξετάζεται.

ἐν ῥήσει τιθεμένων, οὐδαμῆ τὰ πρὸς φύσιν αὐτέοισι χωρήσει.

4 Εὑρίσκονται γοῦν οὗτοι [f] παραπλησίην ὁδὸν ἐκείνοισι[g] πεπορευμένοι. διόπερ ἀπογυμνούμενοι, τὴν πᾶσαν ἀμφιέννυνται [h] κακίην [i] καὶ ἀτιμίην.

5 Καλὸν γὰρ, ἐκ τοῦ διδαχθέντος ἔργου λόγος [k]. πᾶν γὰρ τὸ ποιηθὲν τεχνικῶς, ἐκ λόγου ἀνηνέχθη· τὸ δὲ ῥηθὲν τεχνικῶς, μὴ ποιηθὲν δὲ, μεθόδου ἀτέχνου δεικτικὸν ἐγενήθη.

6 Τὸ γὰρ οἴεσθαι μὲν, μὴ πρήσσειν δὲ, ἀμαθίης καὶ ἀτεχνίης σημεῖόν ἐστιν. (IV Lind.) οἴησις γὰρ, μάλιστα ἐν ἰητρικῇ, αἰτίην [l] μὲν τοῖσι κεχρημένοισιν [m], ὄλεθρον δὲ τοῖσι χρεομένοισιν ἐπιφέρει.

7 Καὶ γὰρ ἢν ἑωυτοὺς ἐν λόγοισι πείσαντες, οἰηθῶσιν εἰδέναι

f Hic g necessario assumendum videtur ZVINGERO, qui in margine ex MSS. apposuit, & CORNARIO: quamuis FOESIVS in textu omittat, nec tamen improbet illam restitutionem. Conf. infra ad *Sect.* VI *not.* a. At Celeb. GESNERVS nil opus esse censet, quum hic intelligat eiusmodi malos artifices, qui similes sint istis *Sect.* II notatis.

g Nimirum, οἷς προσῆν τὸ ἡγεμονικώτατον τῆς φύσιος, comm. I huius, sec. vulgarem intellectum: sed v. notam praec. f.

h Eadem metaphora recurrit *Sect.* XVIII, 1; sed in meliorem partem. Et conueniens quidem est haec metaphora, quum totus adeo libellus simili tropo, περὶ εὐσχημοσύνης inscriptus sit.

i Vid. *Sect.* I not. f.

k Λόγος hic, originali quadam & exquisita significatione, notat sermonem eum, qui rationis, vnde proficiscitur, ideas siue notiones ratiociniaque, tanquam in typo, sincere exprimit: siquidem oratio est ratio extra animum, ad sensuum perceptionem prodiens; siue, vt legitur apud PLATONEM in *Sophista*, ἡ διάνοια καὶ ὁ λόγος ταυτὸν· πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὐτὴν διάλογος, ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος, τοῦτ' αὐτὸ ἡμῖν ἐπωνομάσθη διάνοια· τόδε γ' ἀπ' ἐκείνης ῥεῦμα, διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου, κέκληται λόγος. Similiter HIPPOCRATES περὶ τέχνης, post pr. ait, τὰ ὀνόματα, φύσιος νομοθετήματά ἐστι. Haec igitur appellatio

ſi igitur quis ex illis inquiſiuerit in veritatem eorum, quae ſermone expoſita ſunt, Naturae opera & effectus nequaquam ipſis ſuccedent.

4 Quare videre licet, huiusmodi profeſſores artium affini cum iſtis via in colendis artibus procedere. Quapropter etiam, deſtituti exutique falſa ſua ſcientiae perſuaſione, nudi apparent; viciſſim vero omnimodam induunt ignauiam atque contemtum.

5 Enimuero, pulchra eſt ratio & oratio, quae proficiſcitur ex ipſius operis diſciplina. Quicquid enim ex rationibus artis fit, id ex legitimo rationis vſu translatum eſt: e diuerſo autem, ſi quid ſecundum praecepta quidem artis diſſeratur, ſed non opere ipſo demonſtrari poſſit, indicium eſt methodi a veris artis rationibus alieni.

6 Etenim, ex opinionum commentis disputare de rebus, non autem facere poſſe, ſignum eſt peruerſae diſciplinae & ruditatis in artis operibus. Eiusmodi vero opinatio, cum in artibus reliquis omnibus, tum maxime in Medicina, cum eos, qui ſecundum illam res ſuas agunt, reos facit culpae, ſi quid mali euenerit; tum iis, qui iſtiusmodi artificibus ſe committunt, perniciem affert.

7 Quodſi iſti homines propter probabilis ſermonis nexum, ſibi ipſi eam induerint perſuaſionem, vt putent, ſe ſcire rationem opus ipſum

pellatio eſſet exemplo, Auctorem libelli fuiſſe πρὸς τὰς ἀποσιγήσιας ἐνθυμηματικὸν, item, πρὸς λόγυς ἀνυςὸν, ſicut in medico ſupra Sect. III, 3 & 5 requiſiuit: &, ὅτι γέγονεν ἀνὴρ τὴν ὀνοματοποιΐαν εὐχερὴς, περιγράψαι καὶ διάνοιαν ἱκανὸς, καὶ τῆς κοινῆς καὶ εἰς πολλοὺς πιπτέσης λέξεως ἐκλέξασθαι τὴν κυριοτέραν, vti iudicauit de Hippocrate Erotianvs, vid. *Proleg.* §. XVI. Caeterum, eximius, quo ſenſus horum verborum declaratur, locus ex pr. Παραγγελιῶν, in *Commentario* exhibebitur.

l Conf. *Sect.* II not. a. Eodem modo loquitur Auctor libri περὶ τέχνης, paullo ante medium, Τὺς δὲ ἐν τῇσι τῶν ἀποθνησκόντων συμφορῇσι τὴν τέχνην ἀφανίζοντας θαυμάζω, ὅτῳ ἐπαιρεόμενοι ἀξιοχρέῳ λόγῳ, τὴν μὲν τῶν ἀποθνησκόντων ἀκρησίην, οὐκ αἰτίην καθιςᾶσι· τὴν δὲ ἰητρικὴν μελετησάντων σύνεσιν, αἰτίην. Et paullo poſt, Ὧν οἱ μὴ ὀρθῶς λογιζόμενοι, τὰς αἰτίας τοῖς οὐδὲν αἰτίοις ἀνατιθέασι· τὺς αἰτίυς ἐλευθεροῦντες. *Conf.* Προγνωςικ. 1 extr.

m Conf. *Lex* pr. An κεκτημένοισιν; quemadmodum in pr libri περὶ φυσῶν. Εἰσί τινες τῶν τεχνέων, αἱ τοῖσι μὲν κεκτημένοισίν εἰσιν ἐπίπονοι, τοῖσι δὲ χρεωμένοισιν ὀνηϊςοί.

ναι ἔργον τὸ ἐκ μαθήσιος, καθάπερ χρυσὸς φαῦλος ἐν πυρὶ κριθεὶς, τοιούτους αὐτοὺς ἀπέδειξε.[n]

8 Καί τοι γε τοιαύτη ἡ πρόῤῥησις ἀπαρηγόρητον εἰς σύνεσιν ὁμογενέσιν.[o]

V. Ὡς [a] ἔστιν εὐθὺ τὸ πέρας, ἐδήλωσε γνῶσις. τῶν δ' ὁ χρόνος [b] καὶ τὴν τέχνην εὐοδέα κατέστησεν; ἢ τοῖσιν ἐς τὴν παραπλησίην οἶμον ἐμπίπτουσιν τὰς ἀφορμὰς [c] δήλους ἐποίησε.

2 Διὸ δεῖ ἀναλαμβάνοντα [d] τουτέων τῶν προειρημένων ἕκαστα, μετάγειν [e] τὴν σοφίην ἐς τὴν ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν σοφίην. (V. Lind.) ἸΗΤΡΟΣ γὰρ ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ, ἸΣΟΘΕΟΣ.[f]

VI.

[n] Scilicet, τὸ ἔργον sub figura autem τῶ χρυσῶ φαύλω, οἴησις, falsa scientiae persuasio intelligenda est.

[o] Hic nodus admodum perplexus est. Tentaui, an sic declarari haec verba possent: Hi opinatores, si alios instituerint, opinionumque suarum commenta pro praeceptis tradiderint, & probabili tantum sermone, sine ipsa artis exercitatione veriue operis demonstratione, docuerint: eos quidem sui similes faciunt; sed nihil iisdem solatii, hoc est, opis, adiumenti, ad vtilem artis cognitionem afferunt. Sic Germani dicunt, *wenig Trost bey einem Scribenten, in einem Buche, &c. finden*, i. e. *Unterricht*. Πρόῤῥησις autem, hac interpretatione, significaret praecedentem institutionem, praeformatam disciplinam, &c. Sed, quum haec aliquo modo inuita & detorta videantur, forte sic facilior fuerit intellectus, Similiter euenturum esse praedico illis, qui eadem ratione, qua isti opinatores, hanc artem addidicerint atque tractauerint: qualis quidem praedictio & mala ominatio nihil ipsos aliud nisi triste, & infelicem rerum successum sperare iubet. Et ita fere interpretatur Foesius, cum Cornario. Denique simplicissimum fortasse foret, legere, ἀπαραχώρητον, & ita exponere, At hoc si praedicetur istiusmodi cultoribus artis, illud ne capere quidem intellectu possunt; multo minus sibi persuadere. Nam hoc non nisi experientia magistra cognosci potest, estque aliquid eiusmodi, quod nec dici possit nec scribi, qua de re alibi. Multum cum mea interpretatione conuenire video hanc Schelhammeri in all. Diss. Thesi LX, Quanquam quod ego haec praedico, nihil apud eos, qui similiter affecti natique sunt, proficio ad intelligentiam,

Sub-

ipſum peragendi, id quod in legitima diſciplina addiſcitur: ſane, quemadmodum adulterinum aurum, dum igne examinatur, falſum deprehenditur, ſic iſtos opus ipſum & vera pericula inertes demonſtrant.

8 At talis quidem haec praedictio aliis eiusdem generis cultoribus artium nihil ſolatii vel vſus ad intelligendum veras artis rationes praeſtat.

V. Iam, quatenus recta via proceſſum ſit ad terminum aut finem artis, certa rerum medicarum cognitio manifeſtum fecit: in aliquibus autem rebus tempus quoque partim in expedita via artem conſtituit, partim iis, qui ſimilem viam ingreſſi ſunt, oſtendit, vnde vlterius progredi debeant.

2 Quapropter Medicum oportet iſta, de quibus adhuc dictum eſt, omnia & ſingula aſſumere, & tali modo transferre Philoſophiam ad Medicinam, & viciſſim Medicinam ad Philoſophiam. Etenim MEDICVS PHILOSOPHVS, eſt DEO SIMILIS.

VI.

Subiungit: *Quodſi Moſen & Prophetas non audiunt, quid aliis ſpei poſſet potius ſupereſſe?* Caeterum, hoc loco longe alia aliorum eſt & diſtinctio & explicatio, ſiue potius implicatio: legunt enim vna ſerie, Καί τοι γε τοιαύτη ἡ πρόῤῥησις ἀπαρηγόρητον εἰς σύνεσιν ὁμογενέσιν ὡς ἐστιν εὐθὺ τὸ πέρας, ἐδήλωσε γνῶσις. Aliqui pro ὁμογενέσιν, exhibent ὁμογένεσιν.

a Senſu, quem in Interpretatione expreſſi, adductus, & quia ſequens, τῶν δὲ, indicio eſt, hic duo membra facta eſſe, fere perſuadeor, excidiſſe ab initio τῶν μὲν, & ita reſtituendum eſſe contextum, Τῶν μὲν, ὡς ἐστιν κ. τ. λ. aut, Τῶν μὲν ἓν, ὡς κ. τ. λ. Zv. in margine, δ' inter ὡς & ἐστιν.

b Haec cum ſequentibus clariſſimam lucem accipiunt ex loco quodam libelli περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, quem ad *Commentarium* reſeruo.

c Hoc eſt, τὰ εὑρημένα, ἐξ ὧν ὁρμώμενος ζητέῃ ὁ εἰδώς. ſicut in loco proxime citato haec explicantur.

d Quemadmodum ſupra, *Sect.* I, 2 dixit, ληφθέη τουτέων μέρεα ἐς ἐκεῖνα· & inferius, *Sect.* XVIII, 1 διειληφότα τὰ μέρεα, περὶ ὧν εἰρήκαμεν.

e Supra *Sect.* I, 2 ἐφελκύειν· & comm. 3 ibidem, πρὸς ἕτερόν τι ἐς τέχνην ποιέειν· item, *Sect.* IV, 2 ἡ φύσις κατέῤῥυη καὶ κέχυται τῇ σοφίῃ. Zv. p. 87 *alteram in alterius agros quasdam veluti colonias ducere.*

f Φιλόσοφος, & ἰσόθεος, ſunt voces Pythagoricae diſciplinae: de quibus in *Prolegomenis*, & *Commentario.*

VI. Ὀυ [a] πολλὴ γὰρ διαφορὴ ἐπὶ τὰ ἕτερα [b]. καὶ γὰρ ἔνι τὰ πρὸς σοφίην ἐν ἰητρικῇ πάντα·

2 ἀφιλαργυρίη· ἐντροπή·* ἐρυθρίησις· καταστολὴ [c]· δόξα [d]· κρίσις [e]· ἡσυχίη· ἀπάντησις [f]· καθαριότης· γνωμολογίη· εἴδησις τῶν πρὸς βίον χρηστῶν καὶ ἀναγκαίων καθαρσίων· ἀπεμπόλησις [g]· ἀδεισιδαιμονίη· ὑπεροχὴ θεία.

3 Ἔχουσι γὰρ, ἃ ἔχουσι, πρὸς ἀκολασίην, πρὸς βαναυσίην [h], πρὸς ἀπληστίην, πρὸς ἐπιθυμίην, πρὸς ἀφαίρεσιν, πρὸς ἀναιδείην [i] ἐνιδεῖν.

4 Ἄυτη γὰρ ἡ ** γνῶσις τῶν προσιόντων, καὶ χρῆσις τῶν πρὸς φιλίην, καὶ ὡς, καὶ ὁκοίως τε [k] πρὸς τέκνα, πρὸς χρήματα [l].

5 Ταύτῃ μὲν οὖν ἐπικοινωνὸς, σοφίη τὶς, (VI Lind.) ὅτι καὶ ταῦτα τὰ πλεῖστα ὁ ἰητρὸς ἔχει.

VII.

a Necessarium vtique videtur hoc ἐ· tametsi in MSS. deficere moneat FOESIVS. Simile exemplum supra occurrit, *Sect.* IV, 4 *not.* f. SCHELHAMMER. Thes. LXVI ἐ non assumit, & *sic interpretandum opinatur:* Est autem huius alia longe quam aliarum artium ratio &c. Zv. tamen etiam illud ἐ expressit.

b Infra *Sect. XVI*, 3 similiter ἐφ᾽ ἑκάτερα.

* SCHELHAMMER. bis εὐτροπὴ, Thes. LXV & LXVIII.

Conf. *Sect.* IX, 5 & XII, 3.

d Parum abest, quin rescribam δόξαι· Vid. *Commentarius.*

e Accipienda haec vox eo fere sensu, quo dicitur in *Aphorismo* omnium primo, ἡ κρίσις χαλεπή.

f Quemadmodum *Sect.* XII, 3 dicitur ἀντίληξις πρὸς τὰ ἀπαντώμενα.

g Hoc verbum & insusitatum est, nec commodam interpretationem, quae tam ad Philosophiam quam ad Medicinam applicari possit, admittit. Quare cogitaui, an ita reformari possit, vt aliquid

VI. Neque enim multum vtrinque discriminis intercedit. Nam, quaecunque ad Philoſophiam pertinent, ea etiam in Medicinali profeſſione inuenire licet:

2 veluti ſunt, Vacuitas ab habendi cupiditate, Verecundia, Erubeſcentia, Modeſtia, Axiomata, Iudicium, Tranquillitas, Reſponſio, Mundities, Sententioſa oratio, cognitio Purgationum ad vitam recte honeſteque agendam vtilium & neceſſariarum, Peregrinatio in ciuitatibus, Vacuitas a metu daemonum, Excelſitas animi diuina.

3 Poſſunt enim Medici ex iis, quibus vſus & ſcientia medendi conſtat, perſpicere, hanc artem non poſſe recte honeſteque exerceri cum Intemperantia, cum Illiberali quaeſtus ſtudio, cum inexplebili Cupiditate habendi, cum Libidine, cum Ablatione rerum alienarum, cum Impudentia.

4 Hoc enim ipſos docet Notitia accedentium, & Vſus eorum officiorum quae pertinent ad Amicitiam colendam, & praecipiunt, cum gnatis & inter alienarum facultatum vſum Medico verſandum eſſe, & quomodo in iſtis ſeſe gerere debeat.

5 Quatenus igitur haec Medicinae ſunt communia, eatenus eſt quaedam Philoſophia: quoniam Medicus quoque plurimum illarum virtutum & officiorum vſum habet.

VII.

quid in MSS. excidiſſe dicatur, quod reliquae corruptioni anſam dederit: breuiter, ſic reſtitui poſſe putaui, ʼΑΠοδήμησις (aut ſimile vocabulum) ΕΝ ΠΟΛΕΣΙ. Nam & de Philoſophis & Medicis illorum temporum conſtat, eos multum peregrinatos fuiſſe: vid. *Proleg.* §. III extr, & §. IX extr.

[h] Vid. *Sect.* II *not.* f.

[i] Opponitur τῇ ἐντροπῇ καὶ ἐρυθριήσει, comm. 2 huius *Sect.* VI. Alii legunt, ἀνειδείην· quod eſſet ab εἶδος, & interpretandum foret *deformitas*, ἀσχημοσύνη (*Sect.* I, 3.)

** Τὸ ἢ ap. Zving. in textu omittitur, in margine licet adſcriptum.

[k] Παραγγελιῶν principio ſimilia leguntur, οἷς, ὅτε, καὶ ὁκοίως· vnde ſuſpicio naſci poſſet, hic eodem modo reponendum eſſe, καὶ οἷς, ὅτε, καὶ ὁκοίως· praeſertim, quum in vulgari lectione illud τε inutile ſit.

[l] Supplendum, δεῖ ἔχειν τὸν ἰητρόν· quemadmodum *Proleg.* §. XXIV, 5 ἐγκρατέως δεῖ πρὸς ἅπαντα ἔχειν ταῦτα.

VII. Καὶ γὰρ μάλιϛα ἡ περὶ Θεῶν εἴδησις ἐν νῷ, αὐτῇ [a] ἐμπλέκεται. ἐν γὰρ τοῖσιν ἄλλοισι [b] πάθεσι καὶ ἐν συμπτώμασιν [c] εὑρίσκεται τὰ πολλὰ πρὸς θεῶν ἐντίμως κειμένη ἡ ἰητρική.

2 Οἱ δὲ ἰητροὶ θεοῖσι παρακεχωρήκασιν [d]. οὐ γὰρ ἔνι [e] περιττὸν [f] ἐν αὐτέῃ [g] τὸ δυναϛεῦον.

3 Καὶ γὰρ οὗτοι [h] πολλὰ μὲν μεταχειρέονται· πολλὰ δὲ καὶ κεκράτηται αὐτέοισι δι' ἑωυτέων.

VIII. Ἃ δὲ καταπλεονεκτεῖ [a] νῦν ἡ ἰητρικὴ, ἐντεῦθεν [b] παρέξει. τίς γὰρ ὁδὸς τῆς [c] ἐν σοφίῃ, ὧδε. καὶ γὰρ αὐτέοισιν ἐκείνοισιν [d].

2 Οὕτω

† Quanquam ex verae religionis scitis haec ad vnum verum Deum referenda sint: tamen, quum Hippocratis sententia reddi debeat, non nostra Christianorum, religioni mihi non duco, numerum plurium adhibere; quod quidem aliqui prohibent. vid. Iac. THOMASII *Disp. de Stili Ethnicismo circa iurandi aduerbia*, §. III not. d. item, Car. ROLLIN *dans la Maniere d'enseigner & d'etudier les Belles Lettres*, Liv. II Chap. I Art. IV T. I p. 311 sqq. Nam & in Bibliis, gentium dI plus simplici vice nominantur.

a Scilicet ἰητρικῇ nec video necessitatem emendandi αὐτῷ· nimirum vt subaudiatur ἰητρῷ· quam emendationem ii susceperunt, qui illa verba ἐν νῷ proxime construxerunt cum αὐτῷ. Mecum facit I. A. SCHMIDT *de Theol. Hippoc. Nat.* p. 13. V. Cl. Car. Philipp. GESNERVS in Diss. *de Diuino Hippocratis* §. IV not. (d) legit *accentu mutato* αὐτὴ, *& refert ad* εἴδησιν.

b Quid si legatur ὅλοισι; vel αὐτοῖσι;

c A morbis ipsis distinguuntur ea, quae circa morbos variis modis accidunt, & vt effectus testantur de conditione morbi vel caussae vel ipsorum aliorum symptomatum morbi.

d Imperium sibi non arrogant Medici in vitae, sanitatis, ac valetudinis negotio, non putant se Dominos esse Naturae, si genuina significatione vocabula sumi debent; sed summum rerum omnium Arbitrum ac Moderatorem ipsi quoque in operibus artis vbique deprehendunt & agnoscunt, eiusque auxilium aduocant, & plurimum eidem tribuunt.

Vulgo

VII. Nam inprimis etiam Deorum † cognitio in mente, intime cum Medicina connexa eſt: ſiquidem deprehenditur, Medicinam ita comparatam eſſe, vt, dum tractat cum ipſos morbos, tum eorundem ſymptomata, ſingularem erga Deos reuerentiam multis modis inducat atque praecipiat.

2 Itaque DIS imperium concedunt Medici: non enim in ſuae artis effectu inueniunt exſuperantem illam potentiam, quae omnia continet & efficit.

3 Nam vtuntur quidem DI in plurimis miniſterio Medicorum: ſed tamen plurima etiam ipſi per ſe in ſuperandis morbis adminiſtrant.

VIII. Iam, quodcunque incrementi Medicina in praeſente rei conditione habitura eſt, id indidem conſequetur. Etenim Medicinae cum Philoſophia copulatae quaſi quaedam via eſt, quae huc conducit. Et nota quidem haec methodus eſt iſtis Medicis Philoſophis.

2 Neque

e Vulgo hunc locum explicari video, ac ſi legeretur ἐςί.

f Omnes, quos vidi, interpretantur *otioſum, ſuperfluum*, &c.

g Subintelligitur ἰητρικῆ.

h Scil. ὁι Θεοί. Deus multa quidem in curanda valetudine, manu & miniſterio Medicorum peragit, in quos ſuam medendi virtutem velut de manu in manum transfert & communicat: quemadmodum Medici & ipſi ſaepe miniſtrorum opera vtuntur. Sed tamen etiam ſaepenumero accidit, vt Medici ſuam artem deficere agnoſcant, & ipſe Deus arcano conſilio & admirabili ſapientiae moderamine, negotium humanae valetudinis adminiſtret, nonnunquam Naturae vires ad eum ſcopum dirigendo, nonnunquam vel Miraculis editis.

a Eſt Futuri temporis, ſicut ex ſequente παρέξει apparet. Hoc autem monere viſum fuit, quia interpretes fere pro Praeſente accipiunt.

b Id eſt, rationibus adhuc propoſitis, transferendo Philoſophiam ad Medicinam, virtutem colendo, Naturam ducem ac magiſtram ſequendo, Deum auctorem atque adiutorem agnoſcendo; verbo, φύσει καὶ Θεοῖς, vt Hippocrates alibi loquitur.

c Subaud. ἰητρικῆς.

d Fatendum eſt, hic grauiorem mendam ſubeſſe, nec intelligi haec ſatis commode poſſe, ſi vel maxime ſuppleueris, τοῖς ἰητροῖς. Liceat igitur coniecturam proponere: Nimirum, venit mihi in mentem, ſic reconcinnari haec verba poſſe, τὶς γὰρ ὁδὸς τῆς ἐν σοφίῃ, ἀδὼς

2 Ὅυτω δ᾽ ὀυκ ὄιονται [e]· ὁμολογέουσιν ὧδε τὰ περὶ σώματα [f] παραγενόμενα [g], ἃ δὴ διὰ πάσης ἀυτέης [h] πεπόρευται, μετασχηματιζόμενα ἢ μεταποιούμενα· ἃ δὲ, μετὰ χειρουργίης ἰώμενα· ἃ δὲ, βοηθούμενα θεραπευόμενα [i], ἢ διαιτώμενα.

3 Τὸ δὲ κεφαλαιωδέστατον ἔστω, ἐις τὴν τουτέων [k] ἔιδησιν.

IX. (VII Lind.) Ὄντων ὄυν τοιουτέων τῶν προειρημένων ἁπάντων, χρὴ τὸν ἰητρὸν ἔχειν τινὰ ἐυτραπελίην [a] παρακειμένην. τὸ γὰρ ἀυστηρὸν [b], δυσπρόσιτον καὶ τοῖσι ὑγιαίνουσι καὶ τοῖσι νοσέουσι.

2 Τηρεῖν δὲ χρὴ ἑωυτὸν ὅτι μάλιστα μὴ πολλὰ φαίνοντα τῶν τοῦ σώματος μερέων [c]· μηδὲ πολλὰ λεσχηνευόμενον τοῖσιν ἰδιώτῃσιν [d], ἀλλὰ τ᾽ ἀναγκαῖα· νομίζει γὰρ τοῦτο βίῃ εἶναι ἐς πρόσκλησιν [e] θεραπηΐης.

3 Ποιέειν

δηγεῖ ἀυτέους (sc. τοὺς ἰητροὺς) ἐν ἐκείνοισιν, scil. ἃ καταπλεονεκτεῖ ἡ ἰητρική· vt ὁδηγεῖ sit futuri temporis. Zv. p. 89 *An ὄιδε legendum? (* pro ὧδε, scil.)

[e] Ὄιησις non est bonorum artificum, *Sect.* IV, 6 & 7.

[f] Videlicet, ἀνθρώπινα.

[g] Nimirum, πάθη καὶ συμπτώματα, *Sect.* VII, 1.

[h] Scilicet, τῆς ἰητρικῆς.

[i] Scil. remediis Pharmaceuticis.

[k] Sic quoque Zv. Alii & ipse FOESIVS ediderunt, τοιουτέων. Quidam interpretati sunt perinde, ac si legissent τῶν θεῶν. Et ita Zv. quoque pag. 89.

[a] Vox ἐυτραπελίας hic comitatem inprimis in alloquiis responsionibusque significat. Apud CICERONEM, *ad Familiares Epist.* VII, 32 adhibetur de iocorum saliumque vrbanitate, facetiis, & elegantia. Christianis quidem a S. PAVLO Apostolo, *ad Ephesios* V, 4 interdicitur ἐυτραπελία, coniungiturque cum ἀισχρότητι & μωρολογία, & οὐκ ἀνῆκον vocatur: vbi intelligenda videtur de studio iaciendi faceta & iocosa dicta. Zv. p. 90 *Aristoteles ἐυτραπελίαν proprie in ludicra conuersatione ponit, ὡς ἐυτροπίαν quandam, quod omnium moribus quouis loco & tempore se norit accommodare: quam Latini Vrbanitatem, quod vrbanos maxime deceat, & fortassis ἀπὸ τῶν κωμῶν, Comitatem dixere, vnde Comoedia quoque nomen traxit. In conuersatione vero seria (qualis est quam maxime inter medicum & aegrotos) virtutem anonymon, amicitiae similem, statuit, quam Latini, feliciores hac in parte*

2 Neque vero haec apud ipſos mera opinatio eſt: ſed conſentanea hiſce ſunt ea, quae circa corpora humana euenire obſeruantur, cum illa, quae omnem Medicinam pertranseunt, quatenus transfigurantur aut transmutantur; tum illa, quae ope Chirurgiae ſanantur; tum illa, quae auxilium a Therapeutica, vel a Diaetetica accipiunt.

3 Et ad harum quidem rerum ſcientiam vt perueniatur, ſumma ſit totius Medicinalis diſciplinae.

IX. Quandoquidem igitur omnia huc vsque dicta ſe ita habent. Medicum oportet comitatem quandam prae ſe ferre. Auſteritas enim & ſanos & aegros abſterret ab adeundo compellandoue.

2 Maxime etiam ipſi cauendum eſt, ne multa ſui corporis membra nuda appareant. Neque decet multum confabulari cum idiotis; ſed ea tantum ad ipſos loqui, quae neceſſaria ſunt. Aliter enim putat haec turba, id fieri ſtudio, quo te iis obtrudere velis, vt ad curationem ſibi adhibendam te aduocent.

3 In

te Graecis, Popularitatem & Familiaritatem, a ciuili & domeſtico conuictu, appellarunt, in vniuerſum vero Humanitatem & Facilitatem. Eam hoc loco Hippoc. εὐτραπελίην *vocat: in* Παραγγελίαις *vero* εὐχαριςίην. Conf. *Epid.* VI, 4, 24 ſeqq.

[b] Conf. *Proleg.* §. XXIV, 3 & 4.

[c] Hic reſpiciendum ad antiquorum amiciendi veſtiendique rationem, qua neque braccis, neque tibialibus noſtris, neque manicis vtebantur veteres Graeci pariter ac Romani. Vid. CASAVBONVS ad *Theophraſti Charact.* ad caput περὶ βδελυείας, voc. ἀνασυράμενος, p. m. 242; itemque ad *Sueton. Auguſt.* c. 82 pr.

[d] Ἰδιώτας ab Hippocrate vocari, qui CELSO dicuntur eſſe ſuae ſpontis, ponit Vir Celeb. Io. Henr. SCHVLZE, in *Hiſtoria Medicinae*, Period. I. Sect. III Cap. IV §. II Not. * Sed non credo ita hoc accipiendum eſſe, quaſi ſemper & vbique hoc ſenſu vſurpet hoc vocabulum Hippocrates; ſaepiſſime enim οἱ ἰδιῶται opponuntur diſcipulis & miniſtris medicorum. Vid. e. c. infra *Sect.* XVII. Conf. FOESIVS in *Oeconomia*, h. v.

[e] Alii πρόκλησιν· vid. FOESIVS in *Annotationibus*, & in *Oeconomia* h. v. Res ipſa apertius propoſita videri poteſt *Prolegom.* §. XXIV, 2 & 3: vbi ad illuſtranda praeſentia praecipue conducunt illa, Τὸ γὰρ προπετὲς καὶ τὸ πρόχειρον καταφρονεῖται, κἂν πάνυ χρήσιμον ᾖ· item, Τὰ αὐτὰ παρὰ τοῖς αὐτέοις σπανίως ἔχουσιν, ἀγαπᾶται.

3 Ποιέειν δὲ κάρτα μηδὲν περιέργως αὐτέων, μηδὲ μετὰ φαντασίης.

4 Ἐσκέφθω δὲ, ταῦτα πάντα ὅκως ᾖ σοι προκατηρτισμένα [f] εἰς τὴν εὐπορίην, ὡς δέοι. εἰ δὲ μὴ, ἐπὶ τοῦ χρέους ἀπορίη αἰεὶ δή.

5 Μελετᾷν δὲ χρὴ ἐν ἰητρικῇ ταῦτα μετὰ πάσης καταστολῆς περὶ ψηλαφίης καὶ ἐγχρίσιος, κ. τ. λ. Enumerantur enim complura remediorum instrumentorumque Chirurgicorum genera, quae Medicum oportet in promtu habere: ſed duplicem eum eſſe debere apparatum, alterum maiorem, alterum ſimpliciorem, quem in obeundis peregrinationibus ſecum ferre poſſit. Deinde pergit:

X. (VIII, 4 Lind.) Ἡ δ' εὐχερεστάτη (παρέξοδος [a]) διὰ μεθόδων [b]. οὐ γὰρ οἷόν τε διέρχεσθαι πάντα τὸν ἰητρόν.

2 Ἔστω δέ σοι εὐμνημόνευτα φάρμακά τε καὶ δυνάμιες ἁπλαὶ, καὶ ἀναγεγραμμέναι, εἴπερ ἄρα ἐστὶν ἐν νόῳ καὶ τὰ περὶ νούσων ἴησιος, καὶ οἱ τοιουτέων τρόποι, ὁσαχῶς, καὶ ὃν τρόπον περὶ ἑκάστων ἔχουσιν.

3 Αὕτη γὰρ ἀρχὴ ἐν ἰητρικῇ, καὶ μέσα, καὶ τέλος.

XI. Recenſentur aliqua medicamentorum genera, quae praeparata eſſe debent, antequam morbi curatio ſuscipiatur; additis monitis de conditionibus illorum medicamentorum.

XII. Ἐπὴν δὲ ἐσίῃς πρὸς τὸν νοσέοντα, τουτέων σοι ἀπηρτισμένων, ἵνα μὴ ἀπορῇς, εὐθέτως ἔχων ἕκαστα πρὸς τὸ ποιησόμενον.

2 (IX. Lind.) Ἴσθι δὲ γινώσκων, ὃ χρὴ ποιέειν, πρὶν ἐσελθεῖν. πολλὰ γὰρ οὐδὲ συλλογισμοῦ, ἀλλὰ βοηθείης δεῖται τῶν πραγμάτων. προδιαστέλλεσθαι οὖν χρὴ τὸ ἐκβησόμενον ἐκ τῆς ἐμπειρίης [a]. ἔνδοξον γὰρ καὶ εὐμαθές.

3 Ἐν

[f] Hoc monitum ſaepius inculcat Auctor: vid infra in eadem hac *Sect.* it. X, 2. & XI. & XII, 1 & 2.

[a] q. d. apparatus παρὰ τὴν ἔξοδον, ad exeundum iterue faciendum.

[b] Methodi dicuntur hoc loco compendia quaedam rei medicamentariae, cum neceſſariis inſtrumentis, ſiue ad Phar-

3 In administratione autem eorum, quae sunt Medici, sane nihil superuacanea opera agendum est, neque etiam ad vanam speciem.

4 Prouideas autem, vt omnia ea, quibus opus habebis, antea tibi parata & in promtu sint, prout decet. Quod nisi fiat, deinde, quum ad ipsum opus peruentum fuerit, semper haerebis.

5 Oportet autem in Medicina procurare ista cum omnimoda modestia in contrectatione & inunctione, *&c.*

X. Expeditissime vero apparatus, quo in curationibus obeundis vtaris, instruitur per quaedam compendia: neque enim omnia in singulis casibus percensere animo potest Medicus.

2 Propterea in promtu habeto eiusmodi medicamenta, quae, & quorum facultates simplices facile recorderis; quem in finem ea quoque descripta habeto. Verum simul necesse est, vt probe teneas praecepta de curatione morborum, itemque horum modos ac mores, quotupliciter & quem ad modum in singulis sese habeant.

3 Hoc enim est in Medicina principium, & medium, & finis.

XII. Quum vero ad aegrotum introiturus es, ne postea haesites, ista tibi parata sunto, & ita disposita, vt statim ad id, quod faciendum est, adhibere possis.

2 Quod autem facere oportebit, id apud animum tuum ante reputato, quam introëas. Etenim postea in plurimis, quae obueniunt, non licet diu secum deliberare, sed auxilium ipsa opera ferendum est. Oportet igitur ea, quae euentura sunt, praeuisa habere ex experientia: hoc enim cum ad gloriam facit, tum haud difficulter discitur.

3 In

maceuticam, siue ad Chirurgicam, siue ad Diaeteticam partem pertineant. Eiusdem generis sunt quorundam Methodiae Practicae, Euporista, &c.

a Id est, ex historia decursus morborum, & curationum: quam notitiam tibi vel ex praesentibus operum in disciplina medicinali demonstrationibus, vel ex

3 Ἐν δὲ τῇ εἰσόδῳ μεμνῆσθαι καὶ καθέδρης [b], καὶ καταστολῆς, περιστολῆς [c], ἀνακυριώσεως [d], βραχυλογίης [e], ἀταρακτοποιησίης [f], προσεδρίης [g], ἐπιμελείης [h], ἀντιλέξιος πρὸς τὰ ἀπαντώμενα, πρὸς τοὺς ὄχλους τοὺς ἐπιγινομένους εὐσταθίης τῆς ἐν ἑαυτῷ [i], πρὸς τοὺς θορύβους ἐπιπλήξιος [k], πρὸς τὰς ὑπουργίας [l] ἑτοιμασίης.

XIII. XIV. XV. (IX extr. X. XI pr. Lind.) Continent praecepta egregia de frequenti ad aegrum acceſſu & exploratione conditionum aegritudinis, de cautionibus aduerſus errores aegrotantium, de regimine variarum rerum circumſtantium.

XVI. (XI, II Lind.) Πρήσσειν δ' ἅπαντα ταῦτα ἡσύχως, εὐσταλέως [a], μεθ' ὑπουργίης [b], τὰ πολλὰ τὸν νοσέοντα ὑποκρυπτόμενον· ἃ δὲ χρὴ, παρακελεύοντα ἱλαρῶς καὶ εὐδιεινῶς·

2 σφέτερα [c] δὲ ἀποτρεπόμενον, ἅμα μὲν ἐπιπλήσσειν μετὰ πι-

ex traditione, vel ex deſcriptione denique comparaueris. Vt haec, & quam ἔνδοξον ſit, magis declarentur, vnice profuerit adſcribere principium libri *Prognoſtici*, ex interpretatione Foesii: *Operae pretium mihi facturus Medicus videtur, ſi ad prouidentiam ſibi comparandam omne ſtudium adhibeat. Quum namque praeſenſerit & praedixerit apud aegrotos tum praeſentia, tum praeterita, tum futura, quaeque aegri omittunt, expoſuerit, res vtique aegrotantium magis agnoſcere credetur, adeo vt maiore cum fiducia ſeſe homines medico committere audeant. Curandi vero rationem optime molietur, ſi ex praeſentibus affectionibus futura praenouerit. Neque enim fieri poteſt, vt omnes aegroti ſanitatem aſſequantur. Hoc nempe longe praeſtantius foret, quam futurorum conſecutionem praenoſcere &c.*

[b] Vt *reſideat.* Celsvs *Lib.* III *Cap.* 6 *Periti Medici eſt, non protinus, vt venit, apprehendere manu brachium; ſed primum reſidere hilari vultu, percunctarique, quemadmodum ſe habeat; &, ſi quis eius metus eſt, eum probabili ſermone lenire: tum deinde eius carpo manum admouere.*

[c] Vt ſcilicet ſedeat εὐσχημόνως. Id quod etiam ad τὴν καθέδρην pertinet.

[d] Σεμνότης, ἐξουσία· vid. *Proleg.* §. XXIV, 3.

[e] Cuius quidem Hippocrates in libris ipſi vulgo tributis, ſatis exemplorum dedit, & vel maxime hoc ipſo loco, itemque ſupra *Sect.* III.

[f] Vt ſit *animo intrepidus*, quemadmodum ait Celsvs in *praefatione Libri* VII. Poteſt etiam accipi de aegrotis eorumue neceſſariis, quorum animos, per-tur-

3 In ipſo autem ingreſſu animum aduertere oportet ad ſeſſum, modeſtiam, amictum, grauitatem, breuiloquentiam, imperterritam animi fortitudinem, conſeſſum, diligentiam, reſponſionem contra obiecta, animi praeſentiam atque conſtantiam erga turbam ſuperuenientem, increpationem tumultuantium, promtam facilitatem in ſubminiſtrandis iis, quae opus ſunt.

XVI. Haec autem omnia facere oportet tranquille, decore, cum blando ſubminiſtratu, & ita vt de multis caueas ne aeger animaduertat. Quae vero imperare neceſſe eſt, ea imperanda ſunt comiter & ſerena fronte.

2 A propriis autem ipſorummet aegrorum erroribus & curandi ra-

turbatos plerumque & perculſos & proſtratos & abiectos, ſedare, erigere, ad tranquillitatem reducere ſua conſtantia, fiducia, verborumque grauitate, aut lenitate, iubeatur Medicus. Vid. locus Celsi ſupra *not.* b productus.

g Vt *aſſideat* aegro: vid. Celsvs III, 4 circa med. Idem eodem Libro, Capite 6 *Medicus*, inquit, *neque in tenebris, neque a capite aegri debet reſidere: ſed illuſtri loco, aduerſus eum, vt omnes notas ex vultu quoque cubantis perſpiciat.* Zv. p. 92 vt aegro aſſideat, neque vel foetorem, l. ſordes, l. contagium declinet.

h Inprimis in faciendis interrogationibus: qua de re vid. claſſicus Hippocratis locus in *Commentatione* noſtra *de* χρέω ἀδιδάκτῳ, §. V *not.* 4.

i Conf. *Sect.* III *not.* e. & add. Foesivs in Ἐυσαθέες.

k Vid. *Sect.* XVI, 2.

l Vid. Foesivs in *Oecon.* v. Ὑπουργέειν. Zv. Ὑπουργίην *& hic & paullo poſt ipſam aggreſſionem, ſ.* ἐγχείρησιν *medicam vocat, oppoſitam medicae methodo, vt ſingulare vniuerſali. Pro inſtrumenti autem varietate rurſus* ὑπουργίη *iſta, in* χειρουργίαν, δίαιταν, & φαρμακείαν *ſubdiuidi poteſt, vt ſupra* (Sect. VIII.)

a Vt veſtis & omnis amictus decenter & ad agendum expedite compoſitus ſit. Conf. Foesii *Oecon.* h. v. Zv. p. 93 de *agilitate* exponit, *vt expedite agat, quaecunque agenda ſunt, potiſſimum in opere chirurgico.*

b Vid. *Sect.* XII. *not.* l.

c Quaecunque aeger, & qui ei in morbo, praeter Medicum, adſunt, ſuo proprio

πικρίης [d] καὶ ἐντάσεων *, ἅμα δὲ παραμυθέεσθαι μετ' ἐπιστροφῆς καὶ ὑποδέξιος [e].

3 μηδὲν ὑποδεικνύντα τῶν ἐσομένων ἢ ἐνεστώτων αὐτέοισι. πολλοὶ γὰρ δι' αἰτίην ταύτην ἐφ' ἑκάτερα ἀπεώθησαν [f], διὰ τὴν πρόῤῥησιν τὴν προειρημένην τῶν ἐνεστώτων ἢ ἐπεσομένων.

XVII. (XII Lind.) De cura aegri, dum ipſe Medicus abeſt, per miniſtrum aliquem diſcipulum, qui iam calleat artis praecepta, non autem per idiotas adminiſtranda.

XVIII. Τουτέων οὖν ἐόντων τῶν πρὸς εὐδοξίην καὶ εὐσχημοσύνην τῶν ἐν τῇ σοφίῃ καὶ ἰητρικῇ, καὶ ἐν τῇσιν ἄλλῃσι τέχνῃσι [a], χρὴ τὸν ἰητρὸν, διειληφότα τὰ μέρεα [b], περὶ ὧν εἰρήκαμεν, περιεννύμενον [c] πάντοτε τὴν ἑτέρην [d], διατηρέοντα φυλάσσειν, καὶ παραδιδόντα [e] ποιέεσθαι.

2 Εὐκλεέα γὰρ ἐόντα πᾶσιν ἀνθρώποισιν διαφυλάσσεται [f]. οἵτε δι' αὐτέων ὁδεύσαντες, δοξαστοὶ πρὸς γονέων καὶ τέκνων.

3 Κἢν τινες αὐτέων μὴ πολλὰ γινώσκωσιν, ὑπ' αὐτέων τῶν πρηγμάτων ἐς σύνεσιν καθίστανται.

prio conſilio, iudicio, opinione, conſuetudine, &c. ducti, ad medicandum adhibent, aut proponunt, veluti remedia domeſtica, ſuperſtitioſa, &c. item, huc pertinent errores & peruerſi mores in victu totoque vitae genere aegrotantium.

d Vid. *Sect.* II *not.* e.

* GESNER. malit ἐντάσεως.

e Vid. FOESIVS in *Oeconomia*, h. v.

f Vt aut propter praenunciatum periculum, afflictiones, aerumnas, animo cadant, eaque re morbum ipſum & aegritudinem grauiorem, curationem vero difficiliorem reddant: aut, propter oſtenſa laeta omina, concepta nimia ſpe, quod reliquum eſt ad integram ſanationem, negligenter obſeruent & adminiſtrent, & inde in graues errores atque pericula incurrant. Huc conueniunt illa ex *Praeceptionum* libello, circa med. *Οἱ νοσέοντες ἀνιώμενοι*, (legendum videtur, *ἀνιέμενοι*) *νήχονται ἐπὶ ἑκατέρῃ μοχθηρείῃ, μὴ ἐγκεχειρικότες ἑωυτοὺς ἕως τέλους τῇ ἐν τῇ τέχνῃ πλείονι θεραπηίῃ. Ἄνεσις γὰρ νούσου τινὸς κάμνοντι παρέχει μεγάλην ἀλεωρήν· διὸ, δεόμενοι τὴν ὑγιεινὴν διάθεσιν, οὐκ ἐθελέουσι τὴν αὐτὴν χρῆσιν αἰεὶ προσδέχεσθαι, ὁμοιοῦντες ἰητροῦ ποικιλίῃ.* Ex verſione FOESII, *Aegroti dolore conflictati* (relaxati) *in vtraque*

ΤΕΛΟΣ.

rationibus dehortandi ſunt, ita vt eos aut ſeuere & acriter increpes, aut leniter appellando & paululum condonando flectas.

3 Praeterea nihil eorum, quae euentura ſunt aut imminent, ipſis ſignificare oportet. Multi enim hanc ob cauſſam, quod illa inſtantia aut ſuperuentura ſibi praedicta fuerant, in vnam alteramue partem modum exceſſerunt.

XVIII. Quum igitur ea, quae tam in Philoſophia, quam in Medicina, caeterisque artibus ad bonam exiſtimationem atque honeſtatem faciunt, ita ſeſe habeant: Medicum oportet, iis, de quibus diximus, particulatim ſibi adiunctis, vndique circumdatum alterius diſciplinae praeceptis, haec tam ipſum per omnem vitam obſeruare diligenterque cuſtodire, quam aliis, potiſſimum quidem praebendo exemplum ipſarum virtutum, tradere.

2 Haec enim ei veram gloriae laudem apud omnes homines conciliabunt atque conſeruabunt: &, qui hac via incedunt, illi & parentibus, & liberis honorem ac decus afferunt.

3 Quod ſi qui ex illis multarum rerum ſcientiam non habeant, tamen ſub ipſorum operum tractatione intelligentiam conſequuntur.

traque improbitate natant, quum ſeſe pleniori in arte curationi ad finem vsque non commiſerint. Morbi nempe cuiusdam remiſſio magnum affert aegro ſolatium. Quapropter quum ſanitatem maxime cupiant, eundem ſemper remediorum vſum recipere recuſant, Medici varietatem imitantes. Et deinde ibidem monet Auctor, Τὶς καλῶς ἰητρεύων, προσαγορεύσιος τοιαύτης μὴ ἀποςαίη, κελεύων τοῖσι νοσέουσι, μηδὲν ὀχλεῖσθαι τὴν διάνοιαν, ἐν τῷ σπεύδειν ἀφικέσθαι εἰς καιρὸν σωτηρίης. *Rectam curationem inſtituens aliquis, compellando aegros cohortari non deſinat, ne nimium animo perturbentur, dum ſalutis tempus praeuertere ſtudent.*

[a] Vid. *Sect.* I, 3.

[b] Conf. *Sect.* I, 2 *not.* e. it. V, 2 *not.* d.

[c] Vid. Sect. IV *not.* h.

[d] Subaud. σοφίην· conf. *Sect.* I, 3 *not.* k.

[e] Nimirum diſcipulis, ſic vt exemplum ipſorum operum praebeat. Zv. pag. 80 haec, διατ. φυλ. καὶ παραδ. ποιέ. poſita eſſe vult pro φυλάττοντα διατηρέειν, καὶ ποιέυμενον παραδιδόσθαι.

[f] Scilicet αὐτὰ πάντα, περὶ ὧν εἰρήκαμεν· & hinc quoque pendet, quod ſequitur, δι' αὐτέων. Zv. ſic vertit, *Haec enim ſunt, quae propter ſui ſplendorem ab omnibus hominibus coluntur.*

FINIS.

COMMENTARIVS

AD SECT. I.

§. 1. Quaeſtionem, An & quatenus Philoſophia ad artem Medicam adhibenda ſit? explicaturus Auctor, ſtatim ſignificat, quod principium aut quis finis ſit, hac in re ſemper prae oculis habendus, ſi ad propoſitam quaeſtionem recte reſpondere, in eaque ſoluenda rite verſari velimus: nimirum, ſupremam regulam, ad cuius conuenientiam omnis haec disputatio exigi debeat & diiudicari, ponit vſum, quem Philoſophia in efficiendis ipſis artis operibus, in ipſa vitae medicinalis actione, praeſtat. Licet enim quaelibet philoſophiae praeceptiones, contemplationes, disputationes per ſe ſatis apte, belle, recte, vereque ſe habere poſſint, iucundae etiam, decorae, glorioſa,e vtiles denique eſſe: tamen in medicina ex ea parte locum habent, quatenus ad bene obeunda medicinae munera negotiaque aliquid conferunt; nec proinde, ſi quid in philoſophia occurrat, quod aliarum intuitu rerum quantiuis pretii ſit, ſtatim etiam medico neceſſarium aut vtile putandum eſt; neque qualiscunque alicuius diſciplinae, ſcientiae, praeceptionum, disquiſitionum, praeſtantia ſatis eſt argumenti, eas quoque ad medicinam faciendam aliquid adiumenti allaturas eſſe aut neceſſario afferre debere. Principium enim & quaſi ſuprema lex, ad quam iudicium de vtilitate aliarum doctrinarum in medicina formari debet, eſt ipſa medicinalis artis natura atque conditio: ſiquidem, quum de vſu in medicina quaeratur, non poteſt aliud ferendi hac in cauſſa iudicii principium eſſe praeter relationem, quam habent illae doctrinae partes ad medicinam.

§. 2. Ipſam porro quoque medicinalem profeſſionem totam vult eſſe practicam, i. e. in efficiendis artis operibus occupatam. Medicinam itaque hactenus proprie & ſimpliciter intelligit, artem curandi valetudinem: vt cognito morbo cognitum remedium adhibeas. Quae facultas ſola quum Hippocrati illud ſit, ex quo medicus & medicina cenſeatur, deinde princeps eius pars fuit appellata, poſtquam iis quoque diſciplinarum partibus, quae ad diſcendam ac fa-

faciendam medicinam propiore quodam modo faciunt, in complexum ſtudiorum medicinalium receptis, fines huius artis aliter conſtituti ſunt: quarum ex numero eſt Anatome cum Phyſiologia, cultior Botanica, &c. Et has quidem partes, pariter ac illas, quae remotius medicum inſtruunt atque perficiunt, nunc ad Philoſophiam refert Auctor: ac docet, decere & vtile eſſe, vt eaedem ad Medicinam proprie ſic dictam adiungantur, modo recte fiat haec aſſumtio & applicatio.

§. 3. Vt igitur aliquis rite in coniungendis cum medicina praeceptis inſtitutisque philoſophiae verſetur, primum oportet ipſa artis opera diligenter factitare, ad eamque, prout decet, exercendam, i. e. ad vſum medendi, acre ſtudium operamque conferre; tum, ſi huc intendat omnem curam, aciem, induſtriamque mentis, ſub ipſa medicarum rerum tractatione, in mediis artis operibus curisque, dum in re praeſenti verſatur, manifeſto, reuera, ipſis rerum experimentis deprehendet atque perſpiciet, quibus aliarum artium ac ſcientiarum adiumentis praeſidiisque medicina indigeat, atque conſtet, & bene commodeque vti poſſit; haec igitur ſibi adiungat & in ipſum opus transferat.

§. 4. Quo quidem in negotio operae pretium eſt animaduertere nobilem viri candorem atque modeſtiam, cautamque ſimul prudentiam. Etenim omnino non, aliquas philoſophiae partes inutiles in medicina, pronunciat, quod alius fortaſſe feciſſet; ſed vltro potius largitur, philoſophiam in vniuerſum eſſe vtilem, modo in actionibus vitae verſetur, non autem in nuda ſpeculatione ſubſiſtat. Et hactenus tantum philoſophiam vſu carere ait, quatenus in ſolo contemplandi ſtudio per otium peragitur: quae vero philoſophicae disputationes inutiles ſint, ſi non cum actione coniungantur, easdem vtiles fieri, ſi in mediis rerum actibus inſtituantur. Quo argumento ſignificat, licet praecepta diſciplinae recta per ſe veraque ſint, vt tamen in adminiſtrandis vitae muneribus atque negotiis vſum praeſtare poſſint, aliquid adhuc praeterea accedere debere, nimirum actum & exercitationem. Quid autem illud ſit, quod praxis addat theoriae, quod demum exercitatione praeceptorum ipſoque rerum vſu conſequi liceat, id in medicina quidem aliqua ex parte, quatenus natura

rei permittit, oſtendere conatus ſum in Diſſ. *de Vſu in Medicina doceri neſcio :* ſed euidentia demonſtrationis aliter obtineri non poteſt, niſi in rem praeſentem veniatur, hoc eſt, actus aliquis repraeſentetur; id quod tamen vniuscuiusuis aut experimento aut recordationi permittere neceſſe eſt. Interim, ſi verum eſt, quod neminem dubitare credo, praecepta diſciplinarum verſari tantummodo circa generalia & vniuerſalia, neque ſingularium rerum varietatem tractare, praeter quorundam exemplorum propoſitionem atque declarationem, & generalem demonſtrationem modi quo quid ſigillatim propoſitum effici poſſit: certe hoc meditatis addi ab exercitatione manifeſtum eſt, quod peculiarem propriamque rerum ſingularium naturam, indolem, conditiones, multiplicemque varietatem cognoſcendam atque obſeruandam ſiſtit; id quod ſane multum eſt, praeſertim in negotiis vitae.

§. 5. Dicit autem Hippocrates, otioſum contemplandi ſtudium tendere ſ. ducere ad ignauiam ſ. inertiam. Nam quum inter contemplandum organa illa corporis, quorum miniſterio cogitata mentis in actum procedere ſolent, quieſcant: vtique & tantiſper inertia ſunt membra corporis, neque tali modo vnquam habitum agendi conſequentur, qui frequentiore demum exercitio acquiritur. Neque ipſi diffitentur philoſophi, ſe talem vitam agendo ineptos fieri ad gerenda ciuilis communisque vitae negotia: vid. *Prolegom.* §. VI not. *6.* Contra ea, ſi quis ad actiones rerum applicat animum, & in aliquo agendi propoſito mentem ſimul ad circumſpicienda meditandaque negotiorum gerendorum praeſidia doctrinarum intendit: tum omnia aliter accidunt; & quanquam circa easdem res aut veritates occupata ſit illorum contemplatio & horum cum meditatione coniuncta exercitatio, tamen pro diuerſo propoſito in eaque re verſandi modo diuerſus effectus conſequitur.

§. 6. Dum autem ſuadet Hippocrates, philoſophicas res in ipſis medicorum ſcholis ſ. medicinali diſciplina tractare, facile perſpicitur, primo, hoc intelligendum eſſe ſecundum eam, quae tunc adhuc erat, medicinam diſcendi rationem, de qua *Prolegom.* §. IX: in qua quidem vtrumque ſimul agi melius commodiusque poterat, quam noſtris temporibus per praeſentem medicinae conditionem conſtitutamque

tamque formam & diſcendae docendaeque viam licet; quanquam ſic tamen etiam nunc multiplici ratione ad antiquam methodum ſtudium medicinale conformari poſſit. Sed his perſequendis nunc non eſt locus. Deinde, apparet, hanc eſſe auctoris ſententiam, vt aſſerat, philoſophiam proprie non eſſe ſeparatam a medicina, (vid. *Prolegom.* §. X. XI. XIX) ſed in ipſa legitima rerum medicarum tractatione atque exercitatione ineſſe quoque ea, quae philoſophia de cognitione veritatis & virtute doceat atque praecipiat: id quod clarius eloquitur *Sect.* VI.

§. 7. Haec nihilo tamen minus intercedit differentia, quod tum non ita ſyſtematica, vt dicitur, methodo philoſophia tradatur intra medicorum parietes aut palaeſtras: quod etiam praeuidens Hippocrates ait, per partes adhibenda eſſe dogmata aut praecepta demonſtrationesque philoſophiae in medicina, non autem totam vno ductu philoſophiam pertractandam eſſe. Conf. *Sect. vlt.* Nam quum ad vſum artis omnes huius generis praeceptiones dirigendae ſint; in ipſis autem morborum curationibus & omni actione rerum non ſyſtema aliquod eiusue nexus reuocari in memoriam poſſit, ſed e contrario hoc multo magis obeſſet actioni, ſiquidem in ſingularibus rerum exemplis ſemper alio modo verum cum principiis vniuerſalibus connexum eſt, nec vni ſyſtemati ſuam innumerabilem rerum varietatem alligat Natura: propterea ad vſum accommodatius eſt, in partibus oſtendere nexum veritatis cum principiis iis, quae in ſua cuiusque arte fundamentum demonſtrationis continent. Quod ſi ſaepius & frequentibus exemplis factum fuerit, & naſcuntur generalium affectionum proprietatumque notiones, & habitus inducitur peruidendi in rebus ſingularibus veritatem, nec tamen ſyſtematis alicuius vinculis mens addicitur; ſed, quum tantam eorum, quae accidunt, diuerſitatem animaduertat, nullosque caſus ſibi perfecte ſimiles obſeruet, abſtrahitur potius ab illo detrimentoſo in exercendis artibus ſtudio condendi ſyſtematis. Quae forſitan fuerit cauſſa, cur Hippocrates ſyſtema non reliquerit, neque eatenus medicinae rationalis ſyſtematicae auctor factus ſit. Hoc tamen non impedit, quo minus generalia vniuerſaliaque diſciplinarum axiomata, principia, & quae ſunt ſimilia, cognoſci poſſint.

§. 8. Vt exemplum, quo adhuc propoſita illuſtrentur, afferam, ſit illud de Numeris. Quam ſubtiliter in hac doctrina philoſophatum ſit praeſertim a Pythagoreis in altiori Eſoterica diſciplina, inter omnes conſtat, & dictum aliquid in hanc rem eſt ſupra in *Proleg.* §. VIII not. 8. Hippocrates autem noſter factitando medicinam obſeruauit, certis dierum interuallis mutationes morborum criticas accidere; haec igitur interualla numeris deſignauit atque deſcripſit, & hactenus philoſophiam numerorum in medicinalis artis profeſſionem aſſumſit: neque ego crediderim, prudentiſſimum virum hac hypotheſi paſſum fuiſſe ſe decipi, & aliquid hac in cauſſa decreuiſſe, antequam obſeruatis ſuis exacte reſpondere deprehenderit; quanquam ita iudicaſſe videtur Corn. Celsvs, v. *Proleg.* §. XIII not. *. Quid autem fuerit cauſſae, cur illa ſtata criticorum dierum tempora alii non aeque obſeruauerint, hic diſputari non debet.

§. 9. Quodſi igitur iſto modo in addiſcenda exercendaque medicina aut quacunque demum arte procedatur, h. e. ſi, propoſito certo, qui efficiendus eſt, artis ſcopo, ad hunc obtinendum omnia quaelibet obſeruationis, & hinc proficiſcentis ratiocinationis ſubſidia ſolicite conquirantur: non poſſunt non intelligi phyſicae effectuum cauſſae, principia cognitionis actionisque, rerum caſuumque ſimilitudines ac diſſimilitudines, &c. indeque naſci generales atque vniuerſales agendi regulae, cum prudentia iisdem in exemplis ſingularibus vtendi; qua ipſa ratione ſcientifice, ſicut dicitur, ars exercetur, & in animo artificis forma artis conſtituta eſt coniuncto eius exercendae habitu. Neque alia ratione natae ſunt verae quarumuis artium ac diſciplinarum deſcriptiones, inſtitutiones, ſyſtemata, compendia, methodi, & quae ſunt alia praeceptorum in vnum ſyntagma certo ordine collectorum nomina. Nam, comprehenſâ prius animo artis eiusque partium formâ, facile fuit eam literis exprimere: quemadmodum ex diligenti auctorum alicuius linguae lectione & obſeruatione loquentium non difficile fuit conſtruere Grammaticam. Praebent autem tales artium deformationes, vt ita dicam, aut delineationes, ſimul exempla huius rei: nec poteſt obſcurum eſſe, quibus notis earundem veritas praeſtantiaque cenſeri debeat.

§. 10. Tali modo autem vtique complures tum partes aliarum diſciplinarum

ſciplinarum tum integrae ſcientiae in profeſſionem medicinalem inferuntur, vt partes doctrinaeque phyſicae, anatomicae, phyſiologicae, botanicae, chemicae, cet. logicae, theologicae, morales, cet. v. *Proleg.* §. XII. Quales quidem ſcientiae quum in ipſo propoſito artis opere, curatione morborum, proprie non verſentur, eatenus aliarum diſciplinarum claſſibus nominibusque continentur; nec diſtincta medicinae notione comprehenduntur. Conf. §. 2 huius *Comment.* I.

§. 11. Et poteſt quidem morbis fieri medicina absque tali philoſophiae connubio: ſed iſtiusmodi puri puti medici erant Hippocratis aetate ſerui, liberorum honeſtiorumque artis profeſſorum famuli, ad illorum imperata ſubeuntes miniſteria: v. *Proleg.* §. IX not. 8. Verum hanc faciendae artis rationem, ſordidam, inhoneſtam, atque ingloriam dicit Hippocrates, itaque remouet a legitima artis profeſſione contemtum, quo iam ſuo tempore ſolebat affici: v. *Proleg.* §. IX not. 4. Porro, *de artificiis & quaeſtibus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint,* haec tradit M. TVLLIVS, *de Offic.* I, 150 ſeq. c. 42 *Illiberales & ſordidi quaeſtus mercenariorum, omniumque quorum operae, non quorum artes emuntur: eſt enim illis merces auctoramentum ſeruitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim vendant: nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur; nec vero quidquam eſt turpius vanitate. Opificesque omnes in ſordida arte verſantur: nec enim quidquam ingenuum poteſt habere officina. Minimeque artes hae probandae, quae miniſtrae ſunt voluptatum,* cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, *vt ait Terentius. Adde huc, ſi placet, vnguentarios, ſaltatores, totumque ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia maior ineſt, aut non mediocris vtilitas quaeritur, vt* Medicina, *vt architectura, vt doctrina rerum honeſtarum, hae ſunt iis, quorum ordini conueniunt, honeſtae. Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt: ſin magna &c. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius.* Hippocrates deinde *Sect.* II, 2 & VI, 2 vocabulum βαναυσίης vſurpat de ſordida artis exercendae ratione.*

§. 12.

* Zv. p. 87 βαναυσίην (Sect. VI, 2) Conf. HIPPOCR. *de Morbo Sac.* extr. interpretatur *Sophiſticam Garrulitatem.* PLATO ſupra Proleg. §. V not. [1] §. 3.

§. 12. Qui igitur Medicinam ita colunt, vt in eam aſſumant variarum doctrinarum ſiue philoſophiae ſubſidia, h. e. ſcientifice atque methodice, ſapienter atque prudenter eam exercitant, ii decus huic arti, honorem ac gloriam conciliant, & eadem ipſi viciſſim ex eiusmodi artis profeſſione conſequuntur. Et quanquam vere dixerit Hippocrates, *in Praeceptionibus* §. IX, 30 Linden. ὅτι ἐν ἑωυτῇ μούνῃ αἵρεσις (ἡ ἰητρικὴ) ἐστὶ χαρίεσσα· tamen multo gratior eadem, venuſtior, ſuauior, iucundior, atque acceptior eſt hominibus, pluris aeſtimatur, colitur, remuneratur, vbi ſimul eruditionis copia, facundiae felicitas, morum ſuauitas, probitas, honeſtas, vno verbo omnis philoſophia coniuncta eſt, eamque commendabilem reddit; quemadmodum

Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus;

quemadmodum venuſta forma ex veſtium nitore, elegantia, ac decore illuſtrior apparet ac magis exſplendeſcit. Praeterquam enim quod haec doctrinae atque virtutis ornamenta per ſe ſola propter ſuam ipſorum praeſtantiam & vtilitatem iucunditatemque laude ac fauore digniſſima iudicantur, & in iis, quibus adſunt, adamantur: ille, qui ex philoſophica rerum medicinalium tractatione cauſſas rationesque eorum, quae eueniunt, perſpicit, quoad eius fieri poteſt, & reliqua ſapientiae praeſidia adiuncta habet, poteſt iis, quibuscum verſandum atque agendum eſt, melius, certius, vberius explicare ea, quae ipſis aut cognitu neceſſaria vtiliaque ſunt, aut auditu iucunda, aut ad perſuadendum flectendosque ac moderandos animos accommodata; qua ex re non exiguam exiſtimationem, gratiam & amorem adipiſcitur artifex. Plura quidem de commendatione virtutis, eruditionis, eloquentiae, gratiaque medicorum diſputaui in Commentatione de χρέῳ ἀδιδάκτῳ, §. XVII & ſeqq. Add. infra Commentarius III §. 21.

§. 13. Liceat hic apponere Celeb. Rivini de aliarum diſciplinarum aut ſtudiorum cum Medicina coniunctione iudicium, ex Disp. *de Medico Inculpato*, Cap. 2 §. 6: *Quinto, commemoranda* Polypragmoſyne *itidem venit, quae ſaepius impedimento eſt, quo minus debitam in meden-*

medendo induſtriam adhibere quis valeat. Meretur hic transſcribi elegans locus Baconis de Verulamio, de Augm. Scient. l. 4 p. m. 249 Equidem Medicis minus ſuccenſeo, ſi ſaepenumero vacent alicui alteri ſtudio, quod adamant magis, quam arti ſuae propriae. Inuenies enim inter eos Poëtas, Antiquarios, Criticos, Rhetores, Politicos, Theologos; atque in iis artibus magis, quam in profeſſione propria eruditos. Neque hoc fit, vti arbitror, quia habeant, quae ſibi obuerſentur, obiecta tam foeda & triſtia, vt animum ad alia abducere iis omnino ſit opus; ſed, quod arbitrentur, parum ipſis intereſſe vel ad exiſtimationem vel ad lucrum, vtrum artis ſuae mediocritatem, an perfectionem in ea maiorem aſſequantur. Morbi enim taedia, vitae dulcedo, ſpei fallacia, & amicorum commendatio efficiunt, vt homines facile in Medicis qualibuscunque fiduciam collocent. Verum, ſi quis haec attentius perpendat, ea potius ad culpam Medicorum, quam ad culpae excuſationem ſpectant.

COMMENTARIVS II

AD SECT. II.

§. 1. Oſtenſo, quibus rationibus legitima medicinae profeſſio gratiam ab hominibus, honorem, ac gloriam commereatur, ſi non ſordide & inhoneſte ſe gerat: nunc in exemplo Circumforaneorum declarat illegitimam, ſordidam, atque inhoneſtam faciendae medicinae rationem. Quorum hominum quum nulla ſit vera medicinae & caeterarum rerum, quibus ea opus habet & tanquam ſubſidiis vtitur, ſcientia peritiaque, & ipſi ſibimet ſuae ſatis ignorantiae imperitiaeque conſcii ſint, quamobrem nullam bonae legitimaeque artis fiduciam habere poſſunt; quum tamen emolumenta medicinae, fauorem, opes, honorem, quae in probis artificibus conſpiciunt, ipſi quoque vehementer appetant: quod rectis honeſtisque rationibus conſequi non licet, id quibuscunque improbis artibus adipiſci contendunt. Omnis igitur eorum error in eo verſatur, quod veras, ſolidas, & interiores artis medicinalis, eiusque exercendae, & hac exercitatione fortunae munera comparandi, (ſ. potius conſequendi,) ratio-

rationes partim non intelligunt atque perſpiciunt, partim earum ordine ac legibus adſtringi nolunt. Quia tamen, per legem & neceſſitatem, quam Deus Naturae indidit, fortunae munera ſunt conſequens virtutum merces, neque quicquam hoc in ſtudio ſperare licet, niſi ſaltem ſimulacra virtutum appareant: igitur operam dant illi medicaſtri, vt, opera, mores, exterioremque habitum bonorum artis profeſſorum imitando, ſpeciem ſimilem opinionemque conſequantur, & ſub hac perſona, malas ſuas artes tegendo, minus prudentes decipiant; qua in re tamen ipſi ſaepius contra rationes ſuas peccant & ſpe propoſita excidunt.

§. 2. Sic, pueri, adoleſcentes, & quotquot hiſce leuitate animi imprudentiaque ſimiles ſunt, quique phaleratarum veſtium ſplendore, volubilitate linguae, circulatoriaque iactatione capiuntur, hi quidem ſibi imponi ab illis fraudum artificibus patiuntur, ipſos ſectantur, magni faciunt, laudibus efferunt, tum ſeſe iis curandos committunt; qua quidem ſtultitia, miſerandum in modum, tanquam in latrones raptoresque ac percuſſores incidunt, qui totam ſuam faciendae medicinae artem nullo alio conſilio, methodo, ac ſcopo inſtruunt & tractant, niſi vt homines argento emungant *. Contra ea vero periti rerum iudices, vt viri prudentes, grauesque ſenes, longe aliter ſe gerunt aduerſum eos. Et viri quidem, qui non tantum auctoritate valent nec magiſtratus gerunt, quo illos coërcere poſſint: nihilominus deteſtantur eos, & bilem ſibi commoueri ſentiunt in ipſorum conſpectu; admonendo quoque iuniores & incautos abſtrahere ab illis ſatagunt; quumque non ignorent, quantum damni rei publicae ac priuatae ab illis immineat, optarent, idque etiam opera conſiliisque efficere laborant, vt talis improbitas poena & exſilio afficiatur; quanquam ipſos coram arguere & contra eos diſputare detrectent, idque non ſolum inutile fore ſentiant, ſed adeo bonae legitimae profeſſionis exiſtimationi detrimentum allaturum eſſe. Nam, quum ſit genus hominum impudentiſſimum, qui ſalutem & valetudinem hominum, rem pretioſiſſimam & merito religioni habendam, ex ſua

* Plato in Sophiſta, venatorem ait eſſe ſophiſtam ſtultorum & opulentorum adoleſcentum. ZVINGER.

ſua pecuniae, viliſſimae rei, cupiditate aeſtimant: ſane contra eos diſputando nec quicquam proficies, &, niſi eadem fronte ſimilique oris improbitate contendere velis, verborum ſtropharumque ſtrepitu ac clamoribus victus e certamine diſcedes; quod quum ſtolidum vulgus viderit, eius peiorem cauſſam iudicabunt, qui verecundior in obloquendo fuerit. At ſenes, qui poteſtate magiſtratus pollent, promulgatis edictis ex ciuitate eiiciunt hosce circulatores, nec concedunt, vt artem ſuam exerceant, niſi proba eius documenta dederint, & ſibi coram exhibuerint, quo facto facultatem profitendi nanciſcantur. Huc conuenit, quod Celeb. SCHVLZIVS, *in Hiſt. Medic.* Period. I Sect. III Cap. VI §. IV ſeqq. putat, Hippocratis aeuo conſtitutum ac ſolenne fuiſſe, vt, quando medici in vrbem aliquam venerint, neceſſe fuerit oratione coram magiſtratu habita facultatem profitendi medicinam impetrare: quam in rem accipit iſta *in Praeceptionibus* verba, Τμήμ. IX ἢν δὲ εἵνεκα ὁμίλου θέλης ἀκρόασιν ποιήσασθαι, οὐκ ἀγακλεῶς ἐπιθυμέεις, μὴ μέν τοι γε μετὰ μαρτυρίης ποιητικῆς. Indignatur autem Hippocrates in Νόμῳ poſt pr. ὅτι πρόστιμον ἰητρικῆς μούνης ἐν τῇσι πόλεσιν οὐδὲν ὥρισται, πλὴν ἀδοξίης· ἅυτη δὲ οὐ τιτρώσκει τοὺς ἐξ αὐτέης συγκειμένους. Illam igitur ἀναίρεσιν ἐκ τῶν πόλεων, quam hoc loco ſub ἀδοξίης nomine comprehendit, non ſufficere ad poenam exiſtimat, ſed grauiore animaduerſione dignos iudicat malos artifices: quanquam hic de omnibus in vniuerſum φήμῃ μὲν ἰητροῖς, vt deinde loquitur, ἔργῳ δὲ οὐ, non autem de ſolo circulatorum genere moneat.

§. 3. Niſi vero ita ciuitate expellantur hi circumforanei malarum artium profeſſores, non illi quidem paullatim in notitiam hominum peruenire ſtudent, aut verſando inter homines artisque ſuae experimenta, ſicubi occaſio ferat, edendo, dant operam, vt, quid in ſe ſit ſcientiae peritiaeque, cognoſcatur & appareat: ſed ſtatim in fora ſe conferunt, vbi hominum maxima ſolet eſſe celebritas, ibique altiore ſibi ſupra caeteros gradu facto, vnde conſpici circumquaque & audiri poſſint, (quam ad rem noſtris temporibus vel equo inſident vel theatra exſtruunt) publice res ſuas proponunt, oſtentant, iactant, proque parata pecunia vendunt, partim etiam aegros ad ſe priuatim

domi

domi adeundos inuitant, vel ipsi ad illos ire promittunt rogati. Etsi vero fraudum suarum artificia, quibus circumuenire credulos consueuerunt, studiose occultare soleant, quandoquidem illis reuelatis omnis eorum ars denudata publico contemtui, odio, ac ludibrio exponeretur: tamen aliquibus contigit, eorum nonnulla detegere, quae deinde editis quoque libris propalarunt; inprimisque, quantum ad dentium medicos attinet, iuuat legere dexterrimi prudentissimique viri, Petri FAVCHARD, Galli, librum de Chirurgia Dentium, quem Gallice inscripsit *Le Chirurgien Dentiste*, Tomo II Cap. XII, pag. 173 & seqq. versionis Germanicae.

§. 4. Praecipuum autem, & quod maxime in oculos incurrat, signum, quo agnoscantur, est cultus & ornatus exterior vestium, corporis, & apparatus. Hoc enim maxime ad ostentationem comparatum est: hoc primum percellit oculos, hinc animum ferit, & quum videat populus vestes purpura aut holoserico insignes, auro & argento fulgentes, digitos annulis gemmisque obductos*, auream supellectilem, ministrorum turbam similiter exornatam, &c. nimium quam proni sunt homines primum, vt credant, ita cultos reuera a diuitiis opibusque instructos esse; tum, vt eximiam de talibus opinionem concipiant artis, scientiae, dexteritatis, quibus illas sibi facultates comparauerint, scilicet. Monet autem Hippocrates, quo superbiore cultu emineant, eo magis auersandos, & ab iis cauendum esse: nam quo plus ornatui, pompae, ostentationi, luxui student, eo plus sumtuum requiritur, eaque propter improbius insidias faciunt aliorum marsupiis.

§. 5. Caeterum non possum hic praetermittere insignem locum Hippocratis de istiusmodi circumforaneis medicis, qui exstat in libro *de Morbo Sacro*, non longe post init. Cap. II seq. vnde haec ex versione Foesii excerpam: *Mihi certe, qui primi hunc morbum ad deos retulerunt, tales esse videntur, quales etiam nunc sunt, Magi, Expiatores, Circulatores, atque arrogantes Ostentatores, qui se valde pios esse, plurimumque* (& aliquid plus) *scire simulant. Hi quippe diuinitatis*

(τὰ

* Aristophanes propterea, voce dithyrambica, medicos σφραγιδονυχαργοκομῆτας per ludibrium vocauit. ZVINGER.

(τὸ θεῖον, diuini) *obtentu ac praetextu, quum nulla ope prodesse possent, ne inscitiam suam proderent, sacram hanc esse affectionem censuerunt; & additis idoneis rationibus, tutam sibi curationis viam proposuerunt, oblatis expiationibus, & incantationibus, balneisque interdictis, & multis cibis ad laborantium vsum minime accommodatis. - - Quae omnia diuinitatis* (τοῦ θείου) *gratia addunt, velut amplius quiddam scientes, & alia in specie praetexentes, vt, si conualescat aeger, istud eorum gloriae & solertiae attribuatur; sin vero moriatur, tutam sibi proponant defensionem, & occasionem nanciscantur, quo minus ii* (ipsi) *in caussa, sed dI esse videantur: quum nullum quidem medicamentum edendum aut bibendum exhibuerint, neque balneis excoxerint, vt in eos caussa reiici possit. - - Hac oratione & molitione multam scientiam prae se ferunt, hominesque decipiunt, his lustrationes & purificationes proponendo, quum multum faciant de diuinitate & numine* (τὸ θεῖον καὶ τὸ δαιμόνιον) *sermonem. Quanquam mihi quidem non de pietate, vt rentur, verum de impietate potius verba facere videntur, & deos non esse, profiteri; eorumque pietas & diuinitas in impietatem & nefarium scelus vertitur. Si enim lunam deducere & solem obscurare, tempestatemque ac serenitatem inducere, & imbres ac siccitates, mareque sterile & terram facere, caeteraque id genus se scire profitentur, siue ex sacrorum mysteriis, siue ex alio quouis consilio aut cura hanc sibi potentiam vendicent; qui his rebus operam nauant, mihi quidem impii esse videntur, neque deos esse existimare, neque, si sint, quicquam posse, neque aliquod summum malum propulsare posse. - - Morbo detentos expiant - - quos contra facere decuerat, sacra facere nimirum, & precari, ad templa deducere, & diis supplicare* &c. Conf. Proleg. §. IX not. 3.

COMMENTARIVS III

AD SECT. III.

§. 1. Nunc contrario modo Auctor legitimorum Medicorum externam speciem & illum agendi viuendique morem, qui hodie communiter Gallica voce *Conduite* appellari consueuit, describere aggreditur; & particulatim quidem ostendit, quomodo eos in omni singularium

gularium professionis medicinalis actionum varietate, sese gerere, obseruetur; generatim vero indicat illam animi affectionem s. habitum, vnde istae speciales in singulis negotiis obeundis proprietates morum, characteres, Graeco vocabulo ἤθη, originem ducant: quae omnia mirâ verborum exquisitaque significantia atque emphasi graphice explicat, parique orationis breuitate complectitur, & velut depicta imagine formam quasi coram intuendam proponit; ita vt non minorem se hic artificem ostenderit, quam aut ARISTOTELES, aut THEOPHRASTVS, aut HORATIVS denique, in denotandis hominum varii generis, aetatis, instituti moribus. Sed & simul suum ipsius ingenium, mentis habitum, & cum hominibus agendi conuersandique rationem prodere videtur, praesertim si conferatur Sectio XII: non enim solet Hippocrates nisi ex sua experientia loqui.

§. 2. Primum igitur in bonis quoque medicis signum indolis ac morum petitur ex habitu cultuque externo, qui praecipue haeret in vestibus cuiuslibet generis. Iam, relatum est in *Proleg.* §. IV not. 1 & §. VII not. 8 & ipsum Pythagoram &, qui disciplinam eius secuti sunt, inprimis etiam vestium decori, munditiei, ac simplicitati, sine luxu, studuisse; nec dubitandum est, reliquos quoque tum sapientiae studiosos honesto atque decenti habitu corpus circumdedisse; fortassis etiam aliquos hac in re nimios fuisse, praesertim Sophistas peculiariter ita vocatos: nec dum enim illa Cynicorum secta, ἀσχημοσύνης in externo habitu magistra, & hactenus inprimis ab aliis se Philosophis segregare studens, exorta erat. Fit quoque verisimile, propter Chirurgicam potissimum medicinae partem, (vid. *Proleg.* § IX not. 6. 7.) εὐσχημοσύνην ab Hippocrate discipulis commendatam fuisse: nam Chirurgorum officina facile in decori neglectum labitur; quapropter etiam hodie in Institutionibus mundities illis & elegantia praecipi solet. Vid. e. c. Ill. HEISTERI *Institutiones Chirurgicae*, Introduct. §. XIX Operis Germanici, §. XLI Operis Latini. Conf. *Proleg.* §. XXIV, 1.

§. 3. In vestibus autem residere dicit εὐσχημοσύνην s. *honestatem*: cuius vocabuli quae sit vis, in *Proleg.* §. XX not. 2 expositum est. Hoc igitur vult, Honestatem illam animi, quae in coniuncto vniuersae virtutis studio habituque posita est, etiam extra conspiciendam se

prae-

praebere, ſibique conuenientem amictum corpori induere. Sic puritas mentis apparet in veſtium munditie; animi moderatio modeſtiaque, ſi eum in pretio modum ſerues, quem facultates & muneris dignitas definiunt; conſtantia, tranquillitas, contentus animus, & eadem ſemper animi conſtitutio, ſi non mutes veſtium ſpeciem, neque nunc hac nunc illa indutus prodeas; liberalitas, ſi non nimis circumſcripta veſtimentorum menſura ſit; grauitas, ſi color veſtium ſit paullo auſterior; laetitia & ſerena mens, ſi amoenus nitor reſplendeat; &c. Similiter, color candidus ſignificare dicitur candorem animi; ruber, indolem procliuem ad amorem; caeruleus, patientiam atque tolerantiam; viridis, ſperandi fiduciam, &c. quae diſtinctio num aut quatenus naturae reſpondeat, nunc in medio relinquo. Admittit autem in ſingularibus rebus varietatem illa conuenientia, & aliquatenus cenſeri debet ex rationibus vitae generis, & perſonae,moribusque locorum ac temporum; in quibus rebus indifferenter ſe habet, & vtique valet illud Cornelii Nepotis *in Praef. non eadem omnibus honeſta eſſe & turpia.* Virtus enim in actionibus vitae ſe componit ad rerum circumſtantium varietatem: de quo poſtea pluribus.

§. 4. Sed & ἀφέλειαν, *ſimplicitatem* in externo proborum Medicorum habitu apparere dicit. Simplicitas eſt, quum res ipſa, ſicut eſt, ſine aliarum rerum admixtione exhibetur. Haec a natura quidem in nullis non rebus eſt, ſi ſigillatim conſiderantur: neque aliud natura, ſuâ ſponte, praebet cognitionis, praeter ſimplicem rerum apprehenſionem; eadem & compoſitorum indolem, conditiones, rationes perſpicere prohibet, niſi in ſimpliciores partes reſoluantur. Ita & in actionibus ſuis & efficiendis operum finibus ſimili inſtrumentorum methodique ſimplicitate procedere cognoſcitur, neque quicquam alieni admiſcet, h. e. ad actus ſuos perficiendos nihil adhibet ſubſidiorum praeter ea, quae ſecundum veram propoſiti operis aut actionis ideam eo omnino requiruntur. Eodem modo ea, quae natura ad victum elargitur hominibus, ſimpliciſſima ſunt, aqua ſimplex, fruges, herbae, caet. Quapropter etiam homines, quo magis tam vniuerſae ſingulariumque rerum naturae, quam ſuae propriae obſequuntur,& naturalem ſuam libertatem tuentur, eo ſim-

plicius actiones ſuas adminiſtrant: quae humanae actiones ſunt tantum aut eſſe debent imitamenta naturae. Exempla praebeant infantes,& quotquot a commercio perplexorum hominum aut technarum, vel vitae generis beneficio, vel animi praeſtantia, ſe immunes conſeruarunt. Conſentire haec videntur illi ſacrorum Bibliorum, *Eccleſiaſtae* VII, 30 oraculo, *Cognoui, a Deo quidem hominem factum eſſe ſimplicem* (probum, rectum); *verum ipſi multas artes quaerunt:* cuius effati, non poteſt dici, quanta vis ſit. Quandoquidem porro ſic totam vitam inſtituis, vt in dictis factisque nihil reſpicias aliud, quam quo rerum ipſarum naturae conuenienter agas aut loquaris, h. e. ſimplex ſis: hanc ſimplicitatem neceſſario comitabuntur veracitas, probitas, ſinceritas, ingenuitas, integritas, candor, animus apertus, caet. Quod ſi non vna prudentiam abhibeas in conſilium, h. e. conſideres, quo modo ſe res agenda habeat ad alias res circumſtantes connexas, ſ. iam exiſtant ſ. conſecuturae ſint: tum ſimplicitas tibi tua in vitium ſtultitiamque imputabitur. Quapropter ſanctiſſimus Seruator commonet, *Matth.* X, 16 vt ſimus & *prudentes veluti angues,* & *ſimplices velut columbae.* Quanquam in moderamine prudentiae nullatenus errores vulgi ſequi debeas: vtpote quod plerumque ſibi regulas actionum ex opinionis errore comminiſcitur, verae ſapientiae praeceptis aduerſas, neque legibus naturae, quibus obſeruandis humanae praeſentis vitae felicitas conſtat, multoque minus ſacrarum literarum admonitionibus reſpondentes; vnde fit, vt, licet pios probosque habeant pro ſtolidis, tamen ipſi potius in perplexam & perpetuam aduerſorum ſeriem, peruerſâ ſua prudentia inducantur, & a Deo *deprehendantur in ſua calliditate,* quemadmodum ſcriptum eſt *Iob.* V, 13 & 1 *Corinth.* III, 19. Haec aliquanto longius exſequutus ſum, quia ſimplicitatis paſſim ſiniſtra & aliena traditur notio. Eo magis autem medicos natura ducit ad ſimplicitatem ſequendam, quo plus ipſis cum natura intercedit commercii.

§. 5. Simplicitas igitur in veſtitu Medici, illi animi conſentiens & inde ortum ducens, eſt ſtudium eum corpori cultum veſtium adhibendi, qui ad ſolum vſum in amiciendo corpore propoſitum, cum communem illum tum proprium in faciendis artis medicinalis operibus

bis, ſit accommodatus, nec plurium colorum permixtione variegatus. Modus autem hoc in negotio ſigillatim adhibendus variat pro diuerſitate regionum, perſonae, ac temporum; praeterea hoc quoque conſiderandum eſt, veterum Graecorum ac Romanorum veſtitum fuiſſe multo ſimpliciorem, quam noſtrum gentium verſus occidentem ſitarum, quod ex Antiquitatum ſcriptoribus ſatis conſtat. * Simul autem ac ſimplicitas illa intelligitur, quicquid eſt ſuperuacuum, h. e. in aſſequendo communi proprioque veſtitus fini nullum vſum praeſtat, quo περιεργίη continetur, excluditur.

§. *6.* Quodſi tali modo honeſtus & ſimplex amictus, quem auctor in l. περὶ ἰητροῦ vocat ἐσθῆτα χρηστήν, (vid. *Proleg.* §. XXIV, 1) ſimilem declaret animum, (neque haec ſignificatio obſcura aut remota eſt, quandoquidem vulgo quoque homines ex veſtitu, ſicut auiculae ex plumis, agnoſci dicuntur, quanquam eius rei ratio plerumque lateat) ſequitur, vt propter hanc de virtute & probitate talius viri opinionem, ipſum alii amore, beneuolentia, cultuque profe-

* D. Berckley in libro, cuius inſcriptio, *Alciphron, or the Minut Philoſopher*, Dial. III §. IX p. 186 ſeq. Tom. I verſ. Gall. Euphr. *Quel Air, croyez-vous, qu'un Courtiſan, ou un Magiſtrat* Anglois, *avec ſon Habit* Gothique, *court & pliſſé; ou une de nos Dames, avec ſes Habits, imaginez en depit de la Nature, & ſes Jupes d'une extravagante largeur, auroit parmi ces Figures*, (quelques Copies de *Raphaël* & du *Guide*) *dont les Drapperies ſont jettés d'une maniere ſi aiſée & ſi Naturelle, ont en même temps tant de Dignité & tant de Simplicité, couvrent le Corps ſans l'embaraſſer, & l'ornent ſans en alterer la figure?* Alciphr. *Je crois, comme vous, que nos Compatriotes auroient un air aſſez ridicule.* Euphr. *Et à quoi en attribuez-vous la cauſe? d'où vient, que les peuples Orientaux, les* Grecs *& les* Romains, *ont attrapé Naturellement l'Habillement le plus convenable, pendant que nous autres* Goths, *après nous être appliqués durant un ſi grand nombre de ſiecles, à changer, à amplifier, à rogner nos Habits, n'avons pas eu le bonheur de ſaiſir une ſeule Mode de s'Habiller, qui ne fut pas impertinente? N'eſt-ce pas à cauſe, qu'au lieu de conſulter la raiſon, l'utilité, & la convenance, nous nous abandonnons à de Fantaiſies irregulieres, qui ne ſçauroient produire que des monſtres? Au lieu que les Anciens, conſiderant la Fin, qu'on ſe propoſe en s'Habillant, faiſoient ſervir les Habits à l'utilité & à la commodité du corps, & n'ayant pas le moindre deſſein d'en ameliorer ou d'en changer la figure Naturelle, ſe propoſoient ſeulement de repréſenter cette figure d'une maniere decente & avantageuſe. Et, cela étant ainſi, n'avons nous pas droit de conclurre, que la Beauté de l'Habillement depend des uſages, auxquels il ſert?* &c.

ſequantur, id quod ἐυδοξίαν appellat Auctor: laudant enim homines naturaliter & amant in aliis virtutem, non ſolum boni, ſed ipſi quoque mali.

§. 7. Porro, quum quis, animo ita comparato, cultui corporis non niſi neceſſariam curam impendit, non poterit non etiam in vultu apparere σχῆμα illud σύννουν· conf. *Proleg.* §. XXIV, 4. Nam qui ſincero virtutis ſtudio tenetur medicus, ei nihil magis curae cordique eſt, quam quomodo opus ſibi propoſitum recte exſequatur, & rem agendam bene agat: quam ad rem quum magna ſolertia, & acerrima mentis ad obſeruandum & hinc concludendum intentione, circumſpectaque prudentia omnino opus ſit, certe, qui hoc praeſentit, & de grauitate negotii perſuaſus eſt, & hoc animo rem aggreditur, eum neceſſe eſt mentem tantiſper ab aliarum rerum conſideratione abducere, ſeſe colligere, aliena quaelibet ſerio omittere, & cogitationibus praeſentis negotii ſolum occupari; quem meditabundum mentis ſtatum vultus maxime manifeſtat, in quo nimirum ſeuera quaedam oris inprimis & oculorum quies ac fixus obtutus tum conſpicitur. Atque hac quidem in re Hippocrati noſtro perquam bene & manifeſto conuenire cum Pythagorica diſciplina, patebit ex *Proleg.* §. VI not. 11: hoc nihilominus intercedente diſcrimine, quod philoſophica illa conuerſio in ſemet ipſum in ſola contemplatione ſubſtiterit, haec autem medica circa rerum actionem verſetur eoque tendat. Huc conuenire videtur locus ex Epiſtola tributa Hippocrati ad Damagetum p. 912 T. II Lind. Λέγε τοῖσιν ἐν Ῥόδῳ φίλοισιν, μετριάζειν ἀεὶ, καὶ μὴ πολλὰ γελῆν, μηδὲ πολλὰ σκυθρωπάζειν, ἀλλὰ τουτέων ἀμφοῖν τὸ μέτριον κτήσασθαι· ἵνα τοῖς μὲν χαριέστατος εἶναι δόξειας, τοῖς δὲ φροντιστὴς, περὶ ἀρετῆς μερμηρίζων. *Amicis Rhodiis dicito, moderate ſemper ſe gerant, & neque multum rideant, nec admodum triſtem vultum prae ſe ferant; ſed inter haec duo modum teneant: quo & aliis quam iucundiſſimus videaris, & aliis cogitabundus, qui de virtute ſolicitus ſit.*

§. 8. Denique, talis in veſtitu habitus, qui non diffluit & redundat, nec quicquam ſuperuacui, aut quod in adminiſtrandis artis operibus impedimento eſſe poſſit, adiectum habet, etiam ad peregrinationes obeundas vtilis eſt: conf. *Proleg.* §. IX not. 9.

§. 9.

§. 9. Iam accedit auctor ad ostendendum particulatim, quae σχήματα Medicus in omni actionum humanarum varietate prae se ferat, quaque externa, sub sensuum perceptionem cadente, specie in singularibus cuiuscunque generis officiis & communis vitae negotiis illa generalis εὐσχημοσύνη & ἀφέλεια se exserat. Primum igitur illa officio fungendi cura, & in faciendum opus intentio, non permittit, laxa, redundante, & fluitante veste, qualis mollium & delicatorum hominum esse solet, vti; nec pariter, aliena, quae ad rem agendam nihil pertinent, admiscere, sic vt & ἀδιάχυτοι & ἀπερίεργοι sint probi Medici: quibus de rebus iam §. praecedente dictum est.*

§. 10. Ex eodem animi habitu est, quod, vbi occurrant vel obuiam fiant aliis hominibus, acerbi & seueri videantur: etenim &, dum ad rectam artis exercitationem diligenter tam opere quam cogitatione incumbunt, contrahunt inde, & ex grauitate negotiorum, aliquam morum atque oris grauitatem aut seueritatem; &, dum fere semper aliquid, quod ad artem pertineat, animo manibusue agitant, si interpellentur ab aliis interuenientibus, ita turbari minus ipsis placet, & vel leuem offensam vultus quoque austeritate declarant. Et hoc est πικρὸν εἶναι πρὸς τὰς συναντήσιας.

§. 11. Quandoquidem autem in rerum suarum contemplatione & exsecutione circumspecte considerateque versari solent, & ad interiorem cuiusque rei cognitionem claramque idearum euidentiam penetrare: hinc fiunt εὔθετοι πρὸς τὰς ἀποκρίσιας, i. e., in sensibus animi declarandis promta facilitate pollent, & ad quaestiones propositas, quarum sententiam, secundum verborum naturam ac potestatem, celeriter intelligunt, perspicue, acute, rotundeque respondent, vitatis, quae ad ipsam rei notionem minus pertinent, verborum ambagibus.

§. 12.

* Quod attinet ad fluitantem vestem, illustratur illo PHAEDRI Lib. V Fab. I v. 12 de Menandro, qui processisse dicitur *Vnguento delibutus, vestitu affluens:* vbi plura contulere *Faber* & *Heinsius:* add. QVINCTIL. *Instit. Orat.* 11,3,179 ibique Interpretes.

§. 12. Saepenumero in Medicina, ſicut in aliis quoque pariter artibus & diſciplinis, omnibusque communis vitae negotiis, accidit, vt, quum quid ex legitimis artis aut negotii rationibus agere velis & perficere, alii, quos hoc minime decet aut licet, diuerſis ſtudiis, tibi moleſtiam faceſſere, aduerſari, contradicere, & quocunque modo, dictis, conſiliis, re, & opera negotium propoſitum impedire conentur: cuiusmodi impedimenta Auctor appellat ἀντιπτώσιας. Sic Medicis inter artis exercitationes obſtrepi ſolet ab idiotis, aniculis, nutricibus, & quotquot ad aegrotantem vel aduocati ſunt, vel propinquitatis aut neceſſitudinis officium praeſtando adſunt; deinde a malis artificibus, temere ſe ingerentibus; nonnunquam etiam ab ὁμοτέχνοις ſ. legitimis Medicis; denique ab aegris ipſis moroſis, aut nimium ſapientibus. In hisce aduerſantibus plurimi ſunt leuioris animi, qui nihil meditati afferant, aut ſophiſticas cauillationes affectent, aut gloriam & ingenii laudem captent, vel inuidiae ſtimulis agitentur, denique alium quemlibet finem praeter veritatis inueſtigationem reſpiciant, & ſolum disputandi altercandique cacoëthe teneantur. Eſt autem a natura nobis inſitum, vt, quando propoſito noſtro impedimenta obiici negotiumque turbari ſentimus, obſtantibus reſiſtamus obnitamurque, idque eo magis, quo importunius aut acerbius maligniusue ſe gerant offenſantes: quemadmodum Archimedes militem, quum ſpeculationibus ſuis maxime intentus eſſet, irruentem obiurgauit, *Miles, noli turbare circulos meos.* Simili animo cogitabundo & ad opus agendum intento Medici dicuntur eſſe χαλεποὶ πρὸς τὰς ἀντιπτώσιας. Sic in libello Παραγγελιῶν, t. XI ab init. praeceptio exſtat, Διὸ παραινέω, τουτέοισι (medicinae ignaris) λέγουσι μὲν προσέχειν, ποιέουσι δὲ ἐγκόπτειν. it. infra, in praeſente libro, Sect. XII, 3 commendatur ἀντίλεξις πρὸς τὰ ἀπαντώμενα· & ἐπιπλῆξις πρὸς τοὺς θορύβους. Conf. Sect. XVI, 2.

§. 13. Porro, quum pauca admodum ſint rerum principia, ex quibus compoſita facta ſunt, & vniuerſales effectuum cauſſae, vnde phaenomena exiſtunt; illorum autem principiorum cauſſarumque permixtio innumeris modis accidat: hinc fit, vt in omnibus rebus

quam

quam plurimae enaſcantur ſimilitudines. Medici autem, quia naturam rerum ipſos prae caeteris cognoſcere oportet, per hoc ſtudium conſueſcunt indagandis perſpiciendisque iis rerum proprietatibus, in quibus inter ſe conueniunt, aut differentias oſtendunt: quamobrem dicuntur eſſe εὔστοχοι πρὸς τὰς ὁμοιότητας. Egi de hac cognoſcendi ratione latius alibi.

§. 14. Sed non poteſt vlla medicinae exercitatio intelligi ſine frequentiſſimo cum hominibus commercio. Sunt autem homines admodum varii ingenio, ſtudiis, conſuetudine, moribus; & aegrotantes praeſertim ſaepe ſunt difficiles, moroſi, queruli, molles, delicati, &c. Quare, dum inter adeo diuerſi generis mortales verſatur medicus, fit ὁμιλητικὸς, i. e. artem conuerſandi cum quibuslibet hominibus, quantum ad medicinam recte faciendam aliquid confert, ipſo vſu addiſcit; quemadmodum omnis adeo in moribus decor & honeſtas & iucunditas non praeceptis acquiritur, ſed exercitatione. Conf. *Proleg.* §. XXIV, 5.

§. 15. Eâdem operâ talem habitum conſequuntur, vt aequo erga omnes animo ſint affecti, quo non aliquo priuato huius illiusue prae caeteris ſtudio tenentur, nec quemquam cuiquam naturali dignitate potiorem exiſtimant, ſed omnes ſimili cura, fide, & ſedulitate medendi, beneuolentiaque tractant; ſeruato licet discrimine perſonarum in exteriori cultu aut reuerentia. Ex quo porro agendi verſandique more conſequitur, eosdem eſſe quam aptiſſimos ad conſuetudinem, amicitiam, aut ſocietatem cum aliis quibuslibet contrahendam atque confirmandam: ſiquidem non ex priuatarum cupiditatum ſtudio res ſuas agant, ſed verum potius aliis inſeruiendi beneque faciendi affectum prae ſe ferant; praetereaque varios hominum omnis generis mores nouerint, &, quomodo iis Medicum oporteat ſeſe accommodare, ipſo vſu didicerint. Haec eſt vis vocis εὔκρητοι· quo ſimul ſignificatur, medicinam eſſe debere φιλανθρωπίας exercitatricem, ex Amoris principio naſci, & in praeſtandis amoris officiis conſiſtere. Hinc quoque intelligitur, medicinalis artis naturam non admittere προσωποληψίαν.* Conf. *Proleg.* §. V not. 2 §. 7.

* Videtur hic ὁμιλητικῶν καὶ εὐκρήτων character aduerſus eſſe illi τῶν πικρῶν

§. 16.

§. 16. Naturale eſt, quando res aliqua, cuius magnitudinem & onera intelligas, quamque bene agere diſcupias, aggredienda eſt, vt, conſilium adminiſtrandi negotii tacite apud animum tuum ineundo, te ad eam agendam comparare ſtudeas, & ſic appareas σιγητικὸς πρὸς τὴν ἀνάςασιν. Et exquiſite ſcitiſſimeque hoc ſchema tribuit Vlyſſi diuinus HOMERVS, Il. Γ, 217 ſeqq. quorum haec eſt ſententia, *Quum ad loquendum ſurrexerit, eum ſtetiſſe oculis in terram defixis, immotoque ſceptro, ſimilemque imprudenti viſum eſſe, ita vt iracundum hominem ſtolidumque dixiſſes: ſimul vero ac magnam vocem ex pectore emiſerit, & verba hibernarum niuium inſtar profuderit, tum neminem mortalium illi contentione parem viſum eſſe.* Iuuat ipſos verſus apponere:

Ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεὺς,
Στάσκεν, ὕπαὶ δὲ ἴδεσκε, κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας,
Σκῆπτρον δ' οὔτ' ὀπίσω οὔτε προπρηνὲς ἐνώμα,
Ἀλλ' ἀστεμφὲς ἔχεσκεν, αΐδρει φωτὶ ἐοικὼς,
Φαίης κεν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι, ἄφρονα θ' αὔτως·
Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει
Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,
Οὐκ ἂν ἔπειτα Ὀδυσῆΐ γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.

Similiter etiam Medico ſua negotia, quae profecto non minoris momenti ſunt quam vlla alia, tacitam ſecum deliberationem imperant, & potiſſima artis opera ſilentio peraguntur: qua de re alibi diſſerui. Hanc expoſitionem licet ſatis commodam arbitrer, tamen aliam quoque in Annotationibus textui ſubiectis attuli; ſed quae ſimplicitati ſignificationis vocum non ita reſpondere videtur.

§. 17. Si vero ſilentium rumpendum eſt & ſermonis vſus adhibendus, tum quae loquuntur, apparent eſſe probe meditata *ſenſuque tincta*, vt dicebat ZENO: vnde dicuntur eſſe πρὸς τὰς ἀποσιγήσιας ἐνθυμηματικοί. Silentium enim, quod antea egerunt, nihil aliud fuit

πικρῶν, ſicut hic a me §. 10 expoſitus eſt. Verum poſſunt intelligi comes & ad officia praeſtanda parati, qui tamen naturâ ſint paullum ſeueriores.

fuit quam tranquilla mentis agitatio & acris in rem propofitam intentio, qua eam propius confiderare, omni modo intra fe per varias inquifitiones verfare, & fic eius conditiones, penitioremque indolem ac naturam introfpicere connixi funt. Quare, quum linguam non finant praeuertere mentem, non inani loquacitate garriunt, nec verba fundunt in labris nafcentia, aut ex aliorum auditione vel lectione tantummodo recurrentia, fine ipfarum, quas fignificant, rerum intellectu; fed ipforum, non aliorum, animi fenfus verborum habitu proferunt & velut characteribus exprimunt. Nam quaelibet res habet aliquid, quod primo ftatim occurfu fenfibus exterioribus percipiendum offerat, ingerat, atque obiiciat: qui igitur primis hisce fenfuum externorum perceptionibus f. contactibus, ftatim praecipiti iudicio affentiuntur, & tanquam de re fic fatis bene perfpecta temere pronunciant; hoc tantum dicunt, quod in fenfum corporis incurrit, velut in fuperficie folum rerum haerentes; & fic facilius quidem vberiusque verba faciunt, quum leuiffima promtiffimaque cognitionis iftius ratio fit, fed nec interioris quicquam fcientiae declarant. Contra ea, qui exteriora rerum phaenomena penitius luftrant ac profundius rimantur, & ad fenfuum indicia interiorem rerum naturam peruestigare contendunt, & ita apud animum fuum reputando, notiones inde natas componunt, comparant, diuidunt, diftinguunt, &c. hi demum vere enthymematici dici poffunt, & ex animi fenfu de rebus iudicare ac loqui; idque eo magis, quo diligentius inquifiuerunt. Haec eft virilis & mafcula eloquentiae forma: hinc eft, quod poëtae fuis heroibus verba pectore prolata tribuunt.

§. 18. Poteft quidem eadem loquendi forma dici καρτερικὴ, firma, robufta, valida, conftans. Nam, quum ex interiore rei perfpicientia nata fit & ex intimo animi fenfu f. profunda meditatione prolata: fic veris radicibus nititur, & vi argumentorum, quae natiuis rerum ideis continentur, fe fuftentat; quumque eam oppugnare tentaueris, tantum abeft, vt conuellatur, vt eius firmitas eo magis perfpiciatur. Verum multo aptius videtur, τὸ σχῆμα τῶν καρτερικῶν Medicis ea ratione tribuere, quatenus per officii fui rationes affuefiunt multa vitae incommoda patienter ferre: qua de re iuuabit au-

dire A. Q. RIVINVM in Disp. *de Medico Inculpato*, quae prima eſt Voluminis editi, Cap. I §. 7: *Sexta* virtus, PATIENTIA, *quoque in Medico deſiderari poteſt. Quotidianas auſcultare querelas, ſpectare nil niſi calamitates, inter lacrimas, gemitusque omnium ad agonizantes accedere: inter niues & frigora, pluuias & tonitrua, per vrbem circumire: vix dormire tuto, nedum cibare: verbo, inquietudine fatigari perpetua, res adeo quidem taedioſa eſt, vt plane perſuaſus ſim, quam plurimos, ſi ab initio norint faſtidium praxeos, quoduis potius vitae genus eligere, quam artem iſtam, alioquin egregiam. At nihil intolerabilius eſt obſecrationibus ac implorationibus immodicis, quum iam conclamata ſunt omnia, morbusque incurabilis nullam admittat curam. Vt taceam, haut raro culpam atque contumeliam in Medicum coniici, ſi malum fuerit rebelle ac contumax, quanquam aegrotus ipſe, nonnunquam minus obediens regulis diaeteticis, impediat optimorum remediorum vires, nouamque ſubminiſtrando materiam, indies morbum augeat ac confirmet. Accedit, quod magnates ac diuites communiter non pluris aeſtiment ſuos Medicos, quam mercenarium quemuis:* Davor geb ich dem Doctor ſein Geld, daſs er muſs aufwarten, und alles wieder gut machen. Was wird es ihm ſchaden, wenn er gleich eine Nacht oder etliche mit wachet? *E contrario, ſi pauperes ſint, quos fortaſſe chronica lues cruciat, tum vero diffidentia longe maior, optima etiam conſilia Medici extenuat:* Eben als wenn es ihm kein Ernſt wäre. Unſer eines, *inquiunt*, hat ſchlechte Hülfe: ja, wer es auch zu bezahlen hätte, wie reiche Leute; *& ſic porro. Iam vero iudicent omnes boni, num haec atque ſimilia conuicia, prorſus immerita, animo ſemper aequo tolerari queant. Quicquid ſit, Patientia vincit omnia.*

§. 19. Quum res humanae ita comparatae ſint, vt continuas mutationum vices quolibet temporis momento ſubeant, nec, qui ſemel praeteriit ſtatus, vnquam eodem modo reuertatur; ad quamcunque vero rem bene agendam peculiaris contingentium concurſus & propria temporis conſtitutio requiratur: propterea aptum cuiusque rei agendae tempus ſ. occaſionem obſeruare & apprehendere neceſſe eſt. Inprimis autem in medicina καιρὸς ὀξὺς eſt: eademque propterea ὀλιγόκαιρος audit Hippocrati *de Locis in hom.* t. LIV pr. Hinc eſt, quod dicuntur Medici πρὸς τὸν καιρὸν εὔθετοι καὶ λημματικοί.

§. 20.

§. 20. Praecedens boni Medici nota fuit, quod occasionem praeterlabi non sinat: sed simili eidem cura prouidendum est, ne idoneam & maturam temporis constitutionem anteuertendo, omnem prosperum actionis successum perturbet atque peruertat, seque ipsum perplexa aduersorum euentuum serie implicet. Quapropter exspectare didicerunt probi artifices, s. sunt ὑπομονητικοὶ πρὸς καιρόν· neque ante sua arte quicquam efficere tentant, quam agendi tempus adesse, certis signis a Natura declaratum est. Vid. Hippocrates in *Praeception.* pr. Caeterum haec duo praecepta definiunt medium in *arte Exspectatione curandi:* vnde satyram in suae professionis homines scribendi argumentum sumsit Gedeon HARVEVS.

§. 21. Quoniam bonus Medicus omnes suas viuendi rationes ex eo suspendit, quo artem suam, prout ipsius indoles & conditio requirit, exerceat: etiam in cibis potibusque &c. non quaerit delicias aut abundantiam, sed tantummodo quod satis sit ad vsum, reficiendasque vires; & potissimum eius generis, quod, a natura productum, simpliciori tantum artis opera aut apparatu vsui humano aptum factum sit. Sic enim nouit naturalem corporis vigorem optime conseruari & reparari; neque amplae rei familiaris cura animum distrahi & a gerendis negotiis auocari. Conferantur hic de Pythagoreorum frugalitate *Prolegomena* §. VII not. 5.*

§. 22. Redit auctor ad characteres ex facultate dicendi, & ait, suum Medicum esse ἀνυστὸν πρὸς λόγους, s. posse de rebus propositis efficaciter loqui, i. e. ita vt efficiat id, quod demonstrandum susceperit; quamobrem eum πᾶν τὸ ὑποδειχθὲν ἐκφέρειν, afferre omnia, quae ex externis rerum notis, tanquam signis, rebus inesse cognouerit. Haec enim est vnica methodus, qua quaslibet rerum proprietates perspicere licet: quibus perspectis, iam quoque omnium, quae de rebus pronuncies, rationes reddere poteris.

§. 23.

* ZVINGER. p. 84. αὐτάρκεας dici putat, *paucis contentos, non auaros in petendo exigendoue.* Quod characteri viri consentaneum est: nam ipse Zuingerus, in Tabulis ad librum Praeceptionum, p. 109, petacitatem medentium vehementer vituperat, & inter alia scribit, *In prouerbium abiit hodie feralis illa vox, & carnifice potius quam Medico digna, tam scelerata quam inepta atque barbara,* Dum aeger dicit a! a! dicat Medicus da, da.

§. 23. Quodſi alicuius rei naturam, proprietates, rationes probe intelligas, non poterunt tibi apta deeſſe verba, quibus perſpicue, dilucide, rerumque naturae conuenienter de iisdem loquaris: id quod vocatur ἐυεπτίῃ χρῆσθαι. Verba enim, quum ſint rerum ipſarum, modorum, affectionum notae voce declaratae, ex rerum notionibus ſua ſponte naſcuntur, efficiturque id, quod Horatius ait, vt *verba praeuiſam rem non inuita ſequantur.*

§. 24. Qua ratione Medicina ſit & fieri poſſit Gratioſa, ſupra iam in Commentario I §. 12 ſignificatum eſt: vnde, qui eam profitentur, & ex veris artis rationibus exercent, ſua ſponte comitatur habitus & character Gratiae, i. e. venuſtatis, elegantiae, ſuauitatis, iucunditatis. Breuiter, Honeſtas illa, de qua auctor toto hoc libello praecipit, quaeque omnis virtutis habitu continetur, naturaliter hanc ſibi gratiam adiunctam habet: ſiquidem ea quam maxime naturae conuenienter omnia adminiſtrat; hoc autem ſolum vere pulchrum & elegans eſt, quod partim ex naturali virtute proficiſcitur, partim naturae ductum ſequitur, & eius opera quam proxime imitatur; contra, omnis affectatio & a natura aberratio indecens & inhoneſta eſt. Apparet etiam, ſingulos adhuc propoſitos characteres pro parte ad hanc gratiae formam conſtituendam conferre.

§. 25. Pari ratione, quum quis ita in omni vitae more ſe gerat & talibus tantisque virtutibus exornatum & excultum animum ipſis factis prae ſe ferat atque demonſtret: veram inde gloriae laudem, exiſtimationem, famam apud quoslibet homines adipiſcatur neceſſe eſt. Ita enim naturâ comparatum eſt, vt virtus vel ſimulacris ſuis animos hominum ad bene de ſe exiſtimandum, laudandum, colendum concitet atque permoueat: quando omne, quod in rebus humanis excellens, magnum, praeſtabile, pulchrum, vtile, beatum, iucundum eſt, vnius virtutis cultura & effectu continetur. Et quanquam ſint, qui huius rei rationes minus perſpiciant: nihilo tamen minus effectibus virtutis externaque ſpecie ducuntur, adeoque magis plerumque percelluntur quam intelligentiores. Qui igitur & ſuae ſibi ipſi virtutis, & exiſtimationis hinc ortae, conſcii ſunt, vtique firmam ſui ſuarumque facultatum fiduciam iure ſibi ſumunt, & auctoritatem in regendis perſuadendisque aliis, (δόξῃ τῇ ἐκ του τέων διϊσχυρίζονται) quae

veris

veris radicibus nititur, quaque tanto magis valent, quo minus quicquam prauorum aut priuatorum ſtudiorum admixtum apparet. Similem proinde Medico recta ſuae artis profeſſio conciliat auctoritatem, quam Pythagorae ſua philoſophia: v. *Proleg.* §. IV not. 1: & notum eſt, quantam his artibus gloriam, famam, venerationem, auctoritatemque diuinam, & viuus & apud poſteros, obtinuerit & adhuc retineat, ac retenturus ſit Hippocrates.

§. 26. Sic denique etiam ad vltimum, quem ſibi humana ſciendi cupiditas propoſitum habet, finem pertingunt, vt veritatem in re qualibet perſpiciant, quoad eius fieri poteſt. Methodus autem, qua illum ſcopum conſequuntur, conſiſtit in attenta eius inueſtigatione, quod ſub ſenſibilium affectionum aut qualitatum, diligentis obſeruationis ope cognitarum, habitu, tanquam interioris naturae ſignis, ſubeſt ſ. ſubintelligendum eſt. Hoc eſt, ἐς ἀληθείην πρὸς τὸ ὑποδειχθὲν ἀποτερματίζεσθαι. Conf. ſupra §. 17 huius Commentarii, itemque *Proleg.* §. XI not. 1. Et hoc modo in actiuae vitae ſuae negotiis ad ſimilem veritatis cognitionem perueniunt Medici, qualem Pythagorici omnesque Philoſophi contemplationibus ſuis intendebant: vid. *Proleg.* §. VI not. 2 & 3.

COMMENTARIVS IV

AD SECT. IV.

§. 1. Τὰ προειρημένα, ſ. ea quae praecedente tractationis parte tradita ſunt, huc redeunt: Sicut omnes legitime conſtitutas artes, ita quoque Medicinalem profeſſionem, quae recte exerceatur & liberaliter & honeſte, inter ipſam artis exercitationem ea ſibi adiungere doctrinae, eruditionis, ac virtutis praecepta, quae alias ſapientiae profeſſio ſ. diſciplina philoſophiae ſibi vindicat; eaque ratione methodicam artis formam naſci; artificem autem ipſum in omni vitae habitu ad honeſtatem, ſimplicitatem, prudentiam, & ſingulas virtutis ſpecies, quae particulatim enarrantur, formari. Iam, quum omnia iſta ſtudio induſtriaque nobis acquirenda ſint, quaeritur, quo duce ac magiſtro haec diſciplina conſtet & ad iſtam cognitionem at-

que habitum perueniatur? Et hic quidem complures, & genere, docendi ratione, methodo, professione, aliisque rebus diuersi possunt esse praeceptores, Medici, Philosophi; Theoretici, Practici; viua voce docentes, scriptores, defunctorum libri; scientiarum institutiones aut verbis, aut imaginibus, aut experimentis, aut alio quocunque modo traditae, &c. Verum in omnibus hisce & similibus artium discendarum modis, ad vnius alicuius supremae magistrae ductum & praescriptum semper & vbique respiciendum est: quod ἡγεμονικώτατον, dicit esse Φύσιν, *Naturam.* *

§. 2. Quae Natura, praeterquam quod dicitur esse suprema dux ac magistra, etiam artium professoribus, si hanc sibi ducem adiungant, prosperum in arte perdiscenda proboque acquirendo habitu successum praestare dicitur; item, ipsa facere suas res, hac *Sect.* n. 1 & 2; tum, ea, quae ad naturam pertinent, s. naturae sunt, non respondere s. consentanea deprehendi, si in veritatem earum disputationum inquiratur, quae non ipsorum operum demonstrationibus nituntur, n. 3. Hinc perspicuum videtur, Naturam hic appellari id, quod sua sponte, sine vllius artis coniuncta opera, illos effectus edit, qui in rebus humanis obseruantur; qui quidem effectus ad omnem rerum varietatem pertinent, nec tantummodo ad corpora quaecunque, sed etiam ad intellectus, rationis, voluntatis, & omnium animi sensuumqne facultatum spontaneas actiones,&c. verbo, quicquid quam latissima significatione naturae rerum vocabulo intelligitur. Sic totus mundus naturâ, h. e. insita vniuersali vi suos motus, vicissitudines, mutationes peragit: eademque ratione singularum mundi partium, s. rerum quae quacunque ratione ad mundum creatum eiusque affectiones pertinent, sua singularis est natura, cuius effectu, quae fieri obseruantur, constant; quemadmodum hominis natura est complexus omnium hominis facultatum naturalium, non

* ZVINGER. p. 85 vult hac parte libelli respicere Auctorem ad *tria*, quae *sunt, omnium artium, scientiarum, habituum, comparandorum conseruandorumque praesidia. Ex his*, pergit, *duo aliunde nobis adueniunt: alterum, diuina forte ingenitum*, φύσις, *Natura: alterum, humana comparatum institutione & doctrina*, σοφίη, *Ars videlicet: tertium, proprium est & domesticum*, τὸ χρέος, *siue, vt in* Πραγγελίαις, τριβὴ, *&* χειροτριβίη, *Vsus scilicet & Exercitatio.* Conf. Annotatt. textui subiectae.

non ſolum quae a corpore pendent, ſed etiam quae a mente animoque; qua de re infra in Comm. VII §. 7 ſpecialius diſpiciemus: ſimiliter, animae quoque ſua eſt natura, & ingenii, & voluntatis, &c. Hinc eſt, quod HIPPOCRATES edixit in l. *de Alimento*, t. IV, 13 T. I p. 594 Lind. ὅτι μία φύσις ἐςὶ ταῦτα πάντα καὶ ου πολλαὶ· πολλαὶ φύσιές εισι ταῦτα πάντα, καὶ ου μία· diuerſo ſc. intuitu, quo vniuscuiusque hominis, animalis, aut alterius cuiuslibet rei, propria eſt natura, & eadem tamen cum vniuerſa rerum natura connexa eſt; h. e. altera ſe habet ad alteram, vt γένος ad εἶδος quemadmodum in princ. libri dicitur. Simili ratione, ſecundum Pythagoreos, qui ſe ipſe cognouit, idem vniuerſam mundi naturam cognoſcat oportet: vid. *Proleg.* §. VI *not.* 9. Sed maxime claſſicus Hippocratis locus inferius explicabitur §. 4. huius. Pariter, PLATONIS aliquo loco, in *Proleg.* §. XIV allato, quam clariſſime docemur, Hippocratem vocabulum Naturae ad omnem rerum vniuerſitatem adhibuiſſe, & neque Corporis (humani ſc. nam in Graeco ſingularis exſtat, & minus recte vertit Interpres, corporum) naturam intelligi poſſe, affirmaſſe, niſi Vniuerſi natura perſpecta ſit. Itemque Corn. CELSVS, *in Praef.* p. 14 edit. Ien. 1713 tradit, *Hippocratem rerum quoque naturam, ex aliqua parte ſcrutatum eſſe.* Add. *Proleg.* §. XI. Haec naturae, vt ita dicam, natura aut notio vniuerſalis ſi teneatur, plurima apud Hippocratem loca expedita intellectu eſſe videntur, quae alias multa difficultate laborant. Et mea quidem certe ſententia, haec naturae cognitio eſt vnica ſcriptorum Hippocraticorum clauis. Nam quum hic vir vnus omnium maximus Naturae obſeruator fuerit, tranſiit in ſcripta eius hoc ſtudium, vt ipſa natura dictante nata videantur, eoque rectius intelligi, quo diligentius ipſe lecturus naturam ſimiliter perſcrutatus ſit, eiusque mores perdidicerit. Nec eſſe puto, quod quis cauſſetur, ſic tamen nondum plene cognoſci, quid, aut quodnam ens, aut ſubſtantia &c. ſit natura? nam ipſa natura plus de ſe ſcire, hominibus quidem negauit. Caeterum, ſimiles de natura definitiones ex *Platone* attulit FOESIVS *in Oeconomia*, v. φύσις· aliorum veterum conſenſus deinde commodis locis adhibebitur: ex quibus maxime ad meam ſen-

tentiam accedere videtur Epicurus apud CICERONEM *de Fin.* I, 63 c. 19; quem locum refero infra §. 5.

§. 3. *Naturam* igitur *magistram* aut *ducem sequi*, est, in quacunque re agenda perspicere ex effectibus s. phaenomenis spontaneis, quomodo res naturales sua sponte se gerant & habeant ad eam rem propositam perficiendam, tumque secundum regulas ex ista praeformata notitia sponte enatas, in actione instituenda versari. Ita, *Naturae conuenienter viuere*, est, secundum leges, rerum vniuersitati implexas, & solerti contingentium consideratione obseruatas, tam vniuersales & generales, quam particulares & speciales & singulares, vitam suam instituere. Ad hunc de Natura sensum frequentissime in dictis sententiisque suis respexit summus naturae mystes Hippocrates; eademque via ac ratione tantus tamque admirabilis factus est, ac iure meritoque aestimatur; &, quia mentem ipsis rerum naturae notionibus impleuerat subegeratque, hinc est, quod scripta viri adeo foecunda sensuum vbertate & natiuo colore eminent, & hac parte naturam magistram referunt, quae foecundissima pulcherrimaque ipsa est. Neque minus hoc animaduertere licet in excellentioribus quorumlibet seculorum ingeniis eorumque factis & studiorum superstitibus monumentis, praesertim in Poëtis tali nomine dignis, & quotquot fuere *non sordidi auctores naturae verique:* quapropter etiam nostris temporibus magna laus est, in antiquorum monumentis saltem agnoscere expressa naturae vestigia; qui vero spernunt veteres, de iis hoc mitissimum est iudicium, eos non intelligere veteres. Sed plerumque variis artium, morum, consuetudinum, legum humanarum generibus & amore natura negligitur, opprimitur, mutatur, peruertitur, deformatur, & in affectationem transit: vt & non infelicis ingenii sit, naturam intra se ipsam requirere; & magni animi industriaeque, asserere sibi libertatem naturae, quoad eius fieri potest ac licet. Quod autem natura accusari solet, quasi corrupta ac deprauata sit, nec proinde pro duce aut magistra veritatis & vitae habenda; id nimis quam verum est, si de corruptionibus hominum opera in suam ipsorum & vniuersam rerum naturam illatis intelligatur: sed nos nunc de integritate naturae loquimur, qua Deus vniuersum condidit; quemadmodum Ecclesiastes VII, 30 *Vide hoc*, inquit, *reperi, a Deo quidem hominem factum esse*

eſſe integrum, ſed ipſi multas artes quaerunt; eademque ratione legimus *Geneſ.* I extr. Deum abſoluto mundi opificio vniuerſa opera creata denuo perluſtraſſe, & (nota bene) omnia ſibi valde bona viſa fuiſſe. Cuius natiuae integritatis veſtigia quum nemo temere omnino deleta & abolita in natura eſſe dixerit, haec vt inueſtigemus, elaborandum eſſe dicimus. Qua in re agnoſco Dei, auctoris naturae, ſalutare beneficium, quo editis ſanctiſſimis oraculis, Bibliorum codice comprehenſis, veras de prima naturae integritate notiones tradidit, regulasque, quibus obſeruandis poſſimus ad antiquiſſimum ſtatum in hac vita reduci: quorum praeceptorum interiores, adeoque naturae conuenientes, rationes quanquam non ſemper nec cito peruidere hominibus datum ſit; tamen experiendo deligenterque inquirendo multum intelligere licet. Et hac quidem parte Hippocrate aliisque gentilibus nos multo feliciores ſumus: quo magis reprehendendum eſt, ſi ne tantum quidem, quantum iſti, hoc in ſtudio proficimus. Multi autem variique generis errores hic committi ſolent, & anguſtia aut feſtinatione ingenii,& praeiudiciorum prauitate rectus de natura rerum vniuerſarum & ſingularum, earundemque mutuo ad ſe reſpectu, ſenſus amitti. conf. CICERO infra §. 5. Maneat ergo, *librum Naturae & Scripturae* optimos eſſe quarumuis rerum magiſtros: adeoque Naturam hoc intellectu, gentilibus praebuiſſe principium cognoſcendi religionem, virtutem, & officia omnis generis, & quemadmodum S. PAVLVS ſcribit *ad Romanos* 2, 14 ſeq. ὅταν ἔθνη τὰ μὴ ΝΟΜΟΝ ἔχοντα, ΦΥΣΕΙ τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσι νόμος.

§. 4. Hoc poſito principio, actiones quaecunque hominum, quae quidem huius vitae negotia tractant, (οἱ ἐν τέχναισιν) verſari debent in *imitatione naturae:* adeoque haec eſt vera atque legitima omnium artium, ſcientiarum, ac diſciplinarum conſtitutio, vt naturae exemplar & prototypum exprimant atque referant. Qua de re illuſtrem expoſitionem afferre liceat ex libro I *de Diaeta,* Sect. XII ſeqq. Lind. Οἱ δὲ ἄνθρωποι ἐκ τῶν φανερῶν τὰ ἀφανῆ σκέπτεσθαι οὐκ ἐπίστανται. τέχνῃσιν γὰρ χρεόμενοι, ὁμοίῃσιν ἀνθρωπίνῃ φύσει, οὐ γινώσκουσι. θεῶν γὰρ νόος ἐδίδαξε μιμέεσθαι

τὰ ἑαυτῶν, γινώσκοντας ἃ ποιέουσι, καὶ οὐ γινώσκοντας ἃ μιμέονται. πάντα γὰρ ὅμοια, ἀνόμοια ἐόντα· καὶ σύμφορα πάντα καὶ διάφορα ἐόντα· διαλεγόμενα, οὐ διαλεγόμενα· γνώμην ἔχοντα, ἀγνώμονα· ὑπεναντίον ὁ τρόπος ἑκάστων ὁμολογούμενος. ΝΟΜΟΣ γὰρ καὶ ΦΥΣΙΣ, οἷσι πάντα διαπρησσόμενα, οὐχ ὁμολογέεται ὁμολογεόμενα. νόμον γὰρ ἔθεσαν ἄνθρωποι αὐτοὶ ἑωυτοῖσιν, οὐ γινώσκοντες περὶ ὧν ἔθεσαν· φύσιν δὲ παντὸς (alii πάντες) θεοὶ διεκόσμησαν. τὰ μὲν οὖν ἄνθρωποι ἔθεσαν, οὐδέποτε κατὰ τὸ ὠυτὸ ἔχει, οὔτε ὀρθῶς, οὔτε μὴ ὀρθῶς. ὁκόσα δὲ θεοὶ ἔθεσαν, ἀεὶ ὀρθῶς ἔχει. καὶ τὰ ὀρθὰ καὶ τὰ μὴ ὀρθὰ τοσοῦτον διαφέρει. ἐγὼ δὲ δηλώσω τέχνας φανερὰς, ἀνθρώπου παθήμασιν ὁμοίας ἐούσας καὶ φανεροῖσι καὶ ἀφανέσι. Quae ſic intelligo: *Homines autem neſciunt ex manifeſtis occulta inueſtigare. Ita enim, quanquam in eiusmodi artium operibus verſantur, quae ſimili modo res ſuas adminiſtrant, quo humana natura actiones oeconomiae animalis peragit, hoc tamen non intelligunt. Qua in re admirabiliter elucet diuina prouidentia: haec enim homines iſtis & animi & corporis facultatibus inſtruxit, vt vi inſita ferantur ad imitanda ea opera, quae ipſi DI effecerunt; &, licet ea, quae imitantur, ignorent neque agnoſcant, nihilo tamen minus ſuorum artis operum, quae in imitatione conſiſtunt, rationes ſic ſatis perſpicere queant. (Ipſa autem deorum opera, & quomodo illorum imitatione conſtent artes humanae, peruidere, tantum ſapientioribus datum eſt.) Sed quod illam imitandi rationem communiter non agnoſcunt homines, eius rei cauſſa eſt, quod in primis & ſuperficiariis rerum perceptionibus acquieſcunt, vbi multiplex ſane ad ſenſum diuerſitas apparet: ſi vero penitius conſiderarent & perſcrutarentur, poſſent interiores agendi imitandique rationes cognoſcere. Omnia enim pro diuerſo conſiderandi modo ſunt & ſimilia & diſſimilia, conueniunt & differunt, disputari poſſunt & conciliari, ex conſilio adminiſtrantur & ſine conſilio tantum ſecundum perculſorum ſenſuum impetum: ſic ſingularum rerum modus & ratio ſub apparente diuerſitate & repugnantia, tamen quoque conuenientiam habent inter ſe. Probe autem a ſe inuicem diſtinguere oportet* INSTITVTVM & NATVRAM: *inſtituta ſunt, quaecunque hominum ingenio, operae, ſtudio, induſtriae, originem debent, eoque referuntur*

feruntur conſuetudines, mores, conſtitutiones, ordinationes, ritus, ceremoniae, leges, linguae, opiniones, artes & ſcientiae earundemque deſcriptiones, methodi, ſyſtemata, verbo, quicquid praeter ſpontaneos naturae effectus in mundo reperitur. Secundum haec inſtituta & naturam omnia fiunt & contingunt, & quia haec duo principia diuerſimode ſe habent, hinc facta quoque humana & naturae diuerſum habitum nanciſcuntur, vt conuenientia eorum, ſ. naturae imitatio in humanis rebus & actionibus, non ſtatim appareat. Inſtituta enim homines ipſi ſibi conſtituerunt, licet ignorent illa, quorum ad imitationem conſtituta ſunt & de quibus vltimo propoſito & intentione ſunt conſtituta: contra ea, naturam totius dI compoſuerunt inſtruxeruntque. Porro, quae ab hominibus conſtituta ſunt, non ſemper eodem modo ſe habent, ſiue recte fiant ſiue minus recte: quaecunque autem conſtituere dI, ſemper recta ratione conſtant. Et eatenus quidem differunt ea, quae recte ſe habent, & ea, quae minus recte. Nunc, quanquam ad illam rationem diuerſitatis & conuenientiae in rebus artis ingeniiue humani & naturae communiter non ſoleat attendi, tamen ego euidenter docebo, artes, quae omnium cognitioni expoſitae ſunt, ſimiles eſſe affectionibus hominis, ſ. iis effectibus, qui in homine vel manifeſto vel occulto modo accidunt. Complurium deinde exemplorum demonſtratione hoc auctor perſequitur: vt de arte diuinandi, in ea cognoſci ex manifeſtis obſcura, & contra; ex praeſentibus futura: quemadmodum, quum mulier concepit, inde praeſcimus, hominem factum iri, deinde ex infante puerum, & virum. Similiter, ἰητρικὴ τὸ λυπέον ἀπαλλάσσει, καὶ ὑφ᾽ ὅυ πονέει, ἀφαιρέουσα, ὑγιέα ποιεῖ· ἡ Φύσις αὐτομάτη ταῦτα ἐπίςαται. καθήμενος πονέει ἀναστῆναι, κινεύμενος πονέει ἀναπαύσασθαι· καὶ ἄλλα τοιαῦτα ἔχει ἡ φύσις ἰητρικῆς. Clarius poſtea in arte Statuaria oſtendit imitationem naturae humanae: & ita porro. Antea autem dixerat naturam humanam imitari naturam vniuerſi, Sect. XI, 12 ſeqq. Caeterum, memorabilis eſt vis duorum illorum vocabulorum, Νόμος & Φύσις, quibus etiam alias frequentiſſime ſic vti ſolet Hippocrates, praeſertim in l. de Aëre, Aquis, & Loc., de Natura Hum., de Genitura, de Morbo Sac. vnde loca in ſuam *Oeconomiam* retulit FOESIVS v. Νόμος & Φύσις. * add. Celeb. GESNERI ψυχαὶ Ἱπποκράτους, Cap.

* Eodem I *de Diaeta* libro, Sect. I, 11 ſeq. diſtinguit inter δύναμιν ciborum

V not. f. Et ita quidem comparatum eſt cum rebus humanis. Sed hoc quoque obſeruare licet, plurimis modis homines non imitari naturam, aut eius ductum ſequi, & eidem conuenienter viuere; ſed ſeſe potius inuicem imitari, & ad aliorum actiones, inſtituta, conſuetudines, opiniones, ritus, mores, methodum, ſyſtema, hypotheſes, dicta denique & facta, ſuam viuendi rationem componere; cuiusmodi homo CICERONI, *de Officiis* I c. 31 dicitur *aliorum naturam imitans, omittere ſuam:* quo quidem modo a natura adhuc magis deſciſcitur, adeoque, quod naturae eſt, fere funditus perit.

§. 5. Hippocrates autem non ad ſola artium & diſciplinarum opera reſtringit imitationem aut obſequium naturae praeſtandum, ſed omne quoque virtutum & officiorum genus in eo collocat, vt naturae ductum & diſciplinam ſequamur: ſicut particulatim in Commentario III oſtenſum eſt. Planiſſime porro hic conſentiunt alii: quod non poſſe melius oſtendi videtur quam aliquot CICERONIS locis. Ita autem ille *Tuſc.* III, 2 c. 1 ſeq. *Quodſi tales nos natura genuiſſet, vt eam ipſam intueri & perſpicere, eademque optima duce curſum vitae conficere poſſemus: haud erat ſane, quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. Nunc paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque deprauati, ſic reſtinguimus, vt nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum: quae ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem ſimulatque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuo prauitate, & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur: vt paene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Quum vero parentibus redditi, demum magiſtris traditi ſumus: tum ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatae natura ipſa cedat. Accedunt etiam poëtae: qui quum magnam ſpeciem doctrinae ſapientiaeque prae ſe tulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhaereſcunt penitus in mentibus. Quum vero eodem, quaſi maximus quidam magiſter, populus, atque omnis vndique ad vitia conſentiens multitudo: tum plane inficimur opinionum prauitate, a naturaque deſciſcimus; vt nobis optimam naturam in-*

ac potuum τὴν κατὰ φύσιν, καὶ τὴν δι᾽ ἀνάγκην καὶ τέχνην ἀνθρωπίνην: it. II, 6 ſeq. δύναμιν καὶ τῶν κατὰ φύσιν καὶ τῶν διὰ βίης γινομένων. Similia ib. Sect. XXI, 5 ſeqq. &c.

inuidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria iudicauerunt; ad quam fertur optimus quisque, veramque illam honestatem expetens, quam vna natura maxime inquirit, *in summa inanitate versatur, consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae.* Idem M. Tullius de *Finibus Bonorum & Malorum* I, 63 c. 19 *In physicis,* inquit, *plurimum posuit* Epicurus: *ea scientiâ & verborum vis, & natura orationis, & consequentium repugnantiumue ratio potest perspici; omnium autem rerum natura cognita, leuamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles exsistunt saepe formidines; denique etiam morati melius erimus, quum didicerimus, quae natura desideret; tum vero, si stabilem scientiam rerum tenebimus, seruata illa, (quae quasi delapsa de caelo est ad cognitionem omnium) regula, ad quam omnia iudicia rerum dirigentur, nunquam vllius oratione victi, sententia desistemus. Nisi autem rerum natura perspecta erit, nullo modo poterimus sensuum iudicia defendere. Quicquid porro animo cernimus, id omne oritur a sensibus: qui si omnes veri erunt, vt Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci & percipi; quos qui tollunt, & nihil posse percipi dicunt, ii remotis sensibus ne id ipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Praeterea, sublata cognitione & scientia, tollitur omnis ratio & vitae degendae & rerum gerendarum. Sic e physicis & fortitudo sumitur, contra mortis timorem; & constantia, contra metum religionis; & sedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione sublata; & moderatio, natura cupiditatum generibusque earum explicatis; &, vt modo docui, cognitionis regulâ & iudicio ab eadem illa constituto, veri a falso distinctio traditur.* Inprimis vero Cicero in toto praeceptorum *de Officiis* opere, principium omnis virtutis, honestatis, officii in eo ponit, vt *naturam, optimam ducem, tanquam deum, sequamur, eique pareamus,* quemadmodum loquitur Idem *de Senectute* cap. 2; siue, vt *naturae conuenienter viuamus,* quemadmodum alibi. Ita, e. c. *de Officiis* III cap. 5 *Atque hoc multo magis,* inquit, *exigit ipsa naturae ratio, quae est lex diuina & humana: cui parere qui velit, (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent viuere) nunquam committet, vt alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. Etenim multo magis est secundum naturam, excelsitas animi &*

magnitudo, itemque comitas, iuſtitia, liberalitas; quam voluptas, quam vita, quam diuitiae: quae quidem contemnere & pro nihilo ducere, comparantem cum vtilitate communi, magni animi & excelſi eſt &c. Et; (qui locus etiam ad praeſentis libelli de Honeſto & Decoro argumentum propiore quodam modo pertinet) *de Officiis* I c. 31 *Admodum autem tenenda ſunt ſua cuique, non vitioſa, ſed tamen propria, quo facilius* Decorum *illud, quod quaerimus, retineatur. Sic enim eſt faciendum, vt contra* vniuerſam naturam *nihil contendamus; ea tamen conſeruata,* propriam naturam *ſequamur: vt, etiamſi ſint alia grauiora atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturae regula metiamur. Neque enim attinet, repugnare naturae, nec quidquam ſequi, quod aſſequi non queas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud: ideo, quia nihil decet inuita, vt aiunt, minerua, id eſt, aduerſante & repugnante natura. Omnino, ſi quidquam eſt decorum, nihil eſt profecto magis, quam aequabilitas vniuerſae vitae, tum ſingularum actionum: quam conſeruare non poſſis, ſi aliorum naturam imitans, omittas tuam.* Conf. ibid. c. 35: it. vniuerſum *de Finibus bonorum & mal.* opus, paſſim: & alibi. De Pythagoricis ad φύσιν, tam particularem quam vniuerſam intelligendam inſtitutis, vid. *Proleg.* §. VII not. 1 & §. VIII not. 5.

§. 6. Quodſi igitur quis tali modo naturam ducem ac magiſtram adhibeat, in arte ſcientiaque ſua diſcenda, tractanda, exercendaque, ἢν προσῆν αὐτέοισι τοῦτο· feliciter ei ſuccedet negotium, egregieque in ſtudio ſapientiae, rerumque neceſſariarum & vtilium cognitione, tum omnis virtutis habitu acquirendo, proficiet, διὰ πάντων τουτέων προσπορεύωνται τῶν προειρημένων. Iam autem in ſuperioribus Commentariis ſubinde demonſtratum eſt, qua ratione philoſophia medici, bonusque in omni vitae varietate character, ipſa rerum iſtarum natura quaſi manu ducente, inter artis opera comparentur: quae vero reſtant, nunc perſequar.

§. 7. Verum tamen in comparanda facultate ſapientiae aut artis alicuius exercendae profitendaeue, non ita res inſtitui poteſt, vt ex prima contemplatione & inquiſitione naturae rerum demum ad artis, diſciplinae, ſcientiaeque notitiam vſumque perueniatur. Nam, quum

quum a natura hominibus non ſit conceſſum, vt praecepta inſtituta-que philoſophicarum diſciplinarum & artium, ſtatim aut celeriter cognoſcant, & opere ipſo repraeſentent ſ. exerceant; ſed plurimarum rerum ſingularium obſeruatione vſuque artes & ſcientiae conſtent, inueniantur, conſtituantur, idque nec ab vno homine nec vnius aetate praeſtari queat; quumque accedat, quod a teneris plurimorum errorum, vitiorumque contagio correpti corruptique ſumus, quibus impediamur, quo minus verum rectumque ipſi per nos perſpicere poſſimus, vt §. 5 dictum eſt: igitur aliorum prius inſtitutioni & diſciplinae tradendus vtique fuit, qui artis alicuius aut ſcientiae notitiam & vſum addiſcere ſibi propoſuit; quo nimirum tantum in diſciplina percipiat & in operum experimentis exerceatur, quantum neceſſe eſt, vt, perſpectis veris legitimae artis rationibus, ipſe per ſe initium profitendae artis facere, & eius negotia recte administrare poſſit: διδαχθῆ ἐς τὸ ἀρχὴν λαβεῖν. Vt igitur neque nimis cito nec ſero ex diſciplina magiſtrorum excedatur, tum aliquis idoneus & neceſſariis praeſidiis inſtructus ad ineundam alicuius artis aut ſcientiae profeſſionem iudicandus eſt, quum illa praecepta & regulas, ſecundum quas quaelibet artis negotia peraguntur, ita perceperit, vt in ſingularibus exemplis easdem ad vſum transferre poſſit: quam quidem ad rem & aetatis maturitate, & adulta prudentia, & virtutis habitu, cum neceſſaria eruditione, opus eſſe, facile intelligitur. Alias totâ vitâ in rerum ſingularium tractatione, ſcientiae, virtutis, dexteritatisque incrementa comparanda erunt, neque vnquam ad finem diſcendi peruenitur; quod nec Hippocrati contigit. Denique, cum ſic initium artis exercendae factum eſt, tum ipſe quoque rerum vſus & habitus agendi comparatur: quod quidem eiusmodi eſt, vt nec dici poſſit nec ſcribi. Egi hac de re etiam alibi.

§. 8. Dum autem ita philoſophικῶς & methodικῶς, i. e. per praeceptorum vniuerſalium & generalium expoſitionem eorumque in ſingularibus exemplis demonſtrationem, ars fuit tradita: inprimis quoque ſemper ad ipſius naturae ſpontanea phaenomena, & effectus, & agendi modum, τὰ ἀπ' αυτέης τῆς φύσιος ποιεύμενα, intentum eſſe oportuit, ita vt omnis inſtitutio, diſciplina, oratio, ratiocinatio,

natio,

natio, praecepta, regulae, & progymnaſmata quaeuis ex ſolerti naturae rerum contemplatione, meditatione, indeque prognatis docendarum rerum notionibus, & imitatione profecta ſint*; quo modo vtique natura rerum in praeceptiones de iisdem quaſi influit & cum iis confunditur, & arti eiusque partibus dat formam internam externamque, & habitum, & methodum, & res ſuas efficiendi modum, denique eam ad ſui ſimilitudinem efformat: id quod ſibi volunt iſta, ἡ φύσις κατεῤῥύη καὶ κέχυται τῇδε σοφίῃ. Qualis praecipiendi docendique & inſtitutiones diſciplinarum conſcribendi ratio, apparet, quam diuerſa ſit ab illa, quae ex libris tantum aut auditionibus inſtituitur. Sed & ex iſta artis ad naturam conformatione felix operum ſucceſſus dependet: quodcunque enim opus efficere artis opera velis, id effici aliter omnino nequit niſi adhibendo vires & inſtrumenta naturae, quae, ex lege diuina, omnia & ſingula in hoc vniuerſo ſua inſita virtute efficit & moderatur, & ad quaelibet humanae artis aut induſtriae & meditationis opera perficienda tanquam cauſſa princeps concurrit & maximum confert momentum. Vid. Hippocratis loca allegata in *Proleg.* §. IX not. *3* & *9*. Quapropter etiam artis ipſa opera praeſtita locuples & idoneum perhibent teſtimonium ac probant, artis praecepta & regulas conuenire cum natura rerum, proindeque veras eſſe.

§. *9*. Sicut autem felici in arte diſcenda faciendaue ſucceſſu gaudent illi, qui naturam magiſtram ſequuntur: ita contra iis accidit, qui non ex ipſius naturae rerum cognitione diſciplinam inſtituunt, ar-

* *Qualia, ad formanda principia vniuerſalia,* Hippocrates *voluerit adhiberi* φαινόμενα, *ſciſcitans* SCHELHAMMERVS, in Diſſ. *de Medico Philoſopho* ἰσοθέῳ, Theſi XXXVII, ait: *Illa iubet* (in Παραγγελίαις) ἐκ περιπτώσιος, *quod Foëſius reddit,* ex fortuita occaſione, *ſumere. Sunt autem talia, quae Natura ſponte edit, ſeu ex occaſione non quaeſita offeruntur: cuiusmodi ſunt ſymptomata morborum, & omnia, ex quibus aureum Aphoriſmorum opus nobis natum eſt; quae poſſunt eſſe exempli loco.* Pergit Idem Th. XXXVIII, *Quid ergo fiet de noſtri ſaeculi experimentis, quibus ſe tantum iactat, Chemicis & Mechanicis, quae ſponte ſe non offerunt, ſed arte quaeruntur?* Add. Theſes ſeqq. Inibi quidem aſſerit, *Hippocratem aliquando coëgiſſe naturam, vt ſeſe proderet, ſed non talibus, verum medicamentis; deinde, non ad vniuerſalia condenda, ſed in caſu ſingulari:* quod confirmari putat *memorabili loco* ex libro de Arte, haut procul a fine; qui infra, *Comment.* V §. 5 exhibetur.

artemque ad naturae praeformatas ideas conformant, siue praeceptionibus suis ipsam naturam eiusue vestigia exprimunt. Quo ipso quia naturae repugnant & aduersantur, incepta sua minime prospera experiuntur, sed irrita potius omnia redduntur a natura, molitionibus, contra suas leges & agendi modos institutis, intercedente: ὀυδαμῆ τὰ πρὸς φύσιν ἀυτέοισι χωρήσει. Quodsi igitur qui non ipsam quoque artis operum exercitationem cum mentis inquisitione, praeceptis, disputationibusque coniunxerint, & hoc modo veritatem dictorum ipsis rerum documentis demonstrare didicerint, ὀυδαμῆ ἐχρήσαντο τοῖσι πράγμασιν ἐς δεῖξιν· non poterunt decreta sua recte tueri, & a ruina praestare salua; sed vbi aliquis argumentis ex ipsa rerum natura operumque demonstratione ductis illorum placita impugnauerit, superabuntur veritate conuicti: ἐν ἀμφοτέροισι λόγοισι κρατηθέντες. Criterium igitur, vnde sciatur, an vera sint, quae dicantur aut disputentur, est, videre, num natura rerum & operum experimenta consentiant.

§. 10. Quum igitur isti artis cultores & professores non ipsa opera factitando &, quomodo natura agat & concurrat, considerando, disciplinam suam vitaeque modum adornent & instituant; sed tantum id curent, quo doctrinae suae systema sola mentis inquisitione conficiant, experientiâ praetermissâ, conquisitis apteque inter se connexis ratiocinii argumentis instruant illud & constituant, & apte, copiose, subtiliter, probabiliterque de rebus ad artem aut scientiam pertinentibus disserere, & in vtramque partem disputare possint: manifestum est, quam diuersa sit illorum ratio ab ista aliorum, qui, in mediis artis operibus versantes, hinc discunt, quomodo natura agat, & eam imitari arte oporteat; & sic praecepta regulasque rerum agendarum colligendo & disciplinam formando, certam, & philosophiae more rationibusque instructam, artis methodum constituunt, & in omnis habitu virtutis proficiunt. Quandoquidem autem illi hoc modo legitimam artis cognoscendae faciendaeque methodum, quae imitatione operum naturae continetur, ignorent: consequitur, eos in rebus, quas tractent, ad artem pertinentibus illegitima peruersaque ratione procedere necessum habere, & sic vtique

 similes

ſimiles fieri illis malis artificibus, qui Sect. II deſcripti ſunt. (εὑρίσκονται οὗτοι παραπλησίην ὁδὸν ἐκείνοισι πεπορευμένοι.) Itaque iſti, quum nec veras rectasque artis exercitationum rationes cognitas habeant, nec animum virtute excultum, a quibus tamen rebus omnis in ſequendo vitae genere felicitas & proſper actionum ſucceſſus pendet: ſtatim vbi ad opus faciendum & negotia tractanda accedunt, experiuntur, ſeſe partim ineptos eſſe ad res agendas, partim non reſpondere placitis ſuis ac ratiociniis euenta, partim denique ob animi morumque vitia ſe aliorum odia incurrere, certe nullum diuturnum amorem fauoremque & boni viri exiſtimationem promereri poſſe; itaque ἀπογυμνοῦνται, & nihil ipſis reliqui manet, ad demonſtrandam artis peritiam aut ſcientiam, eiusue exercendae facultatem: contra ea, cum ipſi in inertiam atque ignauiam prolabuntur, quia male res ſuas adminiſtrando faciunt, vt homines nihil eiusmodi malis artificibus agendum concredere velint; tum ab aliis iuſtum ſibi arceſſunt contemtum, (ἀμφιέννυνται κακίην καὶ ἀτιμίην.) Conf. de κακίᾳ *Comment.* I §. 5.

§. 11. Iam incipit auctor diſtinctius docere, diſciplinam artis non poſſe recte adornari, niſi cum praeceptionibus ipſorum operum exercitatio coniungatur; qua quidem ratione ſola perſpicere licet, quomodo natura agat, & eam arte imitari deceat. In hac igitur controuerſia quum omnis quaeſtio eo redeat, quid in arte diſcenda faciendaue tribuendum ſit *Rationi*, quid *Experientiae?* vt communi hodieque loquendi formula vtar: breuiſſimâ ſententiâ totius diſputationis ſummam complectitur & controuerſiam finit, edicens, Rationem eam demum bene recteque, pro artis natura & conditione, conſtitutam eſſe, quae notiones ſuas habeat ex ipſorum operum tractatione, ſub perito & omnia rite demonſtrante magiſtro inſtituta, i. e. ex Experientia; & inde poſtea ratiocinando procedat. Nam quum in arte qualibet omne ſtudium verſetur circa opus aliquod efficiendum; hoc autem vt fieri poſſit, neceſſe ſit cognitas habere eas rerum contingentium agentiumque conditiones, & euentus, quibus conſpirantibus & ſecum inuicem apte compoſitis, propoſitum effectum obtinere liceat; porro, quum harum rerum omnium nulla detur cognitio aut idea, niſi per obſer-

obſeruationem eius, quod accidit & factum eſt ſub his illisue conditionibus, quatenus idem ſub ſenſuum perceptionem cadit: perſpicuum eſt, in rebus artis ſolam factorum experimentorumque diſciplinam veras & proprias menti ſubminiſtrare notiones, vnde ratio cognoſcat, quarum rerum coniunctâ operâ, quibusque modis, actio aliqua perfici poſſit; ex qua cognitione deinde ad multiplicem perceptarum idearum compoſitionem ac comparationem procedit Ratio, inprimisque in analogia deprehendenda diligens eſt. Pluribus hoc argumentum excuſſi in *Comm. de Eo in Medico, quod nec dici poteſt nec ſcribi*, §. X ſeqq. Omnino hic conf. ſupra *Prolegom.* §. XI not. 1. Quare quum ita naturâ comparatum ſit, hinc facile errores in hac cauſſa caueri poterunt ac refelli, qui quidem plerumque ex minus perſpecta rei natura originem ducunt, ſi ſerio committantur. Et iſtam quidem *Rationem*, ita excultam, λόγον ἐκ τοῦ διδαχθέντος ἔργου, καλὸν, *pulchram* eſſe, prout decet inſtructam, ſibique & bonis Medicis omnibus placere, ait Auctor.

§. 12. Hinc autem procliue eſt ad colligendum, quodcunque opus artis bene ac prudenter, ipſius operâ atque conſilio artificis, adminiſtratum & effectum ſit, (πᾶν τὸ ποιηθὲν τεχνικῶς) id ex recta ratione, veris propriisque rerum agendarum notionibus inſtructâ, profectum, inſtitutum, ac perfectum eſſe, (ἐκ λόγε ἀνηνέχθη) & tali modo facta eſſe documenta probi ratiocinii methodique ſecundum legitimae artis regulas inſtitutae: nam aliter effici non potuiſſet, quod effectum eſt; rerum enim natura aduerſaretur, qua repugnante irrita fiunt omnia. Quodſi quoque conſideres, quomodo artis aliqua actio peragatur, videbis, ad eam rem neceſſum eſſe, vt mentis intentione recorderis notiones illas animo comprehenſas, quas de actionis propoſitae executione cognoueris, vtque ſecundum huius cognitionis modum in agendo progrediare. Etſi enim ante, quam rationes alicuius operis efficiendi perſpectas habeas, poſſit illud forte tentando effici, adeoque tali modo quaelibet ſingulares artis operationes inuentae ſint, niſi caſu aut in brutorum actionibus obſeruatum aliquid fuerit: tamen de arte nondum reperta conſtitutaque nunc non loquitur Hippocrates, ideoque ſignate addit τεχνικῶς, i. e. ſecundum artis praecepta, regulas, inſtituta, quae in diſciplina magiſtri perce-

pta

pta fuere. *Conf. Sect. V.* Iam intelligi poteſt, quae *Ratio* appelletur Hippocrati in Medicina; & quatenus Rationalis medicus idem dicendus ſit. Hoc quoque manifeſtum eſt, Rationem & Experientiam, ſi recte ſe habeant & intelligantur, neceſſario ſibi mutuo reſpondere, amice conſpirare, & coniunctam operam praeſtare. Denique ſic colendo medicinam, ab hypotheſibus liberam ſeruabimus, quantum fieri poteſt.

§. 13. Quodſi quis ita in operibus artis faciendis verſetur, propoſitum actionum ſuarum finem non poterit non conſequi, quatenus iſthaec agendo obſeruat. Inde procul dubio eſt, quod magnam adeo artis ſuae fiduciam habuit Hippocrates, ſicut paſſim in libris eius deprehendere licet; praeſertim vero ſuccurrit inſignis locus in libro *de Locis in homine*, verſus finem; quem adſcribam ex interpretatione Foesii: *Ars ſane Medica iam mihi tota inuenta eſſe videtur, quae ſic comparata eſt, vt ſingulas & conſuetudines & temporum occaſiones doceat. Qui enim hoc pacto artis Medicae cognitionem habet, is minimum ex fortuna pendet; ſed & citra fortunam & cum fortuna recte eam adminiſtrabit. Firma enim eſt ars tota Medica, eiusque praeceptiones, ex quibus conſtat, pulcherrimae, fortuna minimum indigere videntur. Sui enim iuris eſt fortuna, & nullius imperio paret, neque voto illam conſequi datur. Scientia vero, & imperio ſubiacet, neque felici ſucceſſu caret, ſi quis ea inſtructus vti volet. Deinde, quanam in re Medicina fortunae indiget? Si quidem explorata ſunt morborum medicamenta, quemadmodum reor, ea, vt morbis ſanitatem adferant, minime fortunam morantur, ſi quidem medicamenta ſunt. Quodſi cum fortuna, ea exhibere iuuat, non magis medicamenta, quam quae talia non ſunt, vnà quidem cum fortuna morbis oblata ſanitatem reſtituunt. At vero quisquis fortunam ex arte Medica, aut quouis alio negotio, penitus eiicit, negatque, eos, qui probe aliquid nouerunt, fortuna vti, is mihi contra, quam debet, ſentire videtur. Ii enim ſoli vel ſucceſſu potiri vel eo fruſtrari videntur, qui recte quid vel male facere nouerunt. Eſt enim proſpere ſuccedere, recte facere: quod faciunt, qui ſciunt. At vero, ſucceſſu fruſtrari, eſt, quum quis, quod minime ſciat, id non recte faciat. Ignaro enim quomodo proſpere ſuccedere queat? Quod ſi quid etiam ex animi ſententia ſuccedat, non magni certe faciendum ſucceſſum habebit. Nam, qui non recte facit, huic ex animi ſententia ſuccedere non poterit, quum reliqua, quae ſunt conſentanea, non faciat.*

§. 14.

§. 14. Vidimus, in legitima medicinalis artis disciplina doctrinam cum ipsis operum exemplis coniungi debere. Quod si vero contra ea, haec disciplina ita instituatur, vt de rebus ad artem pertinentibus tantummodo verba fiant, non autem ipsis simul factis eaedem res demonstrentur, id quod Auctor dicit τὸ ῥηθὲν τεχνικῶς, μὴ ποιηθὲν δὲ· quamlibet secundum formam artis & scientifice, vt dicitur, differatur, & tradita praecepta probabiliter & ad Rationis opiniones conuenienter se habeant, apteque ac speciose constructa sint; tamen methodus arti propria sic non adhibita est, quae nimirum ipsis operum experimentis, s. sensuali rerum noscendarum agendarumque perceptione constat: sed e contrario talis de arte institutio, μεθόδου ἀτέχνου δεικτικὸν ἐγενήθη. Conf. *Commentarius* I §. 1. 4. 9.

§. 15. Ex dictis apparet, quum ea, quae Medicinalis ars agenda docet, res facti sint, harum rerum non nisi per experientiam posse haberi veras & adaequatas notiones, neque magis certam cognitionem, aut persuasionem mentis, ea, quae facienda proponuntur, reuera etiam effecta dari posse: sed nisi opus propositum aut ei simile aliquando factum esse expertus sis, aut aliorum fidei credas oportet, aut dubius haereas, an, quae rationis ope didiceris, etiam reuera ita existere possint. Quapropter omnis eiusmodi cognitio, quae ipsis factorum demonstrationibus destituta est, nihil est nisi mera *opinio* s. *Opinatio*, quae explorata veritate caret; vnde iure meritoque ab Hippocrate vocatur οἴησις, & qui ita tantum artem perceperunt, dicuntur οἴεσθαι. Talis autem opinatio si in aliquo deprehendatur, nec is suis scitis fidem experimentis operum facere, aut ipso facto demonstrare queat, arguitur, veram, naturae conuenientem, adeoque Hippocraticam artis medicinalis disciplinam, quae paullo post ἔργον τὸ ἐκ μαθήσιος dicitur, non habere compertam; nec proinde artis exercitationes dextre obire posse. Conf. *Commentarius* I §. 4. (ἀμαθίης καὶ ἀτεχνίης σημεῖόν ἐστι.)

§. 16. Qui vero sic imperiti legitimae disciplinae sunt, nec recte facere artis opera norunt, sed tantum ex opinionum commentis disserere: illi & sibi & aliis male consulunt. Opinio enim quum non rectis, veris, certisque rationem principiis actionum instruat, nec animo eum induat habitum, quo cum certa scientiae fiducia nego-

 tium

tium aggredi & peragere poſſint: eapropter in variam agendi prauitatem ex opinionis errore incidant neceſſe eſt; ab erroribus autem inter agendum commiſſis conſecutione neceſſaria pendet infauſtus ſucceſſus & euentus, (οἴησις ὄλεθρον τοῖσι χρεομένοισιν ἐπιφέρει) nec minus ille quidem inopinatus, quam ipſe fuerat opinionis error. Sed haec peccata, cum damnis ac noxis inde ortis, recte malis artificibus imputare licet, αἰτίην τοῖσι κεχρημένοισιν ἐπιφέρει· quandoquidem iure poſtulari poteſt, quod quis facturum ſe promittit, vt hoc recte perpetret. Maxime autem mali Medici, μάλιστα ἐν ἰητρικῇ, grauem culpam peruerſâ, & ex opinionum tantum commentis adminiſtrata artis exercitatione ſibi contrahunt: nam quo maior eſt dignitas atque praeſtantia humanae vitae ac valetudinis, qua nihil quisquam carius aeſtimet; eo grauiorem reprehenſionem merentur, qui vitam aut valetudinem perperam tractando, qualicunque detrimento afficiunt ac labefactant, aut omnino peſſumdant.

§. 17. Et ante quidem, quam iſti ratiocinatores & opinatores operum ipſorum experimenta facere tentauerint, putant ſe veras artis rationes intelligere, & confidunt ſe exercitationibus artis inſtituendis fore ſatis idoneos: ἑωυτοὺς ἐν λόγοισι πείσαντες, οἴονται εἰδέναι ἔργον τὸ ἐκ μαθήσιος. Nam quia mentis & rationis operâ ſibi formam aliquam artis conſtruxerunt, qua, poſitis principiis vniuerſalibus generalibusque, reliqua deinde praecepta, dogmata, decreta, & quaelibet doctrinae ſpecies, apte inter ſe connexae appareant, conſentire, ſibi inuicem reſpondere, & alia ex aliis ducta deriuataque videantur; & ita, ex eiusmodi ſyſtematis ratiociniorumque praeformatis notionibus apte, copioſe, ſubtiliterque diſſerere ac diſputare, & quascunque propoſitas quaeſtiones diſerte explicare ac ſoluere, quaeque affirmauerint, rationibus confirmare ac demonſtrare norunt: hinc ſibi perſuadent, nec dubitant, ſeſe artis diſciplinam probe perſpectam habere, multoque melius ipſis illis practicis, qui in operum exercitationibus demonſtrationibusque potius verſati, non tantum verborum facere aſſueti ſunt aut diſputando valent; quibus quidem multo meliores & ſuperiores in curandis morbis & cuiuslibet generis rebus artis adminiſtrandis fore ſeſe iactant, ſi manum operi admouere voluerint. At enimuero, quanquam fortaſſis irriſuri

ſuri ſint, ſi quis ſibi dixerit monueritque, in ipſa artis exercitatione ſ. praxi adhuc multa diſcenda fore, nonnulla etiam aliter diſcenda, quaedam dediſcenda: tamen, quum ad opus aliquod faciendum acceſſerint, accidit iis, quod in auro adulterino, dum igne exploratur, fieri ſolet, vt, quemadmodum illius nihil in vaſe exploratorio reſiduum manet, ſic iſti iam intelligant, notiones ſuas, quas adhuc ex ſola opinione & ratiocinatione de illo opere ſibi formauerint, non reſpondere rerum ipſarum vſui, neque ad negotium tractandum opusque perficiendum quicquam conferre, quoniam non ex ſenſuali rerum adminiſtrandarum perceptione ſ. cognitione natae ſunt. Hoc ſignificant Graeca, τὸ ἔργον, καθάπερ χρυσὸς φαῦλος ἐν πυρὶ κριθεὶς, τοιούτους αὐτοὺς ἀπέδειξε.

§. 18. Eorum, quae ſequuntur in textu, verborum triplicem expoſitionem iam dedi in *Annotationibus* textui ſtatim ſubiectis: nec video, quid addendum ſit; niſi forte hoc, poſtremae explicationis rationem ex praecedente §. 17 huius IV Commentarii quodammodo intelligi poſſe. Similiter autem locutus videtur Auctor libri Παραγγελιῶν t. VI pr. Οἱ μὲν οὖν ἐόντες ἐν βυθῷ ἀτεχνίης, τῶν προλελεγμένων οὐκ αἰσθάνοιντο· καὶ γὰρ οὗτοι ἀνίητροι ἐόντες, &c.

COMMENTARIVS V

AD SECTIONEM V.

§. 1. Adhuc docuerat Auctor, &, quali Medicarum exercitationum Philoſophicarumque diſputationum connubio, Medicinalis ars legitima, honeſta, glorioſa, atque gratioſa fiat, *Sect.* I; &, quomodo virtus & ſapientia, honeſtas atque ſimplicitas particulatim in exteriore Medici ſpecie omnique vitae habitu apparere debeant, *Sect.* III; &, quomodo Rationem cum Experientia coniungere, & vtramque formari oporteat, Naturam ipſam in operibus conſiderando, ſequendo, atque imitando, *Sect.* IV. Nunc ſignificat, nata ex iſtis omnibus artis praecepta duplicis eſſe generis, quum partim mentis in res propoſitas intentione poſſint cognoſci & fuerint cognita, partim cum tempore paullatim vel ex occaſione reperta ſint: hosce au-

tem vtriusque generis praeceptiones ſi quis recte calleat, legitimaque ratione ac methodo ſecum inuicem compoſuerit atque copulauerit, tum naſci *Medicinam Philoſophicam.*

§. 2. Primum igitur, quando ita, ſicut dictum eſt, recta rationis atque experientiae methodo iuſtâque diligentiâ in addiſcenda tractandaque arte medica verſeris, & λογισμῷ προσήκοντι ζητέῃς, quemadmodum dicitur in libro περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, circa medium, h. e. in morborum aut medicinalium rerum tractatione, naturam rerum ſedulo rimando, & obſeruata ad communia cuiusuis cognitionis principia referendo, ad eorundemque rationes exigendo, cognoſcere, ſtudeas: naſcuntur notiones ſiue ſcientia ſingularium, particularium, ſpecialium, generalium, vniuerſalium. Quae ſigillatim particulatimque cognita quando intellectu in vniuerſum aut pro parte comprehenduntur, &, qua ratione ſeſe inuicem ad ſe habeant, ſibique mutuo reſpondeant, perſpicitur; tum mens ſibi veritatis perſpectae conſcia eſt: qua quidem in re conſiſtit certa cognitio, γνῶσις, pro ratione tamen perſpicientiae ſ. claritatis aut maior aut minor. Iam haec ſcientia, quum circa ea verſetur, quae ad propoſitam rem ita, ſicut eſt, conſtituendam valent atque faciunt, i. e. quum cauſſas manifeſtet; hoc ipſo declarat rectam rationem, qua propoſitum in tractando aliquo artis negotio finem, primum illum quidem in intentione, ſed vltimum in exſecutione, conſequi liceat: ἐδήλωσε, ὡς ἐστιν εὐθὺ τὸ πέρας. Eundem ſenſum referunt haec ex libello περὶ τέχνης, poſt medium, Λελογισμένοι, πρὸς ὅ,τι ἂν αἱ ἐργασίαι τῶν δημιουργῶν τελευτώμεναι, πλήρεις εἰσὶ, καὶ ὅτευ ὑπολειπόμεναι ἐνδεεῖς.

§. 3. Aſt in iis, ex quibus illa cognitio conſtat & colligitur, plurima ſunt nunc quidem, et iam tempore Hippocratis, quae non proprie hominis alicuius induſtriâ ſibi relictâ fuere inuenta, ſed temporis opportunitate occaſionem ſubminiſtrante reperta, plurimum deinde adiumenti ad artem melius, facilius, feliciusque exercendam contulerunt: τῶν δ' ὁ χρόνος τὴν τέχνην εὐοδέα κατέστησεν. Quod quum ex communi artium diſciplinarumque, & hominum eas colentium, natura non obſcure intelligitur: tum vel tot libris *Obſeruatio-*

num

num Inuentorumque ſatis demonſtratum eſt. Adhaec, illa longioris temporis perpetua experientia legitimae curandi methodi, rectam vtriusque generis praeceptorum artis rationem multo magis confirmat.

§. 4. Poſtquam autem artis praecepta quaecunque ſemel inuenta fuere, illi, qui poſt ſecuti ſunt, & eandem, qua priores vſi fuerant, viam ingreſſi, οἱ ἐς τὴν παραπλησίην οἶμον ἐμπίπτοντες, i. e. eandem rationem methodumque in arte diſcenda adhibuerunt: inde, cognitis, quibus praeceptis inſtitutisque diſciplina artis iam inſtructa fuit & conſtituta, qualisque ac quanta ſcientia ſibi a maioribus tradita ſit, ſic & intellexerunt, quousque progreſſum ſit, quidque adhuc inueniendum reſtet; &, hisce cognitionis praeſidiis luminibusque, animo comprehenſis, vtentes, eorundem ope atque auxilio plura inueſtigare, & inuentis alia addere facilius, expeditius, ac celerius potuerunt: iſta γνῶσις αὐτοῖσι τὰς ἀφορμὰς δήλους ἐποίησε. Clarius de toto huius commatis argumento traditum eſt in libro περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, non longe poſt pr. Ἰητρικῇ δὲ πάντα πάλαι ὑπάρχει, καὶ ἀρχὴ καὶ ὁδὸς εὑρημένη, καθ᾽ ἣν καὶ τὰ εὑρημένα, πολλά τε καὶ καλῶς ἔχοντα, εὕρηται ἐν πολλῷ χρόνῳ, καὶ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεται, ἤν τις, ἱκανός τε ὢν καὶ τὰ εὑρημένα εἰδὼς, ἐκ τούτων ὁρμώμενος ζητέῃ. Ὅστις δὲ, ταῦτα ἀποβαλὼν καὶ ἀποδοκιμάσας πάντα, ἑτέρῃ ὁδῷ καὶ ἑτέρῳ σχήματι ἐπιχειρέει ζητέειν, καὶ φήσει τὶ εὑρηκέναι, ἐξηπάτηται καὶ ἐξαπατᾶται. ἀδύνατον γάρ. *Ea, quibus medicinalis ars nunc quidem conſtat, omnia iam olim inuenta ſunt, & artis initia conſtituta, & via ſ. methodus reperta, ſecundum quam cum ea, quae iam inuenta ſunt, multa quidem illa & praeclara, reperta fuere; tum ea, quae adhuc reliqua ſunt, reperientur, modo quis, qui & neceſſariis ad eam rem praeſidiis inſtructus ſit & gnarus eorum, quae iam inuenta ſunt, ab his in inquirendo progrediatur. Quisquis vero haec abiecerit atque improbauerit omnia; & alia via aliaue ſub ſpecie, forma vel diſciplinae habitu, inquiſitionem hanc inſtituerit, affirmaueritque, ſeſe aliquid inueniſſe: ille & ipſe deceptus eſt, & alios decipit. Nullo enim modo id fieri poteſt.* Quibus verbis ſimul continetur explicatio vocis ἀφορμαὶ· hac nimirum ſignificari illa, ἐξ vel ἀφ᾽ ὧν ὁρμώμενός τις ζη-

ζητέῃ. Caeterum, rei Medicae Historia mirifice dictorum veritatem confirmat.

§. 5. Quantum in medicina rectam consequendi finis rationem cognitione intelligere liceat, pluribus explicatum est in libello περὶ τέχνης, XVI, 10 inde ab hisce verbis, Τῶν μὲν δὴ τοιούτων πάντων ἐν ἅπασι τὰς ἀκέσιας ἀναμαρτήτους δεῖ εἶναι· οὐχ ὡς ῥηϊδίας, ἀλλ' ὅτι ἐξεύρηνται. ἐξεύρηνταί γε μὴν οὐ τοῖσι βουληθεῖσιν, ἀλλὰ τούτων τοῖσι δυνηθεῖσι· δύνανται δὲ, οἷσι τάτε τῆς παιδείης μὴ ἐμποδὼν, τάτε τῆς φύσιος μὴ ταλαίπωρα. *Atque eiusmodi quidem morborum* (tam manifestis locis apparentium quam occultorum) *omnium in omnibus* aegrotantibus *non fallaces curationes* cognitas *esse & praestare oportet: non, quod faciles* cognitu aut effectu *sint; sed quod* diligenti inquisitione *inuentae sint. Et inuentae quidem sunt non a quibusuis, qui modo voluerint; sed ex hisce tantum ab iis, qui etiam potuerint:* potuerunt *autem* quondam, & nunc quoque similiter *possunt* certas curandi rationes inuenire, *quicunque &* legitimae *disciplinae* atque institutionis *praesidiis satis instructi sunt, & naturae facultates non ineptas nacti.* Hinc pergit, Πρὸς μὲν οὖν τὰ φανερὰ τῶν νοσημάτων, οὕτω δεῖ εὐπορέειν τέχνην· δεῖ γε μὴν αὐτὴν μηδὲ πρὸς τὰ ἧσσον φανερὰ ἀπορέειν. *In manifestis itaque morbis sic expeditam esse,* f. remota dubitatione liquidam perspicere veritatem, *artem oportet:* neque *tamen in minus manifestis ancipitem haerere,* f. dubiis incertisue rationibus implicatam esse. Deinde principia huius cognitionis ex natura & constitutione diuersarum humani corporis partium ostendit: quo facto, subiungit, *Obscuri morbi ita vocantur atque existimantur non quidem ideo, quod obscuri permaneant & cognitionem artificis superent: nam deinde etiam haec obscuritas* diligenti inuestigatione *superatur* & eiusmodi morborum ratio patescit, *quatenus hoc fieri licet. Eatenus autem hoc fieri licet, quatenus & naturae aegrotantium indicia conspicienda praebent; & facultates naturales inquirentium ad inuestigationem aptae sunt.* Μετὰ πλείονος μὲν γὰρ πόνου, καὶ οὐ μετ' ἐλάσσονος χρόνου τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρᾶταί τε καὶ γινώσκεται. ὅσα γὰρ τὴν τῶν ὀμμάτων ὄψιν ἐκφεύγει, ταῦτα τῇ τῆς γνώμης ὄψει κεκράτηται. *Post multum*

enim

enim laborem & poſt non minus multum temporis demum in conſpectum adducuntur obſcura & cognoſcuntur, mentis nimirum induſtria, ratiocinatione legitima, analogia &c. *Nam quaecunque ſenſum oculorum* corporis *non ſubeunt, ea animi ſenſu perſpici & comprehendi poſſunt. Quaſcunque vero moleſtias aegri interim propterea perpeti coguntur, quod morbus non cito cognoſcitur, eorum culpa non in illos reiici debet, qui medicinam iſtis aegrotis faciunt; ſed in naturam cum aegrotantis tum aegritudinis.* Etenim in hoc negotio agitur hoc modo: *Medicus, quia non licet ipſi oculis videre id, quod aegrum male habet, neque etiam audita* ex relatione aegrotantis aut eorum, qui hunc circa ſunt, *cognoſcere, ratiocinio ad illius notitiam peruenire ſtudet. Nam & ea, quae de morbis ſuis renunciare medentibus conantur illi, qui ex abditis vitiis laborant, ea potius ex opinionis commento renunciant, quam quod ea* recte *nouerint. Si enim illa nouiſſent, non vtique medicis ſe curandos tradidiſſent: quandoquidem huius vtriusque generis cognitio ſimul coniuncta eſt, ſcire cauſſas morborum, & ſcire, quomodo iidem morbi curandi ſint omnibus iſtis curationum generibus, quae prohibent, ne morbi incrementa ſumant. Vbi igitur ne ex relatis quidem morbum haud fallaci intellectu & euidenter cognoſcere auditu licet, aliquod aliud* ſubſidium *medenti circumſpiciendum eſt: quapropter etiam non arti cauſſa illius morae adſcribenda eſt, ſed naturae corporum.* ἡ μὲν γὰρ αἰσθανομένη, ἀξιοῖ θεραπεύειν, σκοποῦσα, ὅπως μὴ τόλμῃ μᾶλλον ἢ βίῃ θεραπεύῃ. ὁδ᾽ ἢν, μὲν ἀρκέσῃ πρὸς τὸ ὀφθῆναι, ἐξαρκέσει καὶ πρὸς τὸ ἰασθῆναι. *Haec enim* Natura corporum, *quum ſentiat* morbum, *iudicat medendum eſſe, hac* tamen *adhibita cautione, ne potius temeraria audacia quam conſulto iudicio, & vt leni potius moderatoque progreſſu quam violenter & impetuoſe medeatur. Artifex autem, ſi eo vsque peruenire valuerit, vt* aut oculorum ſenſu aut mentis inueſtigatione malum cognoſcat atque *perſpiciat, valebit quoque valetudinem ad ſanationem reducere.* Poſthaec docet, vim morbi non nunquam aegrotos peſſumdare, idque duplicem ob cauſſam, aut quod ſero nimis medicus aduocetur, aut quod morbi progreſſus nimium celer ſit; atque hoc quidem fieri propter nimis arctam anguſtiam ſ. ſtrictum habitum corporis, vnde accidat, vt non in conſpectum prodire poſſint incluſi morbi. Quam quidem ob rem, potentiam ſ. facultatem artis tum maxime demonſtrari & admiratione dignam

dignam esse, quum eâ quis occulto morbo laborans restituitur; non autem, si ad tales morbos adhibeatur, qui omnino non possunt curari. Porro, similiter in aliis artibus euenire, quarum aliquae e. g. nominantur: quae autem earum artium operâ efficiantur, ea, si recte se habeant, non celeritate, qua perficiantur, censeri, sed eo quod ita, prout decet, nec perfunctorie perfecta sint. Et in hisce quidem etiam artibus tarditatem non facere ad consequendum lucrum: nihilo tamen secius ad maiorem gloriam & existimationem conferre. Inde iterum ad asserendam medicinam reuertitur auctor, & ostendit, quandoquidem in artis potestate non sit semper oculari perceptione morbi indolem plane cognoscere, eam artem sibi alias adinuenisse expeditas cognoscendi rationes, quibus tanquam administris & adiutricibus vtatur. Has autem inesse signis, quae vox & ea, quae extra effluant, eorundemque odor, & color, & consistentia praebeant. Ὅταν δὲ ταῦτα (τὰ ῥεύματα) μηδ' αὐτὴ ἡ φύσις ἑκοῦσα ἀφίῃ, ἀνάγκας εὕρηκεν (ἡ ἰητρικὴ) ᾗσιν ἡ φύσις ἀζήμιος βιασθεῖσα μεθίησιν· ἀνεθεῖσα δὲ δηλοῖ τοῖσι τὰ τῆς τέχνης ἰδόσιν, ἃ ποιητέα. *Quodsi non ipsa Natura illa effluxura sua sponte dimittat, Medicinalis ars inuenit remedia compellentia, quibus Natura vi coacta, sed tamen ita ne detrimentum accipiat, illa effluere permittat: quae vero ita, laxata corporis compage s. strictura, emissa fuerint, ea significant peritis artificibus, quid facere oporteat.* Pergit, vt ostendat, quomodo πῦρ τὸ σύντροφον, item πνεῦμα, vi adigantur ad dimittenda ea, quae non effluxissent, nisi illam vim perpessa fuissent: quae quidem verba, cum praecedentibus collata, indicio sunt, *Naturam* illam Hippocratis comprehendere etiam *Igneum* ...m atque *Spiritale* humanae compagis principium.

§. 6. Quum igitur ea sit artis s. disciplinae Medicinalis ratio, natura atque indoles, vt nec recte doceri possit ac disci, nec rite legitimeque exerceri, nisi certa tam particularium ac singularium quam generalium vniuersaliumque praeceptorum medicinalium cognitio comparetur atque praesto sit, *Sect.* hac V, 1; huius porro cognitionis s. scientiae ea sit idea s. forma, vt in rebus actionibusque ad artem pertinentibus veritas, i. e. illarum rerum actionumque natura perspiciatur, & ad rationum regularumque, quae in ista naturae disci-

diſciplina cognoſcuntur, dictamen ac normam cum operum medicinalium exercitatio, tum omnis vitae habitus inſtituatur atque conformetur, *Sect.* IV & III; haec ipſa denique veritatis & virtutis inquiſitio, ſcientia, atque exercitatio, Philoſophicarum diſputationum propoſitus finis ſit, ad quem omnis ea diſciplina referatur, quoque cenſeatur, *Sect.* I: Διὸ, Propterea neceſſe eſt, praedicta ratione medicinam colere, ſ. in mediis operum medicinalium exercitationibus curationibusque, Naturae mores agendique modum peruestigando, veras morborum remediorumque notiones addiſcere; ſimulque omnia iſta & ſingula praeſidia legitimae cognitionis atque virtutis aſſumere aut ſibi adiungere: *δεῖ ἀναλαμβάνειν τουτέων τῶν προειρημένων ἕκαστα.* Quo quidem ipſo & Philoſophicae de rerum natura, indole, proprietatibus, cauſſis, effectibus, caeterisque doctrinae partibus, deque cultura virtutis & ingenii, praeceptiones atque commonitiones, rerumque tractandarum iuſta methodus, atque euidens veritatis & rationum cognitio ac demonſtratio, verbo, certa rerum ad diſciplinam pertinentium ſcientia, quantum ea acquiri poteſt, ad artem curandi morbos transfertur, cum actionibus artificis & exercitatione medicinae coniungitur, & ad vſum medendi affertur in eumque tranſit, *μετάγεται ἡ σοφίη ἐς τὴν ἰητρικὴν*, i.e. in morbi alicuius ſuſcipienda curatione, certa rerum agendarum ſcientia, legitimaque morbi curationisque cognoſcendae ratio ſ. methodus, morumque in obeundo negotio officiisque explendis virtus & honeſtas curaturo adeſſe debet: Et viciſſim quum in iſta Hippocratica disciplina medicus in ipſis operum experimentis verſetur, ſic *μετάγεται ἡ ἰητρικὴ ἐς τὴν σοφίην*, h. e. experientiae ſenſualis euidentia, ipſorumque factorum fides, praxeosque demonſtratio, perſuaſio, peritia, ac prudentia declarat veritatem Philoſophicarum contemplationum, & oſtendit, quomodo praecepta regulaeque exemplis & actionum effectibus repraeſententur, & vtraque ſibi mutuo reſpondeant; itaque cauetur, ne Ratio ratiocinatioque ſibi relicta neceſſarium Experientiae lumen & rerum Naturam magiſtram atque ducem ex oculis amittat, & vel in errores deflectat vel inutiles disputationes conſectetur. Haec igitur eſt, ex Hippocratis ſententia, legitima Philoſophiam & Medicinam coniunctim colendi ratio, & ve-

verus vſus Philoſophiae in Medicina: quemadmodum in *Sect.* I & IV pluribus demonſtratum eſt. Conf. *Prolegom.* §. XI & XIX. it. ibid. §. XX not. 1.

§. 7. Iam Philoſophi inde a Pythagora, qui primus hoc in Graecorum gentem intulerat, aſſerebant, *Philoſophum*, ſ. antiquiore appellatione, *Sapientem*, *eſſe Deo ſimilem:* quod quomodo intelligendum ſit, qua in re conſiſtat, quaque via eodem perueniatur, ex ipſorum Philoſophorum dictis oſtendere conatus ſum in *Prolegom.* §. VI. Quapropter etiam Hippocrates vt hactenus quoque Medicinalem diſciplinam Philoſophica nihilo inferiorem eſſe aut deteriorem ſ. vt *Sect.* VI, 4 loquitur, ὅτι ἰητρικὴ, σοφίη τίς, efficiat, hoc ſibi nunc probandum & curatius magisque ſpeciatim & ex profeſſo explicandum ſumit, legitimum *Medicum* etiam *eſſe Sapientem* ſ. *Philoſophum Deo ſimilem*, pariter atque illos, qui Philoſophiam toto diſciplinae vitaeque genere atque habitu profiteantur: idque argumentum nunc exſequi pergit *.

COMMENTARIVS VI

AD SECT. VI.

§. 1. Declaraturus Auctor, quonam iure *Medicus* appellari poſſit *Philoſophus*, & *ars Medicinalis quaedam Philoſophia*, hoc argumento probationem includit, vt, quia ipſa legitimae & ſecundum rectam agendi rationem res ſuas adminiſtrantis Medicinae diſciplina atque exercitatio per ſe cultorem ſuum & artificem iisdem *Honeſtatis*, i. e. (ſec. *Proleg.* §.XVIII. XIX. XX) virtutis & officiorum omnis generis

* Ex ſententia SCHELHAMMERI, *Diſſ. alleg.* Theſ. IX Hippocrati *ille eſt* ἰατρὸς φιλόσοφος, *qui & in ipſa arte ſua recte argumentari ſciat, & in vita communi ſit optimis moribus:* & Theſ. LXXII, *Nam & in expugnandis morbis, & in proſpiciendis futuris, & in ipſo viuendi genere eum maxima, quae quidem in hominem cadere poteſt, felicitate vti neceſſe eſt, eſſeque ſupra caeteros beatum.* Conf. Io. Burch. MAIVS in *programmate* praemiſſo Orationi, qua Memoriam G. C. Schelhammeri celebrauit C. S. Scheffelius, 1717, Dominica V p. Trinit. vbi etiam exemplum Medici ἰσοθέου proponit ipſum Schelhammerum.

ris praeceptis necessario instituat atque exornet, quibus tradendis Philosophia tota constet atque occupata sit, propterea Medicinali professioni eatenus idem quoque competere Philosophiae nomen:h.e. ea, circa quae contemplanda ac docenda versetur Philosophia, ipso actu in artis Medicinalis professione exsistere ac deprehendi; Medicinam praeceptis institutisque Philosophorum tanquam instrumentis vti ad munus suum administrandum; neque tamen hoc eam ex Philosophorum scholis habere, aut inde ipsi petendum esse, quum potius Philosophi disciplinam suam inuenerint, adornauerint, atque constituerint obseruando, quid in singulis ac diuersis artium, professionum, ordinum, omnisque vitae generibus sequendis, negotiis gerendis, & actionibus humanis quibuslibet administrandis fieret & ageretur; harundemque singularium & particularium obseruationum principia, caussas, modos, differentias, conuenientiam, similitudines, &c. scrutando; earum rerum omnium species, genera, classes constituendo; vniuersalia & particularia condendo praecepta; & tali modo ea, quae inuenerint aut inuenisse sibi visi sint,apte inter se coniungendo componendoque, disciplinae formam dederint, & collectis communis vitae vsus & in ipsa actione versantium professionum, agendi modis rationibusque, peculiarem viuendi sectam constituerint: quemadmodum Grammatici ex obseruatis collatisque loquendi modis & bonorum auctorum vsu suae artis formam, regulas, paradigmata, & praecepta construxerunt. Iam vero Philosophiam praeceptis institutisque virtutis atque officiorum vnice censeri, in *Prolegomenis*, §. V & XX & XXI satis demonstratum arbitror. Ostendendum igitur erit etiam de Medicina, huiusce artis eam esse naturam, eas rationes, ac conditiones, vt sine studio virtutis, & officiorum quorumuis erga Deum & homines exercitatione recte coli factitarique non possit; contra ea, ipsam Medicinam esse virtutum, pietatis, honestatis, & officiorum omnis generis magistram, & in eius disciplinae cultura, opere, atque exercitio animum ad bene ac sapienter, pie, iuste, honeste, decore viuendum institui, duci, assuefieri.

§. 2. Atque ita quidem vtriusque disciplinae, tam Medicinalis artis quam Philosophiae, professionibus hactenus inter se conuenit, quod

easdem res tractant eandemque viuendi rationem praecipiunt, neque eatenus differentia est inter ambas disciplinas, ὀυ πολλὴ διαφορὴ ἐπὶ τὰ ἕτερα. Verumtamen, praeterquam quod medicinalis professio multo plura ambitu suo comprehendat ac tractet, Philosophis etiam sua sibi quaedam propria maneant, vnde n. 4 in fine huius VI *Sectionis* dicitur, ὅτι ταῦτα τὰ πλεῖςα, plurimum, plurimis in rebus, occasionibus, actibus &c. ὁ ἰητρὸς ἔχει· haec praecipua intercedit differentia, quod alio modo Medicina res, quarum traditionem Philosophi sibi separatim vindicauere, tractat, alio modo easdem res Philosophiae disciplina. Haec enim, quum vitae communis negotia fere negligat, in quorum tamen administratione vt virtus & sapientia & quorumlibet officiorum exercitatio se exserant, omnis harum rerum finis & vsus, in hac quidem vita, requirunt; ciuilibus officiis omissis, solum animum contemplatione veritatis, prout in rebus aeternis neque mutationi subiectis inest, pascere studet: vid. *Proleg.* §. VI. E contrario, Medicina ne quidem intelligi potest, nisi in ipsorum operum humanorum exercitatione versetur, Naturam, quomodo agat, solerter obseruando, eiusque actus prudenter imitando: quemadmodum in superioribus passim abunde explicatum esse puto. De hac autem differentia praesertim in *Sectione* & *Commentario* I & IV actum est, & indicatum, quomodo inde nata cognitionis diuersitas in scientiae formam vitaeque habitum transeat. Quanquam igitur in rebus ipsis tractandis nulla vera sit differentia, tamen eaedem sub alia atque diuersa forma, specie, habituque externo apparent in diuersis vitae professionibus: vnde etiam accidit, vt ea differentia maior videri soleat, quam reuera est.

§. 3. Nunc explicare aggreditur Auctor propositum argumentum, quod hoc est, Si, & quatenus Medicina, pro negotiorum suorum indole ac ratione, ea, quae in curationibus morborum obeundis fieri debent, facere & administrare velit, verbo, si honestatem seruare, i. e. opus aut officium suum recte facere contendat, tum easdem animi virtutes in artificis actionibus elucere atque conspici, quae alias ad Philosophiam eiusque disciplinam & institutum referri soleant: ἔνι τὰ πρὸς

σο-

σοφίην ἐν ἰητρικῇ πάντα. Quocirca in officii exſequendi rationibus ponenda erit omnis ſecuturae probationis vis *.

§. 4. Principio, quo fontem omnium in agenda vita communi colendaque ſocietate malorum & calamitatum, a Medicinae quoque profeſſione remoueat Hippocrates, Medicum probum & *Honeſtatis* amantem ait eſſe ἀφιλάργυρον, a ſtudio & cupiditate pecuniae, aut rerum quarumlibet acquirendarum, immunem eſſe, h. e. non eo propoſito fine res ſuas agere, quo nummos, opes, diuitias, & quascunque facultates conſequatur, neque ad hunc ſcopum ſtudium operamque ſuam referre, ſ. eo in obeundis negotiis reſpicere; ſed in hoc tantum elaborare, vt quoduis propoſitum aut ſusceptum opus bene recteque, pro viribus, peragat atque perficiat, certus, tum inde ſatis ſuperque commodi aut lucri ad ſe redíturum eſſe. Scilicet, hoc modo ſe res habet: Omnis alicuius actionis ratio pendet ex ſcopo, quem quis in prima negotii ſusceptione totaque eius adminiſtratione intendit; ad hunc ſcopum obtinendum requiruntur quaelibet negotii gerendi ſubſidia, inſtrumenta, adiumenta, & ea ratione eliguntur atque adhibentur, qua ſe ad finem habent; & hac ſola ratione proſpere & ex ſententia procedit negotium, qua huius adminiſtrandi ſubſidia ſ. media ſe conuenienter habent ad ſcopum; quatenus autem hic erratur, eatenus irrita fit actio. Hinc ſequitur, non niſi vnicum cuiusuis actionis ſcopum eſſe poſſe; poſſe vero actus vniuerſales inſtitui, ex vno quidem ſolo ſcopo pendentes & perficiendos; & ad vniuerſum illud negotium peragendum plures ſingulares actiones intercedere debere, easdemque ſingulas actiones ſuum quasque ſcopum habere praeſtitutum; porro has actiones particulares reuera eſſe tantum media conſequendi propoſiti vltimi, & ſcopum quemque ſingu-

* *Triplex virtutum agmen* in ſequentibus *recenſeri* ſcribit SCHELHAMMER. Theſ. LXVIII LXX, *quarum aliae Morales ſunt, vt* ἀφιλαργυρία, ἐυτροπή, ἐρυθρίησις, καὶ ὡς ὁκοίως τε πρὸς τέκνα, πρὸς χρήματα. *Aliae ex earum numero, quas Homileticas vocamus*, καταςολή, (*modeſtia in veſtitu*) ἡσυχίη, (*lenitas*) ἀπάντησις, (*comitas*) καθαριότης, (*mundieties*) & *ſi quae ſunt aliae, Referri vero eo poſſunt &* δόξα, κρίσις, γνωμολογία: *faciunt enim & hae ad gratiam & animos hominum conciliandos. Tertium genus ad ſupremam & diuinam ſpectat ſapientiam:* ἀδεισιδαιμονίη, περὶ θεῶν εἴδησις, & *quod* οἱ ἰητροὶ θεοῖσι παρεχώρησαν, *DIs medici plurimum concedant &c.*

ſingularem ad vniuerſalis illius rationes exigendum & conformandum eſſe, quatenus actus ſinguli ad finem vltimum conſequendum conducunt. Sic tota hominis vita vniuerſalis dici poteſt actus, qualis & reuera eſt; & ſcopus eius vnicus eſt, vt viuamus ex praeſcripto legum diuinarum, quemadmodum ſacra Biblia, & ipſa Natura docent: vnde ſingulae deinde actiones aeſtimandae ſunt. Porro, actione aliqua ad finem propoſitum perductâ, plures eam neceſſario conſequuntur & excipiunt effectus & euentus, commoda, incommoda, lucra, damna, &c. qui euentus quum, quantum ad fortunas attinet, ex arbitrio ſupremi Numinis & rerum naturalium ſerie, ordine, nexuque dependeant & maximam varietatem ſortiantur; ideoque nec ab hominis intellectu praeuideri & comprehendi poſſint, ſed incerti ſint, & nequaquam in poteſtate hominis: propterea nec proponi in ſcopum actionum debent; quae quidem omnia cum oraculis *Eccleſiaſtae* ſacri conueniunt. Denique naturam rei peruertere videntur, qui pro fine actionis ſibi id proponunt, quod ex actione ad finem perducta demum conſequi debet. Certe, qui in re aliqua gerenda hoc tanquam ſcopum ſpectat, quo ſperata inde emolumenta honoris, opum, aut voluptatis adipiſcatur, ille, quum ad cupiditatis ſuae rationes commodumque ſuum, quaecunque agat, referat, non poterit rectam perficiendi operis rationem prae oculis habere, nec proinde opus propoſitum ita, ſicut decet & oportet, efficere, ſed multis modis ab apparente commodi ſui ſpecie rectam rationem relinquere, etiam necopinus & imprudens, cogetur: atque hoc eius ſtudium conſequendi cuiuscunque emolumenti per totam actionem & opus inſtitutum vbique ſuis ſe indiciis atque veſtigiis prodet, & effectae rei naeui vitiaque illud arguent. Quanquam emolumenta vera in ipſa recta officii ſequendi ratione inſint & ſponte proueniant: quare nec hactenus proſperam ac fauentem habebit fortunam, qui tantum ſpe alicuius explendae cupiditatis ad agendum impellitur, & pro modo huius ſpei agit; quemadmodum e. g. de gloriae cupidis verum eſt, quod dicitur, honorem, tanquam vmbram, quo magis eum captent, eo magis ab illis recedere. Accedit, quod, vbi reliqui viderint, exſaturandae alicuius libidinis aut voluntatis cauſſa nego-

goti-

gotium agi, id quod vel in maxima diſſimulatione omnino atque perpetuo celari nequit, tum magis aduerſum contendere, impedimenta obiicere, negotium diſturbare, propoſitamque ſpem euertere, & fructum auertere ſtudebunt, praeſertim ſi ſimili ſtudio tenentur. Sic ſane, ex cupiditatum rationibus agentis actiones, turbarum, inauſpicatorum ſucceſſuum, fruſtrationum, aduerſorum euentuum, moerorum angorumque animi erunt pleniſſimae. Quae quum ita ſint, reliquum eſt, vt, quo munus, officium, & quoduis negotium bene adminiſtrari poſſit, ſola rei agendae vera rectaque ratio cognita ſit ac perſpecta, & ex propoſito rem, prout haec eius indoles ac ratio poſtulat, peragendi totum negotium adminiſtretur, &, ſicut Hippocrates in libro *de Arte* ſcribit, ὡς δεῖ, δημιουργῆται, οὐδ' ὑπερβάτως· vid. ſupra *Commentarius* V §. 5. Tum quoque certo ſperare licet, incepta proſpera futura: *Pſalm.* I & XV, &c. Eandem autem actionum propoſitique ſinceritatem, & puritatem animi a prauis ſtudiis cupiditatibusque, ſapientiſſimos ethnicorum intellexiſſe, indicio eſt, e. c., quod *virtutem per & propter ſe colendam eſſe*, docuerunt, *ipſum honorem ac gloriam per ſe non eſſe expetendam, ſed, quibus rebus recteque factis vera laus neceſſario coniuncta ſit, in iis eſſe elaborandum*; &c. Quapropter etiam laudatiſſima ſummorum ingeniorum monumenta eatenus omnibus numeris perfecta mihi videntur, quatenus eorum auctores huc tantum omnem curam mentis intenderunt, quo ſecundum praeformatam perfecti abſolutiſſimique operis ideam, propoſitum ſuum exſequerentur.

§. 5. Commode hic ſuccurrit locus apud Petronivm, quo confirmatur, praeſtantiſſima artium opera vehementi illi ſtudio, opus bene recteque faciendi, deberi, contra a pecuniae cupiditate fuiſſe peruerſa: Exſtat autem in Satyrico Cap. 88, his verbis, *Conſulere prudentiorem coepi aetates tabularum, & quaedam argumenta mihi obſcura, ſimulque cauſſam deſidiae praeſentis excutere, quum pulcherrimae artes periiſſent: inter quas pictura ne minimum quidem ſui veſtigium reliquiſſet. Tum ille, Pecuniae, inquit, cupiditas haec tropica inſtituit. Priſcis enim temporibus, quum adhuc nuda virtus placeret, vigebant artes ingenuae, ſummumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum ſeculis diu lateret. Itaque, hercula, omnium herbarum ſuccos De-*

mo-

mocritus expressit: &, ne lapidum virgultorumque vis lateret, aetatem inter experimenta consumsit. Eudoxus quidem in cacumine excelsissimi montis consenuit, vt astrorum coelique motus deprehenderet: & Chrysippus, vt ad inuentionem sufficeret, ter helleboro animum detersit. Verum, vt ad plastas reuertar, Lysippum statuae vnius lineamentis inhaerentem inopia exstinxit: & Myron, qui paene hominum animas ferarumque aere comprehendit, non inuenit heredem. At nos, vino scortisque demersi, ne paratas quidem artes audemus cognoscere; sed, accusatores antiquitatis, vitia tantum docemus & discimus. Vbi est Dialectica? vbi Astronomia? vbi Sapientiae consultissima via? Quis, inquam, venit in templum & votum fecit, si ad Eloquentiam peruenisset? quis, si Philosophiae fontem attigisset? Ac ne bonam quidem valetudinem petunt: sed statim, antequam limen Capitolii tangunt, alius donum promittit, si propinquum diuitem extulerit; alius, si thesaurum effoderit; alius, si ad trecenties H. S. saluus peruenerit. Ipse Senatus, recti bonique praeceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet: &, ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Iouem quoque peculio exorat. Nolito ergo mirari, si Pictura deficit: quum omnibus diis hominibusque formosior videatur massa auri, quam quicquid Apelles Phidiasue, Graeculi delirantes, fecerunt. Sed nec minus illustris est CL. GALENI in eandem sententiam disputatio, in libello ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος· qui quidem locus nimis pulcher est, quam vt hîc locum non inueniat. Postquam coepit inquirere in caussam, cur sui temporis Medici Hippocratis in arte praestantiam adeo parum referant, ita pergit: *Iam nunc quidem nasci neminem, qui artis, tam humanae, sit capax, alienum a ratione mihi videtur: quum mundus idem sit, qui olim fuit; anni tempora eundem ordinem seruent; sol circuitus suos nulla ex parte mutatos percurrat; denique quaeque stella, siue fixa siue errans, eandem omnino status rationem retineat. Verum rationabile est, tum propter malam educationem, qua temporibus his vtuntur homines; tum propter diuitias virtuti praepositas, vel qualis Phidias inter plastas, vel qualis inter pictores Apelles, vel qualis inter Medicos Hippocrates, talem hac aetate effici neminem: quanquam nobis, quibus post antiquos illos nasci contigit, & ab iisdem artes plurimum prouectas accipere, non paullo plus commodi ad artes ipsas datum est. Facillimum ergo erat, nos ea, quae vt inueniret, diu elaborauit Hippocrates, breui tempore edoctos,*

quod

quod vitae supererat, id in iis, quae arti deerant, inueniendis consumere. At quisquis plus diuitiis quam virtuti tribuit, artemque non de hominibus bene merendi, sed quaestus gratia petit, eum non licet artis finem expetere: quem si expetimus, ante ditescent alii, quam nos ad id, quod habemus animo, perueniamus. Non enim simul possumus & pecuniam congerere, & arti tam magnae operam dare: sed qui alteram vehementius appetat, alteram contemnat necesse est. Quid igitur? an nostris seculis quenquam memorare possumus, qui tantum habere cupiat, quantum satis sit ad vsum vitae necessarium? an reperire liceat, qui non verbis tantum effingere, sed etiam propriis vitae exemplis docere possit, diuitiarum terminum, qui quidem sit secundum naturam, non vltra quam vt fames, sitis, frigus absit, progredi? Sed si quis eiusmodi est, is & Artaxerxis & Perdiccae potestatem contemnet, nec vnquam in conspectum illius ibit; huic vero, sic aegrotanti, vt Hippocratis artem desideret, medebitur quidem; non tamen semper cum eo esse volet, sed Cranonem, & Thasum, aliaque ad oppida multa proficiscetur, vt pauperibus, his locis aegrotantibus, curationes adhibeat: Cois hominibus ciuibusque suis Polybum, aliosque discipulos relinquet: ipse Graeciam peragrans omnem perquiret. Nam eum scribere aliquid de natura locorum oportet: quam vt, quemadmodum ratione didicit, sic experimentis comprobet, eum vrbes intueri propriis oculis necesse est: nunc eam, quae versa ad meridiem est; nunc, quae ad septentrionem; nunc, quae ad solis ortum; nunc, quae ad occasum: cernere etiam, quae humili loco, quaeue excelso posita sit: eam contemplari, quae aquis obnoxia, siue eae litoribus maris superfluant, siue de fontibus scaturiant, s. de caelo decidant, s. ex stagnis fluuiisue redundent, alluatur: visere eam etiam, quae ad magnum flumen, quaeue ad stagnum, quae ad mare, aut ad montes sita est: quaerere, si qua gens aquis vehementer frigidis, si qua calidis vtatur, & si qua nitrosis, aluminosisue, aut si quae aliae eius generis sunt: ad summam, ne agam de singulis, caetera omnia considerare oportet, quae nos & ipse Hippocrates edocuit. Quas ab caussas, si quis talis futurus est, eum non modo aspernari diuitias, sed etiam summo labore atque industria vti necesse est. Conf. *Epistola Hippocratis ad Demetrium*, p. 901 Tom. II Lind. & *ad S. P. Q. Abderitanum*, p. 905. it. *Oratio Thessali* p. 937. Vehementer itidem incusatur Auaritia in *Epist. ad S. P. Q. Abderitanum*, p. 905 Ὀικτρός γε ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος· ὅτι δι' ὅλου αὐτοῦ ὡς πνεῦμα χειμέριον, ἡ ἀφό-

ῥητος φιλαργυρίη διαδέδοκεν. ἐφ᾽ ἣν εἴθε μᾶλλον ἅπαντες ἰητροὶ ξυνήεσαν ἐλθόντες ἀποθεραπεῦσαι χαλεπωτέρην μανίης νοῦσον· ὅτι καὶ μακαρίζεται, νοῦσος ἐοῦσα, καὶ κακοῦσα. add. *Epist. ad Crateuam*, p. 939. Et in *Epist. ad Damagetum*, p. 913, postquam Democritus complura vitae mala enumerauit, concludit, p. 924 καὶ τουτέων πάντων αἰτίη, φιλαργυρίη. *

§. 6. Speciatim, ad artis Medicinalis professionem quod attinet, nulla capitalior in ea pestis est quam habendi cupiditas. Hac enim qui impellitur ad profitendam medicinam, vt

- - - Rem faciat, Rem,
Si possit, recte; si non, quocunque modo Rem,
Horat. Epist. I, I, 65.

morbos curandos aucupabitur & suscipiet, vbi vel nulli sunt, vel insanabiles, vel satius esset a medicatione abstinere; contra, a quibus nihil lucri sibi promittit, eos aut plane incuratos relinquet, aut negligenter admodum tractabit; & quanquam sibi conscius sit, se non ita, vt decet, instructum esse scientia medendi, tamen plus in se suscipiet ac pollicebitur, quam praestare possit; nec sociam aliorum medicorum operam libenter admittet; quicquid autem in morbi tractatione acturus est, non ex veris artis rationibus administrabit, sed ita vt sibi ad rem vtile futurum putauerit; quare in adhibendis remediis ad gratiam, ad ostentationem, ad caritatem pretii, suam componet curationem; morbos in longum ducet; non exspectabit

* C DRELINCOURT, dans le *Discours Academique sur quelques Pensées d'Hippocrate & de l'Ecriture*, p. 12 seq. *Il sied donc bien à mon généreux Hippocrate, de persecuter les avares, & de déclamer, comme il fait, contre l'Avarice. Car il se dechaine furieusement contre elle, & il la compare tantôt à un vent* de Bise, (Epist. ad Abder. c. I.) *qui pénétre le coeur; tantôt à une* fiévre étique, (Ep. ad Damaget. n. 249 p. 924.) *qui desséche jusqu'aux moëles; tantôt à une* gangréne, (ibid.) *qui ronge sans s'arrêter; & tantôt, enfin, à une* fureur, (Ep. ad Abder. d. I.) *qui démonte l'esprit, d'une maniere plus éxécrable encore que la manie même. Là dessus, il recherche la cause du mal, & il la découvre dans le coeur de l'homme avare, où il y a des racines améres*, (Ep. ad Crateu. n. 14. seqq. p. 929.) *qui bourgeonnent promtement, si la vertu elle-même ne se hâte pas d'en retrancher toutes les fibres.*

ſtabit opportuna tempora; pecuniâ, quantam ſperat, ablatâ mediam curationem deſtituet: & quae ſunt aliae peruerſae medicinam exercendi viae. * Hoc magis autem illud auaritiae ſtudium damnandum eſt in Medico, quo grauiora mala & deprauationes ex eiusmodi agendi rationibus in valetudinem, praecipuam omnium rerum humanarum, redundant. At per ſe quidem Medicina, ſi quaequam alia, praeter rerum diuinarum & intellectualium ſtudia, profeſſio, continentiae diſciplina eſt. Tota enim verſatur circa tuendam reparandamque bonam valetudinem, quae res plane diuerſi generis eſt quam quicquid ad cenſum refertur, multoque nobilior eſt ac praeſtantior, quam vt pretio quouis aeſtimari aut remunerari queat. Quo argumento permotus Medicus, pecuniam, facultates, opes, diuitias, rem ſua profeſſione longe inferiorem exiſtimabit, minimeque dignam, cuius vlla in faciendis artis operibus habeatur ratio; ſed hoc animo qui ſit affectus, eum veram *Honeſtatem* & decus conſeruare non poſſe.

§. 7. Contra ea, ſi in exercenda illa lucrum pro ſcopo propoſitum ſit, in ſordidam, inhoneſtam, & illiberalem artem quaeſtumque

* A. Q. Rivin. *de Medico Inculpato*, Cap. II §. 2, *Auaritiae primus debetur locus. Quanquam enim haec directe pecuniam ſpectet ac fraudes emungendi crumenas aegrotantium, conſequentia tamen longe peſſima eſt, hoc vno ſuppoſito, quod Medicus ſit lucri nimium cupidus: adeo nullum eſt facinus, in quod non conſentiat, ſi modo fructum exinde capere queat vberiorem. Ad minimum, pauperes in egeſtate relinquere ipſi religio nulla eſt: quamdiu ſoluendo ſunt, non deſinit iis porrigere medicamenta, etiamſi eadem fruſtranea probe norit: pretioſa ex auro, margaritis, bezoar, & ſimilibus, aut fingit dari a ſe, aut diſpenſat reuera, non quod maiorem ex iis vtilitatem capiat aeger, ſed quia carius vendit: vt ſoſtrum poſtulare maius queat, aegrotantium frequentat aedes, etiam absque neceſſitate moleſte ſedulus: morbum quoque protrahit ad plures, ſi fieri poteſt, dies, nihil agendo, vel permittendo aegris quae malum augeant, vel repugnando ne forte alius ſe peritior ingenuusue, ipſi ad conſultandum iungatur ſocius &c.* Et cum iſtis quidem mire in multis conueniunt haec, quae leguntur in *Epiſtola, Hippocrati* adſcripta, *ad Senatum Populumque Abderitanum*, p. 904 ſeq. Tom. II Lind. Ἐᾶτε ἐλευθέρης τέχνης ἐλεύθερα καὶ τὰ ἔργα· οἱ δὲ μισθαρνεῦντες δουλεύειν ἀναγκάζουσι τὰς ἐπιστήμας, ὥσπερ ἐξανδραποδίζοντες αὐτὰς ἐκ τῆς προτέρης παῤῥησίης. εἶθ᾽, ὡς εἰκὸς, καὶ ψεύσαιντο ἂν, ὡς περὶ μεγάλης νούσου· καὶ ἀρνηθεῖεν ἂν, ὡς περὶ μικρῆς. καὶ οὐκ ἂν ἔλθοιεν ὑποσχόμενοι, καὶ πάλιν ἔλθοιεν μὴ κληθέντες.

que degenerat, quam ſupra *Sect.* II, 2 itemque hac *Sect.* VI, 2 βαναυσίην appellat: de qua iam in *Commentario* II plura dicta ſunt. Et eſt ſane ea profeſſionis huius conditio, vt facilis in ea lapſus ſit ad ſtudium parandarum opum. Primum enim, quum Medico, cuius fidei valetudinem, rem omnium pretioſiſſimam, concredunt aegroti, reliqua ſua bona omnia libere permittant, ille, quemadmodum Hippocrates περὶ ἰητροῦ, poſt pr. loquitur, πᾶσαν ὥρην ἐντυγχάνει τοῖς ἀξίοις πλείστου κτήμασιν· quapropter etiam neceſſariam ibidem addit admonitionem, ὅτι ἐγκρατέως οὖν δεῖ πρὸς ἅπαντα ἔχειν ταῦτα· vid. *Proleg.* §. XXIV, 5. Eodem loco ἀφιλαργυρίην complectitur ſub generali nomine δικαιοσύνης· & in Ὅρκῳ iuratur, Ἐς οἰκίας ὁκόσας ἂν ἐσίω, ἐσελεύσομαι ἐπ᾽ ὠφελείῃ καμνόντων, ἐκτὸς ἐὼν πάσης ἀδικίης ἑκουσίης. Similiter in Παραγγελίαις IV extr. & V praecipit, ἀποβλέπειν ἔς τε περιουσίην καὶ οὐσίην, ὁτὲ δὲ καὶ προῖκα, ἀναφέρων μνήμην εὐχαριστίης προτέρην, ἢ παρεοῦσαν εὐδοκιμίην. ἢν δὲ καιρὸς εἴη χορηγίης, ξένῳ τε ἐόντι καὶ ἀπορέοντι, μάλιστα ἐπαρκέειν τοῖσι τοιουτέοισιν. ἢν γὰρ παρῇ φιλανθρωπίη, πάρεστι καὶ φιλοτεχνίη. κ. τ. λ. i. e. In accipienda mercede ſ. ſoſtro *reſpicere oportet, quid aegri facultates aut rerum abundantia ferat, & quandonam gratis medicinam facere deceat, ſic vt potior medenti ſit memoria praeſtiti beneficii, aut praeſens bona exiſtimatio. Adhaec, quando ſe praebet occaſio liberalitatis in hoſpitem ſ. peregrinum & inopem conferendae, talibus aegris quam maxime opem ferre praecipio. Nam ſi talem humanitatem,* ſ. ſtudium hominibus officium amoris praeſtandi, *in Medico aegri animaduerterint, ſingularem ipſi viciſſim amorem erga artem ejusque profeſſores concipient.* &c. Quandoquidem porro Medicus, ſibi ab opem petentibus, ex deſiderio conualeſcendi tantam exhiberi ſentit fiduciam, amorem, ac beneuolentiam: facile in eam deuenire poteſt opinionem atque cupiditatem, vt pro curata valetudine, re nullo pretio redimenda, quouis praemio ſe dignum putet, atque appetat. Praeterea, quum medicina, praeſertim ea quae in internorum morborum curatione verſatur, occulta & idiotis parum aut nihil intellecta arte res ſuas agat, & effectus, quorum cauſſa latet, ſaepeque impro-

prouisos ac mirabiles edat: aptissima est, vt spem cultores eius concipiant, singularis scientiae & remediorum venditatione, verborum strophis, mirabilium curationum ostentatione, caeterisque malis artibus mortales impune decipiendi pecuniaque emungendi. Conf. supra *Commentarius* II. Tum, ita comparata est huius artis exercitatio atque professio, vt, qui eam factitare per fortunae fauorem & temporum opportunitatem possunt, opes inde ac diuitias consequantur, & plerumque in ampla fortuna constituti sint: Quod quum viderint alii huius disciplinae alumni, incesset eos cupido, paria illis fortunatis faciendi, eoque fine ad quidlibet, parandarum facultatum caussa, praesidiis artis abutendi. His igitur & similibus habendi cupiditatis illecebris atque malorum irritamentis quo magis Medicina exposita est, eo magis necessaria est proposita ab Hippocrate cautio ἀφιλαργυρίης.

§. 8. Admonet tamen etiam HIPPOCRATES in l. *Praeceptionum*, vt mercedis rationem habeat Medicus: & Cap. IV post init. praecipit, nonnunquam aegri caussa, quo maiorem is medico perseuerantiae fidem habeat, de mercede curationis statim in principio negotii transigi posse, immo debere. Conf. ibid. VI, 22 seqq. Et ita quidem hodienum quoque fieri, in multis curationum generibus, assolet, praesertim ab agyrtis, itemque a Chirurgis proprie sic appellatis. Quumque priscis temporibus Medici & chirurgicam pharmaceuticamque ipsi tractauerint, & inter peregrinandum opem aegrotantibus ferre consueuerint, sicut in *Proleg.* §. IX ostensum est; hinc duci potest ratio illius praeceptionis Hippocraticae. Scilicet, & manuum opera plerumque paullo illiberalior censetur, quaeque paciscendi conditionem respuere minus opus habeat, inprimis vbi simul medicamenta subministrantur, quibus vtique certum constituere pretium, necessarium est: &, vbi curaturus vagam per ciuitates professionem exercet, illum pretio conductum quasi pacto adstringere ad curationem plene peragendam necesse videtur. Nunc autem nostra quidem aetate, adeoque iamdiu ante nos, a magistratibus constitutum edictis propositis est, quantum pro praestita sua quibusque opera, consilio, aut re Medicis, Chirurgis, & Pharmacopolis debeant aegri. Nihilo tamen minus multi elegantiores Medici cura-

tis omnino liberam relinquunt poteſtatem definiendi ſoſtri, & ſua profeſſione indignum exiſtimant de illo cum aegrotis vllo modo conuentionem inire: vid. e. c. Roſ. LENTILII *Methodiae Practicae*, n. XXXV, in Eiusd. Iatromnemat. p. 608 ſeq. Denique, iudicium grauiſſimi auctoris, M. FABII, *Inſt. Orat.* Lib. XII, 7, 7 ſeqq. in ſimili cauſſa, interponere liceat: *Gratisne ei* (oratori) *ſemper agendum ſit, tractari poteſt. Quod ex prima ſtatim fronte diiudicare, imprudentium eſt. Nam quis ignorat, quin id longe ſit honeſtiſſimum, ac liberalibus diſciplinis, & illo, quem exigimus, animo digniſſimum, non vendere operam, nec eleuare tanti beneficii auctoritatem? cum pleraque hoc ipſo poſſint videri vilia, quod pretium habent. Caecis hoc, vt aiunt, ſatis clarum eſt: nec quisquam, qui ſufficientia ſibi (modica autem haec ſunt) poſſidebit, hunc quaeſtum ſine crimine ſordium fecerit. At ſi res familiaris amplius aliquid ad vſus neceſſarios exiget, ſecundum omnes ſapientium leges patietur ſibi gratiam referri: cum & Socrati collatum ſit ad victum; & Zeno, Cleanthes, Chryſippus mercedes a diſcipulis acceptauerint. Neque enim video, quae iuſtior acquirendi ratio, quam ex honeſtiſſimo labore, & ab iis, de quibus optime meruerint, quique, ſi nihil inuicem praeſtent, indigni fuerint defenſione. Quod quidem non iuſtum modo, ſed neceſſarium etiam eſt: cum haec ipſa opera, tempusque omne, alienis negotiis datum, facultatem aliter acquirendi recidant. Sed tum quoque tenendus eſt modus: ac plurimum refert, & a quo accipiat, & quantum, & quo vsque. Paciſcendi quidem ille piraticus mos, & imponentium periculis pretia procul abominanda negotiatio, etiam a mediocriter improbis aberit: cum praeſertim bonos homines bonasque cauſſas tuenti non ſit metuendus ingratus; qui ſi futurus, malo tamen ille peccet. Nihil ergo acquirere volet orator vltra, quam ſatis erit: ac ne pauper quidem tanquam mercedem accipiet, ſed mutua beneuolentia vtetur, cum ſciat, ſe tanto plus praeſtitiſſe: quia nec venire hoc beneficium oportet, nec perire. Denique, vt gratus ſit, ad eum magis pertinet, qui debet.*

§. 9. Ex iis, quae adhuc disputata ſunt, ſatis manifeſtum arbitror, eas eſſe Medicinalis artis rationes, vt honeſte ſ. recte exerceri non poſſit niſi animo Medici ab auaritia ſtudioque quaeſtus faciendi libero: adeoque ipſam hanc per ſe profeſſionem illa cultoribus ſuis ſubiicere aut ſuggerere argumenta, quibus commoneantur, ducantur, ac

per-

permoueantur ad animum a cupiditate pecuniae purum atque integrum ſeruandum. Itaque hanc artem, videmus, in mediis ſuis exercitationibus & communis vitae negotiis eſſe magiſtram ſ. diſciplinam continentiae, pariter ac Philoſophiam, cuius & praecepta & exercitamenta hoc quoque inprimis ſpectabant atque admonebant, quo φιλαργυρία & φιλοκερδία eiiceretur ex animo, quemadmodum loquitur LVCIANVS *in Cronoſol.* quandoquidem cupiditatem pecuniae fontem peſſimorum vitiorum ac malorum eſſe, iniuſtitiam & iniquitatem neceſſario progenerare, &c. docebat: vid. *Proleg.* §. V *Not.* 1 §. 9 & *Not.* 2 §. 5 & §. VII Not. 2 & 10.

§. 10. Sequitur virtus *Pudoris.* Eius haec vis eſt, vt a rebus, dictisque ac factis, quae honeſtatem tueri non ſinunt, animum auertat: ita, vt partim abſtinere ſtudeas ab aliquibus, cauendo, ne contra honeſtatem agas; partim, vbi quid minus honeſtum aut honeſte actum eſt, aut ne fiat metuitur, animo commouearis ad effugiendam labem exiſtimationis. Prior ſpecies hic ab Hippocrate ſignificatur verbo ἐντροπῆς, *verecundiae:* altera, quia rubore vultus vt plurimum ſe prodit, vocatur ἐρυθρίησις, *erubeſcentia.* Iam, quum in officio colendo ſita ſit vitae honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo: in omnibus officii medicinalis partibus, ſi quid minus recte fieri aut factum eſſe apparet, hic pudor locum habet; itaque hac ratione Medicina, quae recte omnia facere docet ac praecipit, ſimul vereri docet turpitudinem male & indecenter factorum; nec ſine iſto verecundiae ac pudoris in animo ſenſu recte exerceri poteſt. Et alia quoque, quae per ſe quidem non pertinent ad curationem morborum, tamen in mediis artis exercitationibus & obeundis profeſſionis medicinalis negotiis occurrunt prae caeteris Medico, quorum reſpectu pudorem cuſtodire oportet, niſi honeſtatis fines transire, & peruerſas inde vitae rationes incurrere velit. Sic in lib. περὶ ἰητροῦ iuſtitiam & integritatem & continentiam Medico commendat auctor hoc argumento, *quia non parum commercii medico intercedat cum aegrotis: quandoquidem & aegrotantes,* vtriusque ſexus & cuiuslibet aetatis ac formae, *ſeſe medentibus tractandos permittant, & Medici omni tempore verſentur inter mulieres & virgines; quamobrem erga homines* omnis generis *continenter ſe gerere debeat Medicus.* Vid. *Proleg.* §.

XXIV,

5. Similiter in Ὄκρῳ edicitur, ἐκτὸς εἶναι φθορίης τῆς τε ἄλλης καὶ ἀφροδισίων ἔργων, ἐπί τε γυναικείων σωμάτων καὶ ἀνδρῴων, ἐλευθέρων τε καὶ δούλων. Conf. Io. Henr. MEIBOMII *Commentarius* in haec verba. * Caeterum, aliud exemplum τῆς ἐντροπῆς s. ἐντροπίης iam supra *Sect.* II, 1 expositum est. Pertinet huc quoque silentium, quod Hippocrates saepius commendat: vid. *Proleg.* §. XXIV, 2. it. supra *Sect.* III §. 16.

§. 11. Similem pudoris ac verecundiae disciplinam studio cognitionis sui, & tolerantia contemtus atque silentii, sibi promittebat Philosophia: vid. *Proleg.* §. VI not. 9 & §. VII not. 3 & 4. Valent haec etiam de sequente specie, καταςολῇ· quandoquidem ipso vestitu cultuque corporis modestiam affectarent Philosophi: conf. *Proleg.* §. VII not. 3 & 8.

§. 12. Modestia, species Temperantiae, iustum seruare docet modum in sui aliorumque aestimatione, & cuilibet pro persona sua nostraque, ac virtute meritisque officia cum iuris tum humanitatis praestare; cumque omnes homines naturâ sint aequales, fortunâ sibi inferiores aequalitatis modò metitur & colit homo modestus, & in vniuersum erga superiores, pares, & inferiores ita se gerit, quemadmodum illos erga sese, mutatâ personâ, agere velit; & quum quisque ad se suaque facta attentus, suam ipsius tenuitatem, aberrationes, defectus, ac naeuos optime nouerit, potius de aliorum virtutibus praeclare

* RIVINVS d. l. Cap. II §. 4 *Tertio,* LASCIVIA, *si quem alium, certe Medicum dedecet. Enimuero sunt, qui, iuxta Machiauelli Medici regulam VII, mulierum gratiam sibi conciliare non verentur, confabulando, iocando, palpando, &c. qui negant, verecundiae limites se transilire, quicquid loquantur vel agant; siquidem naturalia haut sunt turpia, ex mente illorum. Arrident interim nugae, si non omnibus, certe salacioribus, potissimum occasione commoda, & professione longe vtilissima fauente. Integrum est Medico, visitare puellas mulieresue omni tempore, nocturnis quoque horis, si modo necessitas id postulet, ac morbus vrgeat, simulatus etiam. Adhaec, praesumitur vulgo maior licentia in eis, qui sapiunt vltra caeteros & intelligunt passiones sequioris sexus. Quae minus pulchra est, lentiginibus commaculata, rugis anilibus obsita, &c. optat fucum: sterilis, vt foecunda fiat, petit adiumentum sibi ferendum maritoue: alia, ne sponso displiceat, virginitatem forte amissam restitui mauult: alia, menstrua suppressa pelli; atque sic porro. Iam vero mirum haut videbitur, si optime cupiant faueantque peculiariter, cui se obligatos mille modis sentiunt.* &c.

clare ſentire, idque etiam officiis & obſeruantia oſtendere, modeſtiae eſt. Iam Medicum & artis ſuae natura, qua miniſterium tantummodo aut ſeruitium adeo Naturae exhibet, & totius profeſſionis ratio, qua in inſeruiendo commodis aliorum iisque operam dando tota verſatur, ad modeſtiam ſequendam inducit. Contra, immodeſte faciendo loquendoque quam maxime animi aegrotantium adſtantiumque offendi & abalienari poterunt, praeſertim ſi iunior ſit Medicus: auerſis autem animis, curationis adminiſtratio multum impeditur, aut omnino peruertitur. Quare καταστολὴν Hippocrates deinde quoque *Sect.* IX, 5 & XII, 4 commendat diſcipulis: eodemque facientia alia monet *Sect.* IX, 1 & XVI, 1. 2. 3. Neque minus huc pertinet ſilentium, de quo confer. *Proleg.* §. XXIV, 2; itemque comitas erga alios medicos in conſilium aduocatos, qua de re monitum Hippocratis retuli in *Annotationibus ad Sect.* III *not.* i. Et modeſtiae quidem regulis obſequendi aliquanto maior erat occaſio temporibus Hippocratis, quum vnus omnem, tripartito diuiſam, artem agitaret, diaeteticam, pharmaceuticam, atque chirurgicam.

§. 13. Si in earum rerum, quae ad Medicinalem artem pertinent, obſeruatione, tractatione, vſu, & perueſtigatione rite, & ſicut *Sect.* I & III traditum eſt, verſeris, non poteſt aliter fieri, quin inter experiendum ratiocinandumque certorum decretorum ſiue propoſitionum concluſarum intellectum & cognitionem conſequaris, quorum pronunciatorum veritas ſtatim quocunque tempore cuilibet euidenter perſpicitur, quamprimum ille modo rem, de qua aliquid pronunciatur, probe intellexerit atque perceperit. Eiusmodi propoſitionem Hippocrates appellat δόξαν, ſententiam, qua animus de re propoſita iudicat, exiſtimat, aut cenſet, & quaſi ſcitum aut decretum aut conſultum interponit: eſt enim talis aſſertio, quae ex euidente rei ipſius notione & repraeſentatione ſponte naſcitur, & menti vltro occurrit, ſeſeque ingerit, & aſſenſum ſine vlteriore demonſtratione aut probatione inducit. Ita, e. c. certum eſt, ſublato ſanguinis per aliquam corporis partem aut totum corpus motu, vitam animalem illius partis aut integri corporis interire; vt morbum curare poſſis, illum cognoſcere oportere; febrem eſſe, quando ſubitum corporis frigus ſ. exhorreſcentiam aeſtus continuus excipit; nullam febrem ſine ſudore

dore bene curari; ſimilia ſimilibus conſeruari; contraria tolli contrariis; &c. Conf. BOERHAAVII *Inſtitt. Med.* §. 1086. itemque §. 941. 943. 946. 950. Talia vocantur alias Axiomata: quo nomine ſic comprehenduntur cuiuslibet generis dogmata, Axiomata proprie ſic dicta, Poſtulata, Experientiae, Aphoriſmi, Regulae, Sententiae, Theoremata, Corollaria, &c. * Nam quanquam inter has poſitionum ſpecies accurate diſtinguant Philoſophi, praeſertim Mathematici, idque facere propter ſuam cognoſcendi mothodum neceſſe habeant: tamen & res eo redit, vt animus de veritate propoſitionis firmiter perſuaſus ſit, licet methodum illam, qua ſcientifice cognoſcitur, ignoret vel non meminerit; &, ſi vel maxime illa diſtincta methodus & demonſtrandi ratio inter diſcendum fuerit adhibita, tamen in medio rerum actu verſantibus non licet eundem demonſtrationis ordinem repetere aut inire, ſed in ipſarum veritatum recordatione & applicatione omnis agentis ſapientia & artis demonſtratio ſubſiſtit; quamobrem illarum cuiusquemodi veritatum notiones vtique Axiomatum, ſpecialiter ita dictorum, loco ſunt. Ita nec natura negotiorum vitae communis talem demonſtrandi rationem admittit: inprimisque de Medicina memorabile eſt, quod pronunciat Hippocrates περὶ τέχνης, in fine, ὅτι οἱ εἰδότες τὴν τέχνην, τὰς ἐπιδείξιας ἐκ τῶν ἔργων ἥδιον ἢ ἐκ τῶν λόγων ἐπιδεικνύουσιν, οὐ τὸ λέγειν καταμελετήσαντες, ἀλλὰ τὴν πίστιν τῷ πλήθει, ἐξ ὧν ἂν ἴδωσιν, οἰκειοτέρην ἡγεύμενοι, ἢ ἐξ ὧν ἀκούσωσι. Denique, & ipſi veteres Mathematici cum Philoſophis, vocabulum Axiomatis latiori ſenſu ſumſerunt: fateturque Ill. WOLFIVS, *in Commentatione de Methodo Mathematica,* Elementis Matheſeos Vniuerſae praemiſſa, §. 32, *ipſum Euclidem propoſitiones vtique demonſtrabiles in Axiomatum numerum retuliſſe.* Facile autem intelligitur, quam diuerſa ſit haec δόξα ab οἰήσει, quae *Sect.* IV, 6 reprehenſa eſt: vbi videſis *Commentarium.*

Appa-

* Sic FOESIVS *ad Hippocratis Aphor* I, *Aphoriſmorum libri quaſi* κυρίαι δόξαι *dici poſſunt, hoc eſt, maxime ratae, quia grauiſſimae ſunt ad bene medicandum, breuiter enunciatae, ſententiae. His namque in libris, breuiter comprehenſis grauiſſimis ſententiis, quaſi oracula medicinae edidiſſe dicitur Hippocrates.* Conf. etiam GALEN. *de optima Secta,* Cap. I.

Apparet etiam, hic aliter accipiendum eſſe hoc vocabulum, quam in Νόμῳ ſub finem, vbi dicitur, Δύο γὰρ, ἐπιστήμη καὶ δόξα· ὧν τὸ μὲν ἐπίστασθαι ποιέει, τὸ δὲ ἀγνοεῖν. Sed communiter in praeſenti quidem libello ſignificat gloriam, exiſtimationem &c. vid. *Index.* Eadem tamen, qua h. l., ſignificatione Γνίδιαι δόξαι vocantur Hippocrati: v. HALLER. *ad Boerh.* Vol. I p. 14 & 23.

§. 14. Philoſophos ſimiliter ſuas habuiſſe δόξας, praeter alios, vel Epicuri κυρίαι δόξαι ſint teſtimonio: de quibus ita M. TVLLIVS *de Finib.* 2, 20 c. 7 *In alio vero libro, in quo breuiter comprehenſis grauiſſimis ſententiis, quaſi oracula edidiſſe ſapientiae dicitur* (Epicurus), *ſcribit his verbis, quae nota tibi profecto, Torquate, ſunt: quis enim veſtrûm non edidicit Epicuri* κυρίας δόξας, *id eſt, quaſi maxime ratas? quia grauiſſimae ſint ad beate viuendum breuiter enunciatae ſententiae.* &c. Et *de Nat. Deor.* 1, 85 c. 30 extr. *In illis ſelectis eius breuibusque ſententiis, quas appellatis* κυρίας δόξας, *haec, vt opinor, prima ſententia eſt: Quod beatum & immortale eſt, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.*

§. 15. Porro, ſicut Philoſophi in inueſtigatione veritatis maxime opus habent κρίσει, probo defaecatoque Iudicio, quo perceptas de rebus ideas, earundemque varias compoſitiones ac permixtiones, accurate perpendant, examinent, a ſe inuicem diſtinguant, & hoc modo verum a falſo, certum a dubio, opinionem a ſcientia, probabile a controuerſis, discernendo, limites cuiusque cognitionis conſtituant, & certas cuique rei notas aſſignent atque definiant; vnde anſam ſumſit RAMVS totam Rationalem philoſophiae partem in duplicem tractatum diſpeſcendi, quorum prior de Inuentione ageret, alter de Iudicio: ſimiliter in Medicina morbis facienda multis modis neceſſarius eſt vſus cauti prudentisque Iudicii, quo inter multiplices ſimilitudinum & coniunctarum permixtarumque affectionum ſpecies & ſymptomatum miram complicationem, propria morbi indoles ac ratio ſuis ſignis cognoſcatur; quo diiudicetur, quo tempore, quo modo, quantum, quam ſaepe, quatenus, quibus mutationum vicibus, verbo, quo omnium circumſtantium rerum ſtatu ac conditione, hoc illudue curationis aut remedii genus adhibendum ſit; & quae praeterea huc pertinent. Hinc ſtatim in 1 *Aphoriſmo* monet

 Hippo-

Hippocrates, τὴν κρίσιν esse χαλεπήν· & SCHERBIVS LANCISIVSQVE dixerunt, *Medicinam aut totam esse prudentiam, aut certe sine prudentia exerceri non posse.* Et Ill. Frid. HOFMANNVS, in Diss. *de peruersis iudiciis de Medicis & Medicina*, §. III, rationem redditurus, cur Medici saepe parci verborum sint, hanc affert, *Quod in viro profundi Iudicii, quale in medicina facienda necessarium est, haut facile reperiatur loquacitas, vtpote quae ex memoria ortum ducat; felix autem memoria raro cum acri iudicio coniuncta sit.* Adhuc οἰκειότερον, quemadmodum inquit Hippocrates, pro Crisi in Medicina adhibenda argumentum hoc est, quod, quum medicina tota in imitatione Naturae consistat, eandem quoque naturam ducem atque magistram sequi debeat in Crisi facienda. Nam constat, Hippocratem praecipuam Naturae ad sanandos morbos vim operamque posuisse in administrando Crisios negotio: quumque eundem Hippocratem Naturae suae intelligentiam, rationem, & consilium tribuisse, tam ex ipsius hac de re locis quam perspicacissimorum virorum iudicio, verisimile videatur, vid. infra *Commentarius* VII §. 9: Crisin ab eo appellatam existimare liceat, Naturae Iudicium efficax de caussa morbi tollenda; quod quidem naturae intelligenti, &, quae in corporis oeconomia accidant, clarissime peruidenti, adeoque efficienti ac gubernanti, minime erit difficile. Medicum igitur Naturae administrum, similiter oportet illa, quae circa morbum contingunt, pernoscere, quo certis ex signis iudicare possit, quid ad curandum morbum, & quando, & quomodo, faciendum sit: quod quidem Medico saepe longe difficillimum esse, satis apparet. Caeterum, non ignoro, de Crisi illa Hippocratica longe alias atque diuersas esse interpretum auctorumque sententias & explicationes. Conf. Cel. SCHVLZIVS in *Hist. Medic.* Period. I Sect. III Cap. III §. XXI seqq. *Lexica Medica*, &c.

§. 16. Vt actio s. res proposita recte & prospero cum successu peragatur, necesse est, vt & mens, a cogitationibus alienis vagisque auocata, soli operi perficiendo vacet & intenta sit, & suas secum deliberationes conuenienter ad ordinem agendae rei instituat; & animus aequilibrium motuum suorum conseruet, nec perturbationibus acta aut tenebras falsasque rerum species menti offundat, eiusue cogitationes

tiones confundat, aut praecipiti impetu actionem peruertat. Quae mentis animique aequabilis constitutio dicitur ἡσυχίη, Tranquillitas, Quies, Pax animi: a temeraria festinatione & socordia pariter distans. Eandem iterum Medico commendat auctor *Sect.* XVI, 1: eademque significatur vocabulo ἀταρακτοποιησίης, *Sect.* XII, 4. Inducit autem πρὸς τοὺς ὄχλους τοὺς ἐπιγενομένους τὴν εὐσταθίην ἐν ἑαυτῷ, *Sect.* XII, 5; s. τὸ σύννουν καὶ τὸ ἐν νῷ πρὸς ἑαυτὸν διακεῖσθαι, *Sect.* III, 1. Nec tamen obstat, quo minus adhibeat Medicus ἀντίλεξιν πρὸς τὰ ἀπαντώμενα, *Sect.* XII, 4; & ἐπίπληξιν πρὸς τοὺς θορύβους, ibid. n. 5. Nam & nonnunquam poterit ἐπιπλήσσειν μετὰ πικρίης καὶ ἐντάσεων· modo simul in eo animi statu permaneat, vt mox possit iterum παραμυθέεσθαι μετ' ἐπιστροφῆς καὶ ὑποδέξιος, secundum *Sect.* XVI, 3. Hoc enim solum illa Tranquillitas spectat, ne animo ita commouearis, vt in exsequendo proposito perturberis: quare licebit etiam pathematum animi s. affectuum, quos appellant, faces admouere, si consulto ad perpetrandum negotium adhibeantur. Qualis in Medico compositae mentis moderatio, animique praesentia, grauitas, constantia, ad turbulentum in aegro, & circa eundem, statum rerum atque tumultus sedandos magnum momentum afferent;

Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est
Seditio, saeuitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat;
Tum pietate grauem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet:

VIRGIL. Aen. 1, 152 seqq.

similiter praeses humanae valetudinis aegrotantem, & qui circa eum versantur, moderabitur. Pertinet huc quoque taciturnitas in Medico, saepius ab Hippocrate commendata, & huic arti adeo conueniens, vt propterea *Muta* dicta sit: vid. *Commentatio* posterior huius Vol. §. II not. * & §. XXI not. 1. 2.

§. 17. Eandem Philoſophicam animi tranquillitatem nemo forte magnificentioribus verbis deſcripſit; quam ipſe Hippocrates, ſiue quisquis auctor eſt *Epiſtolae ad Philopoemenem* (T. II p. 906 ſeq. Lind.) vbi ſic ſcribit, ex interpretatione Foeſiana: *Non abſurdum eſt, in his, qui ad diſciplinas ſtudioſe contendunt, omnes alias curas ab vno ſapientiae affectu excuti. Non aliter enim ac miniſtri & miniſtrae in domibus tumultuantes ac concertantes, ſi quando derepente eis hera adfuerit, attoniti conquieſcunt: ſimiliter etiam, reliquae animi cupiditates malorum hominibus ſunt adminiſtrae; & vbi ſapientia in conſpectum ſe dederit, tanquam mancipia reliqui affectus diſcedunt. Non omnes amentes* (ſunt, qui) *ſpeluncas & quietem expetunt; verum etiam, qui res humanas negligunt ob tranquillitatis deſiderium. Quum enim mens, curis externis fracta, corpus recreare voluerit, tunc cito in quietem tradit; deinde erecta & ſtans, circum ſeſe veritatis locum circumſpicit, in quo non pater, non mater, non vxor, non liberi, non frater, non cognati, non miniſtri, non fortuna, neque prorſus quicquam tumultum excitat; ſed perturbantia omnia reiecta, prae timore ſubſiſtunt, neque appropinquare audent, prae eorum reuerentia, qui illic inhabitant. Illum autem locum inhabitant artes, virtutum omne genus, dii, daemones, conſilia, & ſententiae. In illaque regione magnus polus ſtellis plurimum ſe mouentibus tanquam corona cinctus eſt. In quam fortaſſis Democritus ob ſapientiam commigrauit: deinde, quum eos, qui in vrbe ſunt, non videat, vt qui procul a domo agat, ob ſolitudinis amorem inſanire creditur.* Apprime cum his conueniunt verba DAMASCENI Pythagorici ap. Photium Cod. 242.

§. 18. In ſtudio Sapientiae, omniumque adeo rerum quae in contemplatione cognitioneque verſantur, ſedatum animi habitum tranquillamque mentis operam adeo requiri palam eſt, vt complures, qui huic viuendi generi ſunt ac fuerunt dediti, potius nimium quam parum quieti otioque literario, aut Sapientium, indulſiſſe dicendi ſint. Vid. *Proleg.* §. VI *not.* 6 & 11. Eratque hunc in modum comparata tota diſciplinae Pythagoricae ratio, de qua *Proleg.* §. VI & VII: & inprimis huc pertinent illa *Conuerſio in ſemet ipſum*, & *Echemythia.* Maxime autem huc conuenit illa Philoſophica affectuum moderatio & in omni vita aequabilitas, de qua ibid. §. VII *not.* 7.

§. 19. Quandoquidem in Philoſophia verum inueſtigatur, hoc

autem

autem plurimum alieni, apparentis aut ſuperficiarii, ſpecioſi, verbo, falſi admixtum habere ſolet: propterea multis modis vltro citroque verba de rebus quibuslibet fieri poſſunt; & hinc anſa data eſt Philoſophis excolendi ſtudium Dialectices, de quo conf. *Proleg.* §. III; adeoque Auctor ipſe noſter ſupra *Sect.* I, 1. 2 ſignificauit Philoſophicam profeſſionem fere totam eſſe in probabilibus in vtramque partem disputationibus, quas Graece appellat διαλέξιας. Erat autem illis temporibus ea disputandi ratio, vt una pars quaeſtiones proponeret, ad quas altera reſponderet: in qua methodo praecipuam laudem adeptus eſt SOCRATES, cuius rei ſatis locuples teſtimonium perhibent cum XENOPHONTIS Ἀπομνημονεύματα, tum Socraticorum, inprimisque PLATONIS Διάλογοι, denique ipſum adeo, quod illi haeſit, *methodi Socraticae* nomen. Similiter, inquit Hippocrates, in Medicinalis artis exercitatione etiam plurima occurrere, quae quaerant ex Medicis aegri eorumque propinqui neceſſariiue, quibus proinde Medici reſpondendo rem explicare aut rationem aliquam reddere neceſſum habeant: id quod hic vocat ἀπάντησιν· *Sect.* autem XII, 5 ἀντίλεξιν πρὸς τὰ ἀπαντώμενα. Conf. ſupra *Commentarius* III §. 8 & 14.

§. 20. Καθαριότητα, munditiem in habitu cultuque corporis in Medico requirit etiam Hippocrates in libello περὶ ἰητροῦ· vid. *Proleg.* §. XXIV, 1: & rationes eius rei allatae ſunt in *Commentario* III §. 2. Conuenit autem hac in re Medicinae cum Philoſophia Pythagorica, quae adeo cultus elegantiam affectabat: vid. *Proleg.* §. IV *not.* 1 & §. VII *not.* 8. itemque §. V *not.* 1 §. 7.

§. 21. De Gnomis ſ. ſententiis Pythagorae eiusque ſectatorum vid. *Proleg.* §. VIII not. 7. Sunt autem ſententiae, breuiter acuteque dicta, quae ex interiore rerum actionumque humanarum cognitione, & intentiore animi deliberatione nata, de negotiis actionibusque vitae iudicant atque praecipiunt: &, auctore QVINCTILIANO in *Inſtit. Orat.* Lib. VIII, 5, 3 *Antiquiſſimae ſunt, quae proprie ſententiae vocantur, quas Graeci γνώμας appellant; vtrumque autem nomen ex eo acceperunt, quod ſimiles ſunt conſiliis aut decretis.* Nec poterit talium copia deeſſe Medico, qualem Hippocrates pingit, cui κρίσιν & δόξαν

&

& characterem enthymematici tribuit: vid. *Commentarius* III §. 14 & *Comment.* VI §. 13 & 15. Et in Hippocratis quidem ipsius libris eiusmodi γνωμολογίας exempla quam plurima subinde occurrunt, vid. supra §. 13 huius, ex Foesio; sic v. c. statim primus omnium Aphorismus pulchrum exemplum praebet, Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπὴ· aut ex lib. Παραγγελιῶν, Ἢν παρῇ φιλανθρωπίη, πάρεστι καὶ φιλοτεχνίη, quod iam supra §. 7 huius allatum est: aut περὶ τέχνης, Ὁ δ' (ἰητρὸς) ἢν μὲν ἀρκέσῃ πρὸς τὸ ὀφθῆναι, ἐξαρκέσει καὶ πρὸς τὸ ἰασθῆναι, quod item supra *Commentario* V §. 5 propositum est: aut ex Νόμῳ, Φύσιος ἀντιπραττούσης κενεὰ πάντα· & ibid. Ἡ ἀπειρίη, εὐθυμίης τε καὶ εὐφροσύνης ἄμοιρος, δειλίης τε καὶ θρασύτητος τιθήνη· δειλίη μὲν γὰρ ἀδυναμίην σημαίνει, θρασύτης δὲ ἀτεχνίην. Et alia sexcenta.

§. 21. In praecipuis Pythagoricae disciplinae studiis erat illud καθάρσιος, vid. *Proleg.* §. V not. * & §. VI not. 10: quam quidem in animi s. mentis purgatione vel liberatione ab impuris veraeque rationi minus consentaneis cogitationibus, studiis, cupiditatibus, affectibusue, a sensibus corporis in mentem illatis, i. e. in sanctificatione quadam, vt ita loquar, positam, sub externa variarum lustrationum ac sacrificiorum, eodemque pertinentium rituum ac caerimoniarum specie procurare intendebant. Vid. *Proleg.* §. V not. 1 §. 7 & 9. Hippocrates itaque ait, in obeundis Medicinae exercitationibus, pariter ac in Philosophia, cognitionem acquiri lustrationum s. purificationum, & quidem earum, quae sub exteriore illa sacrarum caerimoniarum figura tanquam symbolis significabantur, i. e. quae vtiles sint & necessariae ad vitam bene honesteque agendam, s. quaelibet vitae communis, & speciatim medicinalis, negotia rite recteque tractanda & administranda, εἴδησις τῶν πρὸς βίον χρηστῶν καὶ ἀναγκαίων καθαρσίων· h. e. quinam sint morbi animi s. vitia, & quibus ea modis curare, s. animum a studio prauarum cupiditatum purgare deceat, contra, omnis virtutis habitum induere; quemadmodum toto praesente libello demonstratur, Medicinam recte s. honeste exerceri sine sapientiae variarumque virtutis specierum.

rum cultura habituque non posse, sicut inprimis de lucri cupiditate §. 4 & seqq. huius, it. *Commentario* II, & de variis virtutibus tum hoc tum III *Commentario* pluribus ostensum est, modus etiam indicatus, vt nimirum animus ad ἡσυχίην, τό, τε σύννουν, καὶ τὸ ἐν νῷ πρὸς ἑαυτὸν διακεῖσθαι, it. ad εὐσταθίην τὴν ἐν ἑαυτῷ, componatur, §. 16 huius. Similiter GALENVS quoque librum conscripsit *de cognitione & curatione morborum animi*, & ad eam rem inprimis vtilia deprehendit praecepta *Carminis Aurei* Pythagorici: vid. *Proleg.* §. IV not. 4. Quanquam igitur & de corporis Purgationibus, proprie sic dictis, Medicina peculiariter praecipiat, nec Hippocrates respuerit illas Lustrationum & sacrificiorum gentilium caerimonias: tamen, quum alterum nihil ad Philosophiam pertineat, ad alterum Medicinalis disciplina per se non ducat aut instituat, de alterutro Purificationum genere Auctorem hic loqui, non sit verisimile. Illum autem morem, quo morbi variis καθαρμοῖς καὶ ἐπαοιδῆσιν, expiationibus & incantationibus curari solebant, (vid. *Proleg.* §. V not. 1 §. 8) vehementer reprehensum fuisse ab Hippocrate, luculentum testimonium perhibet liber *de Morbo Sacro*: vid. supra *Comment.* II §. 5. *

§. 22. Non autem improbasse Hippocratem sacras Purificationes earundemque caerimonias, quatenus ad cultum Religiosum pertinebant, docemur memorabili loco in eodem *de Morbo Sacro* volumine, vbi IV, 44 seqq. sic scriptum est: Καθαρμοῖσί τε χρέονται

ται

* Dan. le CLERC, *Hist. de la Medicine*, I Partie, Liv. III Chap. XVIII disputat, vtrum Hippocrates eodem hoc, qui prae manibus est, loco superstitiosas Purificationes intellexerit? quod ipsi non videtur. In fine Capitis haec adiicit, *Un Savant, qui a commencé depuis peu de traduire Hippocrate en François*, (Mr. Dacier, vid. *Proleg.* §. XXII not. 4) *veut, que cet ancien Medecin ait entendu par les Purgations, dont on a parlé*, les purgations de l'Esprit, *qui sont un effet de la Philosophie. Mais je ne sai, si cela n'est point trop recherché.* ZUINGERUS autem, p 87 nobiscum facit, & de purgatione animi haec accipit, dicens, *Philosophiae munus est, etiam secundum Platonem, animum purgare, tum ab ignorantia; hoc praestat Theorica philosophia, physica, mathematica, diuina: tum ab improbitate; hoc praestat Practica philosophia, ethica, politica, oeconomica.*

ται καὶ ἐπαοιδῇσι, καὶ ἀνοσιώτατόν γε καὶ ἀθεώτατον ποιεῦσιν, ὡς ἔμοι γε δοκέει, τὸ θεῖον. καθαίρουσι γὰρ τοὺς ἐχομένους τῇ νούσῳ* αἵμασι καὶ τοῖσι τοιούτοισι μιάσμασιν ἔχοντας, ἢ ἀλάστορας, ἢ πεφαρμαγμένους ὑπὸ ἀνθρώπων, ἤ τι ἔργον ἀνόσιον εἰργασμένους. οὓς ἐχρῆν τἀναντία τούτοισι ποιέειν, θύειν τὲ καὶ εὔχεσθαι, καὶ ἐς τὰ ἱερὰ φέροντας ἱκετεύειν τοὺς θεούς. νῦν δὲ τούτων μὲν ποιέουσιν οὐδὲν, καθαίρουσι δέ. καὶ τὰ μὲν τῶν καθαρμῶν γῇ κρύπτουσι, τὰ δὲ ἐς θάλασσαν ἐμβάλλουσι, τὰ δὲ ἐς τὰ οὔρεα ἀποφέρουσιν, ὅπη μηδεὶς ἅψηται, μηδὲ ἐπιβήσηται· τὰ δ' ἐχρῆν ἐς τὰ ἱερὰ φέροντας τῷ θεῷ ἀποδοῦναι, εἰ δὴ θεός γέ ἐστιν αἴτιος. οὐ μέντοι ἔγωγε ἀξιῶ ὑπὸ θεοῦ ἀνθρώπου σῶμα μιαίνεσθαι, τὸ ὑποκηρότατον ὑπὸ τοῦ ἁγνοτάτου· ἀλλὰ κὴν τυγχάνῃ ὑπὸ ἑτέρου μεμιασμένον, ἤ τι πεπονθὸς, ἐθέλοι ἂν ὑπὸ τοῦ θεοῦ καθαίρεσθαι μᾶλλον ἢ μιαίνεσθαι. τὰ γοῦν μέγιστα τῶν ἁμαρτημάτων καὶ ἀνοσιώτατα τὸ θεῖόν** ἐστι τὸ καθαῖρον, καὶ ἁγνίζον, καὶ ἔρυμα γενόμενον ἡμῖν· αὐτοί τε ὅρους τοῖσι θεοῖσι τῶν ἱερῶν καὶ τῶν τεμενέων ἀποδεικνύμενοι, ὡς ἂν μηδεὶς ὑπερβαίνῃ, εἰ μὴ ἁγνεύοι· εἰσιόντες τε περιῤῥαινόμεθα, οὐχ ὡς μιαινόμενοι, ἀλλ' εἴ τι καὶ πρότερον ἔχομεν μύσος, τοῦτο ἀφαγνιούμενοι. καὶ περὶ μὲν τῶν καθαρμῶν οὕτω μοι δοκέει ἔχειν.

Quae

* Inferendum videtur ὡς. V. Celeb. Io. Matthi. GESNERVS comprobat quidem hoc additamentum, fed demum poft v. *μιάσμασιν* illud collocari velit; haec porro *μιάσματα* cum *αἵμασι* pro ipfis *καθαρμοῖς*, remediis expiatoriis, habet, & deinde *ἔχοντας ἀλάστορας* interpretatur homines malis daemonibus obfeffos.

** V. Cl. Car. Phil. GESNERVS, *in Diff. Inaug. de Diuino Hippocratis*, §. XXIV propofuit Patris fui, Io. Matthi. Gesneri, interpretationem vocis *θεῖε* illo in loco, qui gemino afterifco fignatus eft, ibidemque ipfis *fulphur* fignificare videtur; contra ea, *fi de Deo fimpliciter & proxime intelligenda fit, Hippocratem praecedentem fententiam non confirmaffe, fed otiofe repetiiffe.* Et quamuis fulphuris vfum in luftrationibus fuiffe conftet, quemadmodum ap. *Lomeierum de Luftrationibus veterum* videri poteft, & ex. gr. de Melampodis luftrationibus idem ex *Clemente Alexandr.* refert *Schulz. Hift. Medic.* p. 90: tamen folo aut praecipuo fulphure luftrationes fuiffe peractas, dubitare fas eft. Liceat mihi ab auctoritate illorum Virorum, quorum alterum Patronum fummum, alterum chariffimum Amicum colo, hactenus difcedere.

Quae ſic intelligo: *Adhibent illi, qui morbum ſacrum Deo diuinisque proxime adſcribunt, remedia expiatoria & incantamenta; qua quidem re Diuinae naturae talia attribuunt, quae eam a ſanctitate & diuinitate quam maxime remouerent, vt mihi quidem videtur. Expiant enim eos, qui hoc morbo affliguntur, eodem modo ac illos qui ſanguine* (caede, contrectatione corporis mortui &c.) *& aliis ſimilibus impuris rebus polluti ſunt, aut qui grauiſſima ſcelera perpetrarunt, aut qui ab hominibus medicamenta inſana* (philtra, pocula furioſa, &c.) *acceperunt, aut qui aliquod impium facinus commiſerunt; itaque ſimili labe corpus in morbo ſacro Diuina virtute contaminari profitentur. Quod ſi vel maxime ita foret, tamen contraria illis expiationum ritibus facere eos deceret, nimirum ſacrificia & preces offerre, &, aegrotis in aedes ſacras adductis, Diis ſupplicare, quo malum illatum iterum auferrent. Verum horum quidem nihil iſti faciunt, ſed tantum remedia expiationum adhibent. Et eorundem remediorum alia in terram abscondunt, alia vero in mare abiiciunt, alia in montes asportant, & ſic illis in locis de induſtria collocant, vbi nemo ea attingere, neque ſuper incedere poſſit. Mea autem ſententia, eadem oporteret, in ſacras aedes delata, Deo reddere, ſi quidem Deus eorum auctor fuerit. At enimuero, ego profecto non exiſtimo, hominis corpus inquinari a Deo, corruptionibus impuritatibusque maxime obnoxium illud, a ſanctiſſimo caſtiſſimoque: ſed contra, ſi etiam acciderit, vt ab alio corpus pollutum ſit aut labe morboue affectum, vtique magis conſentaneum videtur a Deo purgari velle & exſolutionem noxae petere; non autem contaminationem a Deo exſpectare. Et hoc etiam noſtrae religionis ſcitis reſpondet & conſentaneum eſt: nam propter eandem rationem haec praecipit, Deum eiusque virtutem eſſe illud, quod vel grauiſſima & pietati quam maxime aduerſa peccata expurget, & expiet, ad eamque rem nobis ara tuta ſiue perfugium conſtitutum ſit; & hinc itidem eſt, quod illi, qui religioſi cultus curam gerunt, Diis certos in aedibus ſacris delubrisque terminos aſſignant, quos neminem transire fas eſt, niſi qui expiatus purusque ſit; propterea que etiam, quum ingredimur, aqua luſtrali adſpergimur, non ſane quo commaculemur, ſed e diuerſo, vt, ſi quod etiam antea ſcelus aut culpam contraxerimus, inde expiemur. Et ita quidem mihi videtur de expiationibus ſtatuendum eſſe.*

§. 23. Atque hic ipſe modo propoſitus ex *l. de Morbo Sacro* locus, admirabili caeleſtioris doctrinae luce radiare viſus eſt Carolo DRELINCOVRTIO, dans le *Discours ſur quelques penſées d'Hippocrate & de l'Ecriture*, p. 19. ſeqq. vbi ſic loquitur: *En verité, ces choſes-là* (de quibus proxime ante) *ſont grandes & magnifiques; mais en voici encore de bien plus raviſſantes dans la bouche d'un Payen. Car ſon zéle pour la Divinité le fait écrier, que les hommes ne ſont qu'impureté & que ſoüillure; mais que Dieu eſt la pureté & la ſainteté même. Il ſemble donc, que* l'Eſprit du Dieu-Vivant ait écrit ſur des tables de chair, dans le coeur *de ce Payen* [a], Que nul ne tirera le net de ce qui eſt ſoüillé [b]; Que perſonne ne peut dire, j'ay purgé mon coeur, je ſuis net de mon péché [c]; car tout homme péche [d]; & tout homme eſt menteur [e], *vuque* nous ſommes tous ſoüillez de lévres [f], & pleins de fraude [g], mais Dieu ſeul eſt Saint [h] & juſte [i] & veritable [k]. *Après cela, mon Précepteur ajoûte, que nos péchez les plus énormes, & que nos iniquitez les plus impies ſont éfacées de Dieu. Il eſt vray: car le Dieu de David* couvre tous les péchez de ſon peuple [l]. *Plût au Seigneur, o aveugle Payen! que tu fuſſes remonté jusqu'à la ſource unique* du ſang precieus de Jeſus [m], qui nous purifie de tout péché [n]. *Voicy encore un endroit, ou la piété de mon Auteur repand une odeur fort-agréable: car il reconnoit, que Dieu eſt notre apui, & notre déſenſe. Que ſe peut-il de plus conforme aux expreſſions de David? qui ſe glorifie partout, de ce que l'Eternel eſt* ſa force [o], *&* ſon apui [p]; ſon rocher *&* ſa fortereſſe [q], ſa retraite [r], *&* ſa delivrance [s]; ſon aide, *&* ſon bouclier [t]; *& enfin*, la corne de ſon ſalut [v], *&* la force de ſa vie [x]. **

§. 24. De vocabulo, Ἀπεμπόλησις, nihil habeo dicere, praeterquam

* Ex dictis Biblicis, quae cumulatiſſime conſtipauit Auctor, aliquot tantum praecipua allegabo.

[a] 2 Cor. 3, 3. [b] Iob 14, 5. [c] Prouerb. 20, 9. [d] Rom. 5, 12. [e] Rom. 3, 4. [f] Eſai. 6, 5. [g] Pſalm. 10, 7. [h] Apoc. 15, 4. Exod. 15, 11. [i] Deut. 32, 4. Eſai. 59, 17. [k] Pſalm. 31, 6. Ierem. 4, 2. [l] Pſalm. 132, 1. Heb. 8, 12. Pſalm. 85. 3 & 4. 103, 3. [m] 1 Pet. 1, 19. [n] 1 Ioh. 1, 7. 9. [o] Pſ. 28, 7. [p] Pſ. 18, 19. [q] Pſ. 19, 15. 62, 3. [r] Pſ. 27, 5. [s] Pſ. 70, 6. [t] Pſ. 33, 20. 3, 4. [v] Pſ. 18, 3. [x] Pſ. 27, 1.

** Quod ſi iſta ratio Drelincourtii valebit, ad ἔρυμα illud applicari forte rectius poſſit locus Hebr. 6, 18. 19.

terquam quod in Annotationibus Philologicis attuli. Diuerſas aliorum expoſitiones congeſſit FOESIVS *in Oeconomia*, h. v.

§. 25. Ἡ δεισιδαιμονία THEOPHRASTO *in Charact.* cap. XVI δόξειεν εἶναι δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον, *videtur eſſe meticuloſa animi affectio, qua quis veretur, ne ſibi malum a Daemone aliquo accidat.* Iam, velut quotidianis praeſentibusque experimentis quilibet poteſt cognoſcere, vulgus, (praeſertim qui in eo ſunt ἀθυμότεροι καὶ ὀλιγοψυχότεροι, minimeque ad reputandum idonei, praecipue muliercularum genus,) quodcunque acciderit, cuius naturales rationes ſiue cauſſas non videant aut animaduertant, occultae alicuius & ſuperioris poteſtatis, ſpiritus, daemonis, diaboli, Angeli, vel ipſius Dei virtute aut effectu proximo, quem praeſcire, deuitare, auertere humanâ ſapientia viribusue non liceat, fieri exiſtimare: Quumque in illis caſibus non poſſint non eſſe quam plurima, quae contra voluntatem ipſorum accidant, & cupiditatibus eorum aduerſentur, adeoque in malis ponantur; haec ſibi damna & incommoda a malis infenſisque geniis procurari putant. Qua opinione occupatos, quum & magna admodum celerisque ac vehemens vis illis daemonibus tribuatur, nec ſenſu eadem percipi aut caueri poſſit, ſane magno perpetuoque metu, ſolicitudine, anxietate, ſubitisque terroribus agitari neceſſe eſt; hinc animum frangi, conturbari, in coeptorum peractione deficere, poſtremo deſperare. Graphice hanc miſeriam ob oculos ponit PLVTARCHVS in lib. περὶ δεισιδαιμονίας, itemque LVCRETIVS ſubinde, praeſertim Lib. I v. 63 ſeqq.

§. 26. Qui antiquorum hominum autem rerum Naturam cauſſasque ſtudioſius perquiſiuerant, & mentem diligentius in eam contemplationem intenderant, repertis iis plurimarum rerum contingentium cauſſis, quae in earundem natura, ordine, nexu, mutuisque in ſe inuicem effectibus poſitae ſunt: facile perſpiciebant, metum illum in quamplurimis inanem eſſe; & viciſſitudines illas, quae innumerabili varietate res humanas diſtinguunt, certis, mundo ſ. rerum vniuerſitati inſitis, legibus conſequi; quaeque contingunt, ſemper in aliis rationem ſuam habere, cur ita, nec aliter fiant. Cuius ſcientiae praeſtantiam intelligens VIRGILIVS exclamat, Ge. 2, 490.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas,
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis auari.

Haec quum viderent, quidam, non ſatis cauti ad peruidendum verum rei diſcrimen, aut nihil niſi quod in perceptionem cognitionemque ſenſuum corporis cadit, crediderunt, Diuinamque naturam, Daemonas, omnemque ſpiritualem poteſtatem negaſſe dicuntur; quo referendum illud carmen; quod in Fragmentis PETRONII, poſt Satyricon, p. 676 Burm. legitur,

Primus in orbe Deos fecit timor, &c.

Aut Deum quidem eſſe dixerunt, ſed eum, procul a rebus humanis, in intermundiis ſumma gaudere ac frui beatitate, nec intereſſe ſtultis, prauis, iniquis, impiis, ſceleratisque, ac miſeris hominum cupiditatibus, ſtudiis, curis, & actionibus; Naturam eum, ſemel conſtitutam, ſibi ſolam relinquere, plenamque permittere poteſtatem ex neceſſariis agendi cauſſis nexibusque; denique

Non curare Deum credunt mortalia quicquam.

In quam ſententiam LVCRETIVS, Lib. I, 57

Omnis enim per ſe Diuûm natura neceſſe eſt
Immortali aeuo, ſumma cum pace fruatur,
Semota ab noſtris rebus ſeiunctaque longe:
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

§. 27. Mediam inter iſta duo praecipitia tenuiſſe viam videntur illi Philoſophi aut philoſophantes, qui & Deum, eiusque miniſtros Daemonas agnouerunt, & ex illius mandatis arbitriisque, ab hisce curam geri rerum humanarum, totumque vniuerſum adminiſtrari guber-

gubernarique, & varias in mundo viciſſitudines ad deſtinatum finem inſtitui, eaque ratione eſſe Prouidentiam, ſtatuerunt. * Vid. *Proleg.* §. V *not.* 1 tot. Primo enim, multa paſſim & quotidie frequentiſſimeque euenire obſeruantur, quorum naturalem rationem perſpicere nec ſapientiſſimi omnes omnium ſaeculorum viri potuere: cuiusmodi ſunt, quae Anima in homine caeterisque animantibus, per membra corporis edit opera. Nec opus eſt, quamlibet recte poſſimus, huc aduocare futurorum praedictiones, apparitiones, inſomnia, & omne diuinationum genus; quandoquidem omnia huius generis non poſſint habere certam fidem, niſi a propria, quae rara eſt nec ad alios pertinet, cuiusque experientia; excepto, ſi quid hac in re Sacrarum Literarum auctoritate perſuaſum habemus. In his igitur rebus indagandis quum deficiat humanus intellectus & terminos ſibi poſitos deprehendat, (quandoquidem nullo modo ſub ſenſus cadunt) ſtatim ſuperiorem & diuiniorem cauſſam agnoſcere par eſt, quae hanc incognitam animae vim ita inſtruxerit. Deinde, in iis rebus contingentibus, quarum naturales connexasque rationes reddere licet, tamen ad vltimum ſubſiſtere naturalium cauſſarum ſeriem neceſſe eſt, quum e. g. ad prima corporum aut materiae initia, ad principium motus, grauitatis, vis magneticae, ad lucem, immenſitatem, &c. progreſſus factus eſt. Sed &, dum agunt cauſſae iſtae ſecundae, idque δι' ἀνάγκην θείην, vt loquitur Hippocrates, ſecundum leges diuinitus impoſitas: tamen primam cauſſam eiusue

* Similis ſententia tribuitur maximo NEWTONO: refert enim Mr. *Bayle*, Lettre CXLIV, ſe ex erudito Anglo cognouiſſe, *Que Mr. Newton panche fort à croire, qu'on ne peut rien expliquer en phyſique par les ſeules Loix du mouvement; & qu'elles ſont par tout dirigées par des Intelligences particulières.* Adeoque ipſe ſummus ARISTOTELES ex motu corporum caeleſtium probare bonas Intelligentias conatus eſt. Caeterum, quanquam non improbabile rationi ſibi relictae videatur, eſſe ſummi Dei adminiſtros Daemonas ſ. Angelos: tamen dubitari iure poteſt, an ipſum Rationis lumen homines in ſuſpicionem mediarum poteſtatum primum adduxerit; quin etiam, an non dubia multorum generum, hac in quaeſtione ſubnata, integrum verumque rationis asſenſum aut perſuaſionem cohibere debuerint. Qua re adducor, vt cum S. Reu. Doct. OPORINO, in *Erläuterte Lehre von guten und böſen Engeln*, Cap. I §. 3, ſtatuam, Daemonologiam ex traditione eſſe potiſſimum, non ex ratiocinio Philoſophico.

eiusue virtutem ſemper ſimul praeſentem adeſſe oportere, hinc perſpicuum eſt, quod, quum cauſſarum, inde ab vltima, omnium perpetua ſit connexio, vnaque ex altera pendeat, & vel vnicâ ſublata, reliquae omnes eodem ordine modoque conſiſtere nequeant; certe ne minima quidem cauſſarum naturalium particula vt vel momento temporis permaneat fieri poteſt ſine praeſente primae cauſſae ſ. Numinis concurſu & actionis propagatione.** Nec intellectum habet iſtius opinionis error, quo Deus mundum conſtitutum ſuisque inſtructum viribus, nunc ſua propria virtute ſubſiſtere ſuasque res agere, ſine Dei coniuncta opera, permiſiſſe creditur, quemadmodum e. c. horologium, aut quaelibet machina, ab artifice perfecta, deinde ex rationibus ſuae conſtructionis agat. Tantum enim abeſt, vt opera humana vel artis cum diuinis aut naturae effectis comparari poſſint, vt ipſa illa artis opera ſine naturae numinisque ſuſtentatione conſiſtere nequeant. Nec tamen haec eo valent, vt in adminiſtratione huius vniuerſi Deum nihil a conſtituto conſuetoque naturae ordine recedere ſtatuendum ſit: hanc enim ipſi libertatem mutandi reconcinnandique ſua opera, nulla neceſſitas eripit; nec adeo omnium rerum perturbatio illas extra ordinem inductas mutationes conſequi debet. Caeterum, neque ſic malorum, quae in rebus humanis fiunt, cauſſam in Deum referimus: (nam de bonis tantum naturae effectis nunc quidem locuti ſumus) quin potius eorum in numero eſſe velimus, quibus omnia quaeuis in bonum cedunt.

§. 28. Quanquam igitur Angelis ſ. Daemonibus tanquam miniſtris in gubernando mundo vtatur Deus, & partim per ordinem naturalium cauſſarum, partim extra ſolitum ordinem, neque tamen

minus

** Io. Bapt. MORINUS, *in Aſtrologia Gallica*, Lib. I Theorem. XXXI p. 12 b. *Ens infinitum concurrit efficienter, & immediate, ad omnes effectus reales entis finiti.* Intelligit autem, vt ipſe addit, *immediationem ſuppoſiti, & non virtutis effluxae: quod ab ente in finito virtus non effluat extra ipſum, qua producat ens finitum.* Denique demonſtrationi ſubiungit, *Huius Theorematis demonſtrationem attenta mente perpendant, qui de Deo tam male ſentiunt, vt ipſum theorema negent, aſſerentes, Deum initio creationis ſemel diſſe vim agendi cauſſis efficientibus, qua ſine concurſu Dei ſuos producunt effectus: friuolis ratiunculis, quarum vanitatem oſtendimus libro de concurſu Primae cauſſae cum ſecundis aduerſus Ianſeniſtas.*

minus per naturae vires tanquam instrumenta, agere illos iubeat: tamen propterea metum abiectum concipere numinis non decet eos, qui virtutis studio tenentur eiusque officia colunt. Licet enim deprehendere, naturam & res humanas eiusmodi legibus esse constitutas & adstrictas, vt, qui ex vera animi sententia virtutis praecepta sequuntur, nequaquam hactenus malis afficiantur aut vere infelices esse possint; sed contra, colendis officiis beatae vitae commoda consequantur, quaeque adeo mala videntur aliis, ea sibi prodesse & in bonum cedere experiantur. Nam &, si quae grauia sibi & molesta accidant, ea ex suis ipsorum reliquis prauis studiis cupiditatibusque originem ducere intelligunt, seque hoc modo commonefieri, vt eo maiore studio ad exercendam virtutem, vnicum Naturae aduersus calamitates humanas remedium, contendant. Conf. *Proleg.* §. V not. 2. it. §. VI. Qui quum sit ordo Naturae, tum Deum, eiusque administros iisdem rationibus gubernare mundum, constat certissime, eorundemque beneuolentiam, opem, auxilium boni sibi procul dubio polliceri possunt. Quapropter etiam sapientum antiquissimos, nullos sibi malos genios esse, sed omnes bonos statuisse quidam existimant: vid. *Proleg.* §. V not. 1 §. 2. * Et quanquam, contra *Bekkerum* & similes, malos Daemonas esse vtique asserendum sit: tamen, quum non nisi permittente Deo, poenas ab improbis ob mala facinora repetant, quo scelerum suorum legitimos fructus percipiendo vitia dediscant; probis, honestis, piis nihil quidem eatenus ab illis timendum est.

§. 29. Sic in Medicina, morbos quidem partim consueto *Naturae* ordine procedere, partim aliquid *Diuini* habere, obseruauit Hippocrates, & classicus hac de re locus exstat in princ. libri *Prognostici.* Verum vtriusque generis morbi a propioribus caussis naturalibus excitantur, remediisque naturalibus curari possunt, cum operâ Medici, tum Deo iuuante & Medici ministerium supremâ potentia moderante,

* Quanquam minus recte sic ibid. iudicauit van Dale: Satis enim liquido vestigia propagatae ab Hebraeis, malorum pariter ac bonorum geniorum notitiae, vel ex ipso Homero ostendit S. Reu. Oporinus, l. c. Cap. I §. 13 & 14.

rante, viresque medicamentorum naturales sua praesente coniunctaque virtute ad prosperos effectus atque successus sustentante ac dirigente. Sed de hoc argumento postea in *Comm. ad Sect.* VII latius curatiusque. Deo igitur & sua remediorum naturalium scientia fretus Medicus, s. vt alibi ait Hippocrates, φύσει καὶ θεοῖς obsequendo, aut ξὺν τοῖσι θεοῖσι, i. e. precibus ad Deum & sua industria coniunctis, medicinam morbis inuenire potest, (vid. l. *de Insomn.* II, 12. seq. & ibid. extr. s. XXI, 7. it. *Epist. ad S. P. Q. Abderit.* n. 12 p. 904 Tom. II Lind.) minimeque ipsi metuendum est, a malis Daemonibus curationes suas turbari, impediri, peruertiue praeter Dei voluntatem posse: quantumuis licet peccata sua morbis luant aegroti. Adeoque ex lib. Hippocratis *de Morbo Sacro*, Cap. I-IV perspicuum est, eum in morborum nascendorum modo plane nullos Daemonas admisisse, sed omnem Diuinam naturam, τὸ θεῖον, adeo sanctam, puram, atque bonam habuisse, vt morbosarum impuritatum proxima efficientia in illam non cadat. vid. supra §. 22 huius, it. *Commentarius* II §. 5. Talem denique persuasionem s. ἀδεισιδαιμονίαν, magnum omnino momentum afferre ad fiduciam in peragendis artis medicinalis operibus praestandam, facile intelligitur: & Hippocratem quidem praecipuam habuisse artis fiduciam, supra vidimus, *Comm.* IV §. 13.

§. 30. Ea est humanae naturae praestantia, vt rerum creatarum & in sensum cadentium nihil ei dignitate par sit. Nam & virtutum capax est, quibus alias res creatas suae potestati subiicere, eas pro suae voluntatis arbitrio moderari, & in suos quoslibet vsus conuertere possit: &, quae extra fines potestatis humanae posita sunt, tamen homini officia sua necessario praestant, vt Sol, vt Luna, vt eius generis alia. Cuiusmodi cogitationes quum accesserint ad naturalem hominis opinionem & cupiditatem, qua suae conseruationi vsibusque quaeuis parata esse putat & cupit: incipit magnum aliquid de se sentire, naturalis libertatis aequalitatisque iura tueri, nec dominum aut superiorem ferre praeter Deum aut eos, in quos potestas iure translata est, & a quibus ea iuste administratur. Quodsi vero naturalem suam dignitatem & eminentiam recte tueri velit, quo per-

perſpicacior eſt, eo magis videt, ad verum decus laudisque perpetuitatem, adeoque ad vitam beate peragendam, opus eſſe, vt mentem ſuam animumque ad omnem virtutem componat, hac propria virtute in omni vitae varietate nitatur, nec ſeſe quaerat extra; quaecunque porro vel effectu cauſſarum naturalium aut caeleſtium accidant, vel hominum opera fiant, & ſi ſuum ipſius corpus, ſiue bene ſiue male, afficiant, in iis ita verſetur, vt ſemper propoſitum recte honeſteque viuendi morem tenere contendat, nec quacunque re ſeſe a regia virtutis via deflecti patiatur, neque animum perturbari, ſed tranquillitatem animi & diuinam illam εὐςαθίαν ἐν ἑαυτῷ conſtanter conſeruare ſtudeat. Haec eſt illa ὑπεροχὴ θεία, Excelſitas & Magnitudo animi, quam Natura docet, & de qua paſſim veteres auctores, ſapientes, & poëtae perquam magnifice loquuntur: cuius quidem memorabile noſtris temporibus praebuit exemplum diuinus (iam verius ita dicendus) BOERHAAVIVS, quemadmodum ex oratione Celeb. Alb. SCHVLTENS, in obitum viri habita, non ſine admiratione cognoſci poteſt. Quemadmodum autem magnorum operum effectrix eſt & diuinam auctoritatem conciliat haec animi conſtitutio, ſi recte ſe habeat: ita facile poteſt in vitium degenerare, ſi quis ſeſe efferat ſupra alios, & ſibi honorem ac gloriam arroget extra reſpectum colendae virtutis & officiorum, aut, quod eodem redit, honorem & laudem in agendo ſpectet, non veras virtutis rationes; denique ſi, quicquid praeſtantiae conſecutus ſit, non ad Deum auctorem referat.

§. 31. Sapientiae profeſſores illam Excelſitatem in eo collocabant, vt homo Deo ſimilis fieret: id quod mortis meditatione, cognitione ſui, καθάρσει, ἐπιστροφῇ εἰς ἑαυτὸν, ἀνόδῳ efficere contendebant, verbo, ita ſtudium ſuum ac vitam inſtituendo, vt mens, ab iſtis impuris rerum imaginibus falſisque notionibus, quas ſenſus corporei in ipſam important, exſoluta, liquidam veritatem puro purgatoque intellectu cognoſcere poſſit; & iſta ſincera ratione omnem vitam regere. Vid. *Proleg.* §. VI. Huc apprime faciunt illi dulciſſimi verſus, quibus LVCRETIVS 2 librum orditur,

Suaue, mari magno turbantibus aequora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non, quia vexari quenquam est iucunda voluptas;
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.
Suaue etiam, belli certamina magna tueri
Per campos instructa, tua sine parte pericli.
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina Sapientum templa serena,
Despicere vnde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quaerere vitae,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti praestante labore,
Ad summas emergere opes rerumque potiri.

§. 32. In obeundis morborum curationibus plurima sese Medico obiiciunt, in quibus nisi illud inuictum animi Robur, Fortitudinem, atque Excelsitatem apud semet ipsum conseruet, curandi munia recte administrare vix ac ne vix quidem possit, quaeque ipsum ad iustam Despicientiam rerum humanarum perducant; & quo supra vulgus emineat diuinamque gloriam & Auctoritatem adipiscatur, occasiones subministrant. Versandum enim est Medico inter aegrotantium gemitus, lamentationes, quiritationes, lugubresque clamores, aut inquieta desideria importunasue, morosas, & impatientes expostulationes, aut furiosos & immanes affectus; inter mulierum aliorumue necessariorum ploratus, eiulatus, querimonias, obsecrationes, anxias obtestationes, desperabundas voces, solicitudines, turbulentas agitationes; inter ministrantium consultantiumue concursationes, discursationes, ineptam sedulitatem, superuacuas occupationes, contraria priuatarum cupiditatum studia, dissidia, negligentiam faciendorum, contradictiones, additiones intempestiuas, & quae sunt similia. Et ipsi morbi admodum frequenter aut tam misere affligunt & excruciant, aut tam vehementer, aut tam subito ingruunt, vt facile misericordia & dolore frangi animo queas, ipsae autem aegritudines citum ex arena consilium opemque efflagitent. Praeterea saepe grauissima, molestissima, maximos-

mosque dolores creantia remedia experienda sunt, vrendum, secandum, terebrandum, eradicandum, &c. in quibus non decet Medicum sensuum imbecillitate, aut aegrotantium impatientia clamoribusque a proposito dimoueri; & CELSVS Lib. VII Cap. I praecipit, *Esse Chirurgus debet - - manu strenua, stabili, nec vnquam intremiscente, - - animo intrepidus, immisericors, sic, vt sanari velit eum, quem accepit, non vt clamore eius motus, vel magis, quam res desiderat, properet, vel minus, quam necesse est, secet; sed perinde faciet omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur.* Nec per diem tantum interque epulas desideriis adeuntium vocantiumue praesto esse debet medicus, sed e medio excitari somno & intempesta nocte domno proficisci non grauabitur. Inter tot igitur ac tantorum aduersorum multiplicem varietatem concatenatamque seriem vt, quemadmodum ad recte curandum necessarium est, animum imperturbatum conseruet, nec distrahatur, aut taedium concipiat fiduciamue remittat, magna sane opus est animi fortitudine, ἡσυχία, εὐσταθία τῇ ἐν ἑαυτῷ, ἀταρακτοποιησία. vid. *Commentarii* huius §. 16, & *Sect.* IX, 4. XII, 1. 2. 3. 4. 5. XVI, 1 & 3.

§. 33. Deinde cum morborum vis & misera facies, tum mortes ac funera, quam clarissima praebent documenta fragilitatis atque imbecillitatis corporis humani, quas illi vices subeundae sint, quibus malis & afflictionibus obnoxium, quam parum contra morbos & ad perpetuitatem constantiamque vitae felicitatisque valeat, quam celeriter misereque pereat, &c. Quod quum de corporum nobilissimo viderit Medicus, quid de reliquis omnibus ipsum sentire aequum est? Sic iusto rebus humanis statuto pretio, in omnibus ita versabitur, vt nullas vltra naturalem suam praestantiam aestimet; nulli permittat, vt animum perturbet, aut imperet siue actiones suas regat; sed animo illa tanquam longe infra veram hominis dignitatem posita despiciat, moderetur, & ad veros vsus adhibeat.

§. 34. Quam animi magnitudinem ac fortitudinem, vera virtute nixam, si Medicus in artis operibus perficiendis prae se ferat ipsisque dictis ac factis de sese demonstret, sicuti frequentes eum occasiones admonent & exsuscitant, ipsaque iubet necessitas: non poterit

rit aliter fieri, quam vt ii, qui nimio rerum humanarum ſtudio tenentur & cupiditatum explendarum fluctibus fortunaeque viciſſitudinibus agitantur, tali diuerſa animi conſtitutione viuendique more, tanquam re minime vulgari & praeter opinionem captumque aut ſenſum accidente, magnopere percellantur, & vel aliquid diuini hoc eſſe credant, & talem hominem ſibi imperare, monita, conſilia, mandata, agendi viuendique praecepta dare, facillime patiantur; qui vero ſimiliter animo affecti ſunt, in altero talem praeſtantiam *mentis & incoctum generoſo pectus honeſto*, vehementer adament, cultuque & honore proſequantur; ſi qui autem talem virtutis fulgorem, prae maleuolentia & liuore contrariisque ſtudiis, ferre non poſſint, tamen non audeant aperte ipſos oppugnare aut recta contra ire, ſed cauillando, male interpretando, ambigua captando, clam & ex inſidiis moleſtias faceſſere contendant, ipſi ſibimet ſuisque commodis maxime aduerſantes. Ille quidem talis Medicus, iſta ratione res ſuas agendo, ζήσῃ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις, quemadmodum EPICVRVS ſcripſit: vid. *Proleg.* §. VI not. 1. Conf. infra *Sect.* XVIII, 2.

§. 35. Et ita quidem in praecedentibus ſatis, vt videtur, demonſtratum eſſet, ipſam Medicinalium operum exercitationem illa Medicis praebere argumenta, quibus intelligere atque perſpicere poſſint, hanc artem non poſſe recte aut honeſte exerceri ab eo, qui intemperanter ac proterue agit, illiberalem quaeſtum ſibi propoſitum habet, inexplebilem cupiditatem, libidinem, rapinas, atque impudentiam exercet: *Sect.* VI, 3. Etenim in ſuperioribus praeceptum eſt, neceſſe habere Medicos contrarias his vitiis virtutes colere, vacuitatem ab habendi cupiditate, tranquillitatem, modeſtiam, verecundiam, puritatem animi, excelſitatem.

§. 36. Hanc omnis virtutis diſciplinam Medici paratam habent in conſuetudine cum hominibus & commercio rerum humanarum: πρὸς ἰητρὸν γὰρ οὐ μικρὰ συναλλάγματα τοῖσι νοσοῦσίν ἐστιν, ait Hippocrates περὶ ἰητροῦ· vid. Proleg. §. XXIV n. 5. Oſtenſum autem iam in ſuperioribus, vbi tulit occaſio, eſt, cum quam varii generis aegrotantibus eorumue propinquis aut neceſſariis, &

quo-

quomodo, verſandum ſit: quae ſane commercia hominum & rerum vſus Medico ampliſſimam praebent palaeſtram exercendarum quarumuis virtutum. Caeterum ſit veriſimile, Auctorem illis verbis, ἡ γνῶσις τῶν προσιόντων, digitum intendiſſe ad illud Pythagoricae diſciplinae inſtitutum, quo illorum, qui ad magiſtrum diſcendi gratia accedebant, indolem, naturam, habitum, dicta ac facta diligenter explorare moris erat: vid. *Proleg.* §. VII not. 1. De τέκνοις ipſorum artificum, (quanquam & aliorum liberos hic ſimul intelligi, ratio rei poſtulet) adſcribendus erit locus ex IVREIVRANDO, Καὶ γένος τὸ ἐξ ἑωυτέου (τοῦ διδάξαντός με τὴν τέχνην ταύτην) ἀδελφοῖς ἴσον ἐπικρινέειν ἄῤῥεσι· καὶ διδάξειν τὴν τέχνην ταύτην, ἢν χρηίζωσι μανθάνειν, ἄνευ μισθοῦ καὶ ξυγγραφῆς· παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος καὶ τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσιος μετάδοσιν ποιήσασθαι υἱοῖσί τε ἐμοῖσι καὶ τοῖσι τοῦ ἐμὲ διδάξαντος, καὶ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοις τε καὶ ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ, ἄλλῳ δὲ οὐδενί. Quibus verbis ſimul arctioris inter Medicae artis profeſſores & alumnos cultae Amicitiae ratio & quaſi forma proponitur, ſimilis illi Pythagoricae, de qua *Proleg.* §. VII not. 9 & 10. Conf. Io. Henr. MEIBOMIVS *in Commentario ad Iusiurandum Hippocratis.* Add. Νόμος extr. Declarat igitur Hippocrates, illam ipſam Philoſophicorum de virtute praeceptorum ſcientiam & exercitationem Medicos conſequi in ipſo hominum commercio & in mediis vitae communis actionibus; neque hactenus Medicinalem profeſſionem in eo deteriorem eſſe Philoſophia, quod Medici neceſſum habeant verſari inter homines & quorumlibet negotiorum ciuilium varietatem, quum contra Philoſophi ſeſe abſtrahant a ſocietate vulgari hominum gerendisque negotiis, & contemplationibus ſe dedant; vid. *Proleg.* §. VI: ſed iſta ratione Medicinalem diſciplinam eandem praebere cultoribus ſuis copiam & facultatem cognoſcendae colendaeque virtutis, quam Philoſophia ſuis contemplando ſpeculandoque promittat.

§. 37. Concludit Hippocrates, Quandoquidem Medicina iisdem quibus Philoſophia, virtutibus, ratione adhuc expoſita, cultorem

ſuum

um inſtruat, & Medicus, ad artis opera recte honeſteque peragenda, plurimis in caſibus & occaſionibus, frequentiſſime, Philoſophicam ſcientiam virtutisque habitum ipſis dictis ac factis viuendique more demonſtrare, neceſſe habeat: eatenus Medicinam Philoſophiae cognatam eſſe, meritoque Philoſophiam quandam appellari poſſe.

COMMENTARIVS VII

AD SECT. VII.

§. 1. Venimus iam ad eam libelli partem, quam explicatu difficillimam iudicarunt interpretes: ex quibus ZVINGER. p. 87 Hippocratem hic loqui ait *verbis adeo obſcuris, vt Delio natatore videamur opus habere.* Io. Andr. SCHMIDT, in Diſp. *de Theologia Hippocratis Naturali* p. 22, ſcribit, haec, *fatentibus interpretibus, difficilia eſſe, quod breuitatem affectans pro more auctor, multa ſubticuit, quorum praeſentia claram ſententiam absque dubio redderet.* Etiam Dan. LE CLERC, *Hiſt. de la Med.* P. I L. III Ch. 29 propter obſcuritatem non audet ſententiam huius loci referre: neque ei *Dacerii* interpretatio ſatisfecit. Communiter autem committunt Sectionem VII & VIII, quae nobis diuerſa argumenta tractare, proptereaque ſeparandae viſae ſunt. Caeterum hic *locus perquam elegans* dicitur ap. SCHMIDT c. l. p. 13 §. 3: adeoque praecipuus eſt, quo illa Diſputatio nitatur, eundemque ab omnibus vt maxime inſignem de hoc argumento, in toto ſcriptorum Hippocratis volumine, adhibitum videre licet.

§. 2. Poſtquam Auctor ſapientiſſimus oſtenderat, omne virtutum & officiorum genus non minus in legitima Medicinae profeſſione ineſſe quam in Philoſophorum diſputationibus: nunc ad praecipuam praeſtantiſſimamque philoſophiae tractationem procedit, demonſtraturus, quomodo ſeſe Medicinalis ars habeat ad religionem ſ. doctrinam ſenſumque de Deo. Et, qui Medicum appellauerat ἰσόθεον, Sect. V extr. eidemque tribuerat ὑπεροχὴν θείαν, VI, 1 extr.

vti-

vtique debet ostendere, ipsum Deum diuinamque naturam non esse incognitam in Medicinali disciplina. Quanam ratione, quantoque studio Philosophi communiter, praesertim Pythagorici, grauissimam hanc de Deo & diuinis quaestionem tractauerint, expositum est in *Proleg.* §. III not. 3 & 4. §. V n. 1 per tot. §. VIII n. 6 & 8. add. ib. §. VI n. 4 & 5. Ex quibus quum appareat, circa res diuinas ac caelestes studium Sapientum praecipue, & fere vnice, fuisse occupatum, tanquam in quibus proprie verum insit: simul intelligitur connexionis in textu, per particulas caussales καὶ γὰρ, ratio; quo orationis filo significare nimirum Auctor vult, Quum proxime ante dixerit, Medicinam, quia disciplinâ sua omnes, in praecedentibus propositas, virtutes & officia complectatur, propterea recte appellari posse quandam Philosophiam; occurri autem sibi possit, Philosophiam, proprie sic dictam, non versari circa res humanas communisque vitae negotia, neque adeo circa virtutes, quae eo pertinent, practicas, sed eam demum veram atque legitimam esse ac dici Philosophiam, quae in rebus Diuinis contemplandis studium suum operamque habeat positam: hoc igitur quasi concedens Hippocrates, nihilo tamen minus etiam hactenus ait appellationis suae, qua Medicinam vocauerit Philosophiam, constare certam firmamque rationem: Nam etiam Deorum cognitionem intime connexam esse cum Medicina, pariter ac Philosophi illam sibi praecipue colendam existiment.

§. 3. Nec poterat a Philosophis aliter fieri, quin in indagandis rerum principiis ac caussis tandem ad aliquam primam atque principem omnium caussam peruenirent: quemadmodum de maximo philosophorum, Aristotele, perhibetur, eum, postquam nihil non acerrimo studio iudicioque peruestigauerat, postremo exclamasse, *O ens entium miserere mei!* Vid. PFANNER. *in Syst. Theol. Gent.* Cap. II §. IX p. 56: itemque de hac inuocandi formula *Proleg.* §. V not. 1 §. 5 extr. Vbi quoque demonstratum est, veteres Sapientes statuisse vnum summum Deum, κατ' ἐξοχὴν ita vocatum, vulgo Iouem, principem reliquorum: qui *Deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi* appellatur M. FABIO *Inst. Orat.* Lib. II, 16, 12; & nonnullos in Atheorum numerum fuisse reiectos propterea,

quod vnum tantummodo Deum posuerint, docet Voss. *de Theol. Gent.* Lib. I c. 1. Quum autem plurium numero Deos dicebant, intelligi volebant Angelos siue daemonas & heroas; hosque reliquos Deos totum mundum & res humanas moderari & gubernare sub supremo illo omnium domino existimabant: quemadmodum in *Proleg.* d. l. declaratum est. Hinc patet significatio ratioque vocis θεῶν. Daemonum autem & Heroum nomina etiam ap. Hippocratem inueniri, infra dicetur: similiterque, Hippocratem omne quod a Deo est, vocabulo τοῦ Θείȣ comprehendere solere.

§. 4. Quum vero Diuina natura non sub sensum corporis cadat, sed sola mentis inuestigatione cognosci & intelligi possit: ideo diserte pronunciat Auctor, hanc de dIs scientiam esse εἴδησιν ἐν νῷ, siue sensum animi, qui ex attenta rerum contingentium obseruatione nascitur. Similiter distinguebant Pythagorei inter αἰσθητὰ & νοητά· vid. *Proleg.* §. VI not. 4. Conf. SVIDAS V. Νοῦς. Sic, τὸν πρῶτον θεὸν Pythagoras vocat τὸν νοητόν· v. *Proleg.* §. V not. 1 §. 5. add. ib. §. VI not. 1.

§. 5. Porro perspicuum est, auctorem ex Practica tantum Medicinae parte, τοῖσι πάθεσι καὶ συμπτώμασιν, argumenta ducere pietatis ac reuerentiae Medicorum erga Deum. Nam hanc artem morborum medicatricem, solam quidem Hippocrates medicinae nomine appellauit, ad eamque quam rectissime exercendam, omnem mentis industriam, studium, operamque contulit, eodemque omnis generis doctrinarum subsidia aduocauit. Conf. *Sect.* VIII, 2. IX-XVII. Mecum hactenus planissime consentit SCHELHAMMER. *de Medico Philos.* Thes. V *.

§. 6.

* Quanquam igitur per se verissima sint, quae scribit M. le FRANÇOIS *dans les Reflexions Critiques sur la Medecine*, T. II Chap. VIII pag. 326, *Les Medecins, qui par le devoir de leur profession sont continuellement occupés à examiner ce qui ce passe dans le corps humain; sont donc portés par l'admirable disposition qu'ils y remarquent, à reconnoître la souveraine Intelligence qui l'a produit:* tamen inde argumentum religionis hoc quidem loco non ducitur, nec proinde vero textus nostri sensui ac scopo plane respondent, quae apud eun-

§. 6. Sed & de ipſa artis exercitatione loquitur Hippocrates, non de nuda praeceptorum medicinalium perceptione. Nam licet in tradendis artis huius praeceptis ſ. theoretica medicinae tractatione poſſint etiam moneri alumni diſciplinae de argumentis, quae in medicina pro religioſo numinis cultu deprehenduntur: tamen nec ita clare & euidenter cognoſcere eadem licet, niſi in ipſa praeſentium morborum medicatione verſamur, vt

ante oculos interque manus ſint omnia noſtras;

nec fuit alia Hippocraticae diſciplinae ratio, quam vt cum praeceptorum artis traditione ſimul ad ipſa praxeos opera adhiberet diſcipulos: id quod ſupra IV, 7 vocat εἰδέναι ἔργον τὸ ἐκ μαθήσιος· it. in *Praeceptionib.* I, 7 τριβὴν μετὰ λόγου. Quin etiam, quum in doctrinae medicinalis inſtitutione debeant omnia per cauſſas & vires corporum naturalium tradi & explicari, quaque ratione & quatenus morbi ſecundum easdem rerum naturalium poteſtates curandi ſint, doceri: hinc procliuis eſt, qui haec ita didicit, ad eam opinionem, vt in ſecundis cauſſis ſubſiſtat, neque vltra in indagatione progrediatur; tum putet, ex hac ſola ſcientia curari morbos poſſe, & quae Dei ſint hoc in negotio partes, fere negligat.

§. 7. Duo autem praecipua ſunt, quae inter medendum omni arte ſuperiora deprehenduntur, *Natura* humana rerumque naturalium eam afficientium, & *Diuinum in morbis*; vtraque praeſentis Numinis argumenta. Et ad Naturam quidem quod attinet, in eo magnus eſt medicorum inde ab Hippocrate conſenſus, vt naturam hominis cum ipſam per ſe mederi morbis in corpore contractis ſtatuant, tum optimam viam ac methodum oſtendere, qua vtentes medici feliciter in arte ſua verſentur: vt adeo ſumma medicorum ars in eo con-

eundem Auctorem ſequuntur, *C'eſt ce qui a fait dire à Hippocrate, que la Medecine a une grande veneration pour les Dieux; & que les Medecins ont cela de commun avec les Philoſophes, ou avec ceux qui font profeſſion de la ſageſſe, qu'ils ont la connoiſſance de la Divinité fortement imprimée dans leur eſprit.*

conſiſtat, vt naturae molimina quam diligentiſſime obſeruent, eius veſtigia premant, & in admouendis remediis illius velut nutum ſequantur. Quo pertinent πολυθρύλλητα iſta Hippocratis Epidem. VI t. 5 T. I pag. 809 Lind. *νούσων φύσιες ἰητροί·* & ibid. *ἀνευρίσκει ἡ φύσις αὐτὴ ἑωυτῇ τὰς ἐφόδους, οὐκ ἐκ διανοίης·* it. ib. *ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, τὰ δέοντα ποιέει.* &c. Conf. *de Reſectione* extr. & *de Alimento* IV pr. & IIX, 8. In his & ſimilibus locis quum de Humana Natura loquatur Hippocrates; hominis porro natura quum partim ad ea pertineat, quae mechanicis legibus, tanquam affectiones corporis ſubiecta ſunt; partim ad ens in homine ſentiens, intelligens, & ex arbitrio voluntatis agens, ſuarumque ſibi rerum conſcium; partim denique ad ea, quae in animali oeconomia ex certo ſenſu, & ad certum neceſſariumque finem fieri obſeruantur, nullo licet conſilio aut conſcientia mentis: haec diuerſitas apud eos, qui vnum his rebus principium ſupponere voluerunt, opinionum diuortia peperit, ita vt alii Naturam in mechanica corporis eiusque partium fabrica motuque poſuerint; alii vero in anima, rurſusque vel in ſola rationali, vel in triplici illa, vegetatiua, ſenſitiua, & rationali; alii in ſpiritibus variorum generum; alii in archeo quodam, ſubtiliſſimo aethere, &c. Et artificioſiſſimâ quidem partium omnium fabrica corpus conſtructum eſſe, manifeſtum eſt, nec quascunque functiones adminiſtrari poſſe, niſi certâ aptâque partium ſtructura motuque praeſente & integro manente. Ad quam machinam efficiendam, mouendam, conſeruandam, perſpicuum pariter eſt, opus eſſe fabricatore; tum principio motum praeſtante. Et ad fabricatorem quod attinet, ſtaminum corporis compagem inde a principio creati generis humani repetere velle, hypotheſi niti videtur cum incertâ, tum aliis experimentis contrariâ. Licet enim videre quotidie, deperditas vulneribus, fracturis, attritu, reſectione, &c. corporis partes ſolidas regenerari, cutem, vngues, pilos, oſſa, carnem; adeoque partibus, quas in prima rerum origine exſtitiſſe ſumitur, amiſſis, alias enaſci. Principium mouens ſtatuere animam, eamque rationalem, conſentaneum videtur in iis actionibus, quae ab illius voluntate pendere obſeruantur: nam quicquid etiam contradicant, qui res corporis & animae, ſua cuius-

que

que ſeparatim virtute adminiſtrari, tantummodoque ſimul contingere, ſibi perſuadent, non ex ſe inuicem pendere; hoc certo apparet, poſt actum aliquem alterius, ſequi effectum in altero. In iis autem functionibus, naturalibus ſic dictis vitalibusque, quarum mens ſibi nullatenus conſcia eſt, eandem tamen facere auctorem aut moderatricem, certe fallaciae hypotheſeos obnoxium eſt.

§. 8. Quare, quum iſta ſuppoſita ex ratiocinio mentis producta ſint, non veris ipſorummet naturalium phaenomenorum obſeruationibus aut experimentis innitantur aut comprobentur; quae quidem ſtatuendi ratio a methodo Hippocratis quam maxime diuerſa eſt, ſicut ipſe ſupra totâ *Sect.* IV edocuit, itemque ex aliis eiusdem locis perſpicuum eſt, vid. *Proleg.* §. XI, ibidemque inprimis *not.* 1: aliam quodammodo Naturae Hippocraticae ſignificationem eſſe neceſſe eſt. Iam autem in *Commentario* IV §. 2 ſeqq. ſatis, cum Auctoris verbis tum coaeuorum teſtimonio, demonſtratum videtur, Hippocratem hoc Naturae vocabulo ſignificare omne id, quod cum in vniuerſo tum in ſingulis rebus, partibus nimirum in vniuerſo inter ſe connexis, ſponte ſua propriaque inſita vi, ſine vlla artis humanae opera, effectus edit. Vnde conſequitur, in homine voce Naturae comprehendiſſe Hippocratem & ea quae vi ac virtute mentis efficiuntur, & ea quae ſine conſilio animi ipſoque inſcio quidem adminiſtrantur, tamen a principio quodam, vi ſpontanea, & ad certum finem agente, fieri deprehenduntur *: neque hic mechanicam, ſ. organicam

* De ſenſu Naturae humanae memorabiles conſcripſit verſus, magnus naturae Myſtes, Exc. HALLERVS, in poëmate profundi ſenſus, *de Origine Mali*, Lib. 2 v. 158 ſeqq.

Ein wachſames Gefühl liegt innert uns verborgen,
Das nie dem Uebel ſchweigt, und immer leicht verſehrt,
Die ſämtliche Natur zu ſeiner Raach bewehrt.
Im zärtlichen Gebäu von Wunder-kleinen Schläuchen
Die jedem Theil von uns die Kraft und Nahrung reichen,
Bräch jedes Ueberwicht den ſchwachen Faden ab:
Und die Geſundheit ſelbſt führt unvermerkt zum Grab.
Allein im weichen Mark der zarten Lebens-Sehnen
Wohnt ein geheimer Reiz, der zwar ein Brunn von Thränen,
Doch auch vom Leben iſt; der wieder einen Feind,
Der ſonſten unbekant uns auszuhöhlen meint,

 Uns

ganicam dicere mauis, corporis fabricam vlla ratione excludi posse, sed vtique necessariam esse ad vtrumque actionum genus praestandum. Quod autem Hippocrates non plus hac de re tradiderit, id ei nemo iure vitio vertere potest, nisi qui aut plus scire sibi arrogat quam per rerum naturam licet, (cuiusmodi homines ipse redarguere videtur Hippocrates loco *Comment.* II §. 5 producto) aut hypothesium studio tenetur. Alias Hippocratem mentem & animam & aërem & ignem, & alia quae ad afficiendum, mouendum, immutandum corpus aliquid conferunt, & nomine & re distinxisse, infra patebit.

§. 9. Quae quum ita sint, non poterit ab Hippocratica Naturae notione excludi animae intelligentis atque ex certo consilio ad propositum

Uns zwingt zum Wiederstand: er schliesst die regen Nerve
Vor Frost und Salze zu: er überschwemmt die Schärfe
Durch Zufluss süssen Safts: er kühlt das salze Blut,
Durch Zwang von heissem Durst, mit Strömen dünner Flut.
In allen Arten Noht, die unsre Glieder fäulet,
Ist Schmerz der bittre Trank, womit Natur uns heilet.

Quorum intellectum sic reddi posse existimo;

Corporis in latebris humani peruigil imis
Sensus inest, qui continuo quodcunque molestum
Corripit, & noxâ propere irritabilis, vnà
Omnem vindicibus Naturam exsuscitat armis.
Namque, quod exili vitalia stamina filo
Pendent, & mire tenues tenereque coacti
Vtriculi viresque fouent succosque ministrant:
Hinc quisque excessus compagem rumperet aequam;
Atque adeo vitam vitae vis destruit ipsa.
Hoc metuens Opifex, fibris vitae abdidit imis,
Mollibus & nerui fixit clausitque medullis
Secretum stimulum, vitae paritérque dolorum
Auctorem; qui hosti, sub fundamenta cauanti,
Obniti cogat, vegetos qui frigore neruos
Contrahat, & salibus: qui succos dulcibus acres
Diluat, atque, vrente siti monitore, cruoris
Feruorem irriguis humoris temperet vndis.
Sic omnem contra tabem, quae membra putrore
Solueret, auxilium dat fel Natura doloris.

positum finem res suas administrantis opera: & ipsum hoc eius dicta sententiaeque nimis manifesto declarare videntur. Sic, e. c. in libello *de Natura Hominis*, extr. n. 93 seqq. p. 283 Tom. I Lind. recensitis compluribus humanae compagis partibus, ita pronunciat, Ἡ δὲ ἀσώματος ἐν μυχοῖς φύσις ἐξέτευξε παντάμορφα σπλάγχνων γένη· ἃ δὴ θάνατος ἐπισταθεὶς, ὠκέως ἔπαυσε λειτουργίης. *Natura, a corpore distincta, & in intimis corporis penetralibus residens, fabricauit ista multiformia viscerum genera: quae quidem mors, repente superueniens, confestim ministerio, s. fungendo munere, priuat & quieta reddit.* Et ibid. n. 76 seqq. Ἡ δὲ γειτνιῶσα ταύτῃσι μήτηρ βρεφέων, ἡ δεινὸν ἄλγος, τῶν ἐν γυναικὶ μόχθων μυρίων παραιτίη, πεφώλευκεν μήτηρ, ἐκ τόκου προνοίης. *His partibus vicina est matrix (vterus) infantum, grauissimorum illa dolorum effectrix, & praecipua mille aerumnarum in mulieribus caussa: profunde autem latet vterus, idque factum est ex prouida partus edendi cura* *. Add. locus ex lib. περὶ τέχνης, quem supra in *Comm.* V §. 5 similiter de principio quodam, contractis morbis ex certo eorundem sensu iudicioque remedium afferente, exposui, vulgarem interpretationem, vbi de artis opera, non de natura, intelligitur, euidenti verborum relationi contrariam arbitratus. Quae ne frustra dixisse videar, en iudicium Viri, qui profecto nihil temere affirmare solet, Exc. HALLERI, *in Not. ad H. Boerhaaue Praelect. in Inst. Med.* Vol. I §. CVII not. [4] p. 413, *Hippocratis Natura, crisium caussa & sanationis, non absque aliqua intelligentia fuisse videtur.* Quibus plane consentiunt verba Auctoris, supra iam §. 5 not. * allegati, eodem libro Tom. I Chap. VIII p. 334, *Hippocrate a reconnu constamment un principe general dans le corps, qu'il appelle Nature, auquel il attribue beaucoup plus qu'on ne fait d'ordinaire; il semble même, qu'il lui donne une espece d'intelligence.*

§. 10. Patere igitur videtur, Hippocraticam Naturae cognitionem nihil esse aliud praeter obseruationem effectuum, quos quaeque res insita propriaque vi, mechanismo, ac legibus efficit ac prodit:

* Vulgo hanc πρόνοιαν τόκου perperam accipi video de prouidentia opificii s. summi opificis: licet ad eundem quoque pertineat haec prouida partus cura.

dit: ipſa vis & interior mechaniſmi ac legum ratio profunde latet. Porro, ipſi illi effectus, ſimul ac obſeruantur, ſtatim cauſſam eorum aliquam ſubeſſe, mentibus noſtris ingerunt. Et quum effectus tam ſint admirabiles, non poteſt non intima in animo medici haec cogitantis, ſubnaſci veneratio ac religio erga cauſſam primariam, περιττὸν ἐν ἰητρικῇ τὸ δυναστεῦον, Deum. Huc conuenit eximius locus in Lib. I de Diaeta, VI, 21 Lind. ἃ μὲν πρήσσουσιν, (videlicet ignis & aqua, principia rerum naturalium) οὐκ οἴδασιν· ἃ δὲ πρήσσουσι, δοκέουσιν εἰδέναι· καὶ θ' ἃ μὲν ὁρῶσιν, οὐ γινώσκουσιν· ἀλλ' ὅμως αὐτοῖσι πάντα γίνεται δι' ΑΝΑΓΚΗΝ ΘΕΙΗΝ· & ibid. XII φύσιν δὲ παντὸς θεοὶ διεκόσμησαν. κ. τ. λ. Inprimis vero quum in curandis morbis medicus debeat Naturae tantum miniſtrare, (ſ. ſeruire, qua de re praeclare dixit b. BOERHAAVE *in Orat. de Honore Medici, Seruitute*) Natura autem plurima & potiſſima, δι' ἀνάγκην θείην, peragat: hactenus quoque apparet ratio illorum in textu verborum, οὗτοι (οἱ θεοὶ) πολλὰ μὲν μεταχειρέονται, πολλὰ δὲ καὶ κεκράτηται αὐτέοισι δι' ἑωυτέων. Conf. *Commentar.* VI §. 27-29. *

§. 11. In morbis autem obſeruare licet cum communem omnibus eiusdem ſpeciei perpetuumque morem, habitum, ſymptomata; tum praeterea varietatem aliquam & anomaliam in iisdem rebus, quae in typo diuerſitas ex conſtitutione temporum epidemica deriuari conſueuit, ipſo quidem viam aperiente, in *Epidemiorum* libris, Hippocrate. Equidem de hac duplici varietate libenter interpretarer textum illum Hippocratis, qui reperitur in principio libri *Prognoſtici*, & permultis diſputationibus * * anſam dedit: eſt autem hic, I, 9 ſeqq.

*ZVINGER. p. 89 *Vt maxime per cauſſas intermedias & veluti inſtrumentales dI morbos immittant, & propterea videatur ſuperfluum, ad cauſſas illas primas morborum ortus & ſucceſſum referre: attamen in Naturae operibus & accidentiis conſiderandis, Deum Naturae principem & auctorem agnoſcere, non modo non otioſum, ſed & neceſſarium putat Medicus. Non enim quia naturales ſunt cauſſae morborum, deorum eſſe nullam potentiam: ſed, quia deorum eſt in morbis potentia, iccirco naturales cauſſas, per quas agunt, conſiderari debere & vere & pie iudicat. Id quod Auctor com.* de Morbo Sacro *pluribus confirmat.*

** Nouiſſima, & quae ſimul caeterarum ſummam recenſet, eſt Inauguralis

ſeqq. Lind. *Homines alii moriuntur ante, quam medicus aduocari poſſit, idque propter vehementem morbi vim: alii vero, quanquam medicum aduocauerint, tamen celeriter occumbunt; & eorundem alii poſtquam vnum tantummodo diem ſuperuixerunt, alii paullo longiore temporis interuallo, vtrique prius quam medicus ſingularem morbum arte oppugnare poſſit.* Γνόντα οὖν χρὴ τῶν παθέων τῶν τοιουτέων τὰς φύσιας, ὁκόσον ὑπὲρ τὴν δύναμίν εἰσι τῶν σωμάτων· ἅμα δὲ καὶ, εἴ τι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσοισι, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν. *Quapropter medicum oportet, quum eiusmodi affectionum* Naturas *cognouerit, quantum eae ſuperant vires corporum; tum vna quoque, ſi quid* Diuini *adeſt in morbis, huius etiam praeſagium ediſcere.*

§. 12. Cui quidem loco perquam ſimilis videtur alter, *Epidem.* I Sect. 3 princ. p. 670 T. I Lind. *Quae circa morbos accidunt, quorum accidentium cognitione inſtructi morbos ipſos dignoſcimus, haec ſunt: communis omnium hominum natura, & ſingularis cuiusque: morbus: aegrotus: remedia adhibita, & qui iſta adhibet: Epidemica Aëris conſtitutio cum vniuerſalis tum ſecundum partes caeli regionum & vniuscuiusque terrarum tractus: conſuetudo: victus ratio: ſtudiorum & exercitationum genera: aetas cuiusque: quae per paroxyſmos excernuntur: quotupliciter, & cum quibus mutationibus, morbi ſibi inuicem ſuccedunt, eorundemque abſceſſiones ad exitium & ſalutarem ſolutionem. Ex quibus, & quae per eadem eueniunt, conſideratio inſtituenda eſt.* Quarum diuerſitatum caeterae, non omnes quidem poſſunt ad Naturas morborum referri, ſed tamen facile deprehendi, & ad cognoſcendas morborum naturas adhiberi: contra vero, Aëris conſtitutio, huiusque vis, & agendi ratio, ſemper per ſe incognita manens, ſolis effectibus ſe exſerit; quamobrem merito Diuinum quid dici poſſe videtur, quum nuturales eius rationes perſpici nequeant. Add. locus ex princ. libri *de Natura Muliebri*, infra §. 15 explicandus.

§. 13. Opus autem videtur etiam exponere preſſius, quae generatim fuerit Hippocratis de Aëris in afficiendo corpore humano effectibus

lis Doctiſſimi Viri Car. Phil. GESNERI, Phil. & Med. D. *de Diuino Hippocratis*, habita Kal. Iul. 1739, Gottingae.

ctibus ſententia: id quod optime ex libello *de Flatibus* oſtendi poſſe arbitror. *Vna eſt*, inquit ib. IV, 3 Lind. *morborum omnium* ἰδέα *ſ. forma, & eadem omnium cauſſa. Quaenam autem haec cauſſa ſit, in ſequente oratione exponere conabor. Nimirum, corpora hominum pariter ac caeterorum animantium, triplici alimentorum genere ſuſtentantur: quae quidem alimentorum genera appellantur* σῖτα, ποτὰ, πνεύματα, *eſculenta, potulenta, ſpiritus. Porro, Spiritus, qui intra corpora concluſi ſunt,* φῦσαι, *flatus vocantur: qui vero extra corpora exſiſtunt,* ἀὴρ, *Aër.* οὗτος δὲ μέγιστός ἐστιν ἐν ἅπασι τῶν συμπτωμάτων δυνάστης. *Et hic maximus eſt in omnibus accidentibus dominus*, plurimum valet in afficiendo mutandoque corpore, ſymptomatisque morborum producendis. *Quapropter operae pretium fuerit, illius potentiam conſiderare.* (V) *Eſt autem ventus, fluxus & diffuſio aëris. Quum igitur magna aëris copia validum fluxum commouerit, tum & arbores radicitus euelluntur vi vehemente ſpiritus, & mare fluctibus conturbatur, & onerariae naues immenſa magnitudine in altum eiaculantur. Huiusmodi igitur in his habet poteſtatem. Quanquam autem oculorum ſenſu percipi non poſſit, tamen cogitatione manifeſto intelligitur. Quid enim fiat ſine hoc aëre? aut a qua re hic abeſt? aut cui non vna adeſt? Etenim omne ſpatium inter caelum & terram repletum eſt ſpiritu: hic tam hiemis quam aeſtatis rationem continet, quum hieme denſus & frigidus fiat, in aeſtate vero mitis & tranquillus. Adhaec, iter ſolis lunaeque & omnium ſtellarum per ſpiritum procedit: igni enim alimentum praebet ſpiritus: ſi vero ignis priuetur ſpiritu, non poterit viuere ſ. vigere. Hinc eſt, quod curſum ſolis, vt perpetuus ſit, aer, qui perpetuus & tenuis exſiſtit, efficiat. Sed & de mari perſpicuum eſt omnibus, illud particeps eſſe ſpiritus. Non enim viuere natantia animalia poſſent, niſi communionem ſpiritus haberent: quanam vero alia ratione communionem haberent, niſi aut per aquam aut ex aqua aërem attraherent? Et terra quidem huic aëri fundamentum praebet, quo firmiter incedere queat: ipſe vero terrae vehiculum eſt, adeoque nihil ab illo vacuum eſt. Sic expoſitum eſt, quemadmodum quamque ob rem aër in caeteris rebus tantum valeat.* (VI) *Vt autem ad inſtitutum ſermonem reuertar, idem hic aër cum vitae cauſſam continet in mortalibus, tum morborum in aegrotantibus. Tanta autem neceſſitas*

fruendi

fruendi spiritus vrget omnia corpora, vt, quanquam homo, etiamsi ab omnibus aliis & esculentis & potulentis abstineat, nihilominus duos adhuc & tres pluresque adeo dies viuere potest, si tamen quis vias, per quas spiritus in corpus commeat, interceperit, breui particula diei homo intereat: idque propterea, quod corpori maxime necessarius est vsus spiritus. Quod vt adhuc magis patescat, in aliis quidem, quae agunt, omnibus aliquando intermittunt homines; quandoquidem vita plena est vicissitudinum: hoc autem vnum semper omnia mortalia animantia agere perseuerant, vt per vices inspirent & exspirent. Expositum igitur est, magnam communionem aëris habere omnia viuentia animalia. Iam statim porro persequar dicere, ὅτι οὐκ ἄλλοθέν ποθεν εἰκός ἐστι γίγνεσθαι τὰς ἀῤῥωστίας μάλιστα ἢ ἐντεῦθεν, *non aliunde, verisimile esse, vnquam morbos generari potissimum, nisi illinc,* ex aëre sc., *quando hic nimirum aut maiore copia, aut minore, aut quoque densior, & morbidis inquinamentis contaminatus, in corpus ingreditur. Atque haec de vniuerso argumento dixisse sufficiat. Posthaec autem, quum ad ipsa singularia naturae opera s. effecta* (πρὸς αὐτὰ τὰ ἔργα) *sermone progressus sum, ostendam,* τὰ νουσήματα τούτου ἀπόγονα καὶ ἔκγονα πάντα ἐόντα; *morbos ex hoc aere & nasci & propagari omnes.* Etc. Atque adeo iam Corn. CELSI testimonio, Lib. I praef. p. 5 in. Almel. constat, *in spiritu omne vitium esse, Hippocrati visum fuisse.*

§. 14. Nunc quoque, quam clarissime fieri poterit, ostendendum erit, quid illud sit, quod Hippocrates nomine τοῦ Θείου, *Diuini*, appellauit, quantum id ex libris ei tributis intelligi potest. Praecipuus autem, vbi hoc nomen frequentissime vsurpans, variis, quas illo significari vult, rebus attribuit, est Liber *de Morbo Sacro* dictus: vnde igitur potissimum notio vocabuli eruenda videtur. Principio, I, 2 Lind. ait, Hic morbus, sacer vocatus, οὐδέν τί μοι δοκέει τῶν ἄλλων θειοτέρη εἶναι νούσων, οὐδὲ ἱερωτέρη· ἀλλὰ φύσιν μὲν ἔχειν, ἣν καὶ τὰ λοιπὰ νουσήματα, ὅθεν γίνεται. φύσιν δὲ αὐτῇ καὶ πρόφασιν οἱ ἄνθρωποι ἐνόμισαν θεῖόν εἶναι, ὑπὸ ἀπειρίης καὶ θαυμασιότητος, ὅτι οὐδὲν ἔοικεν ἑτέρῃσι νούσοισι. - - - εἰ δὲ διὰ τὸ θαυμάσιον, θεῖον νομιεῖται, πολλὰ τὰ ἱερὰ νουσήματα ἔσται, καὶ οὐχὶ ἕν. - τοῦτο μὲν γὰρ οἱ πυρετοὶ

- οὐδὲν ἧσσόν μοι δοκέουσιν ἱεροὶ εἶναι καὶ ὑπὸ θεοῦ γίνεσθαι ταύτης τῆς νούσου, κἂν οὐ θαυμάσιον ἔχωσι. *&c. Sacer morbus mihi videtur nihilo Diuinior eſſe neque magis ſacer quam caeteri morbi: ſed Naturam quidem, vnde fiat, habere eam, quam reliqui quoque morbi habent. Homines autem ei Naturam & cauſſam conſtituerunt Diuinum eſſe, idque propter imperitiam eorum & mirabilem morbi ſpeciem accidit, quod nullam cum aliis morbis ſimilitudinem oſtendit. - - At ſi propter mirabile, quod prae ſe fert, Diuinam cauſſam eius eſſe exiſtimandum eſt, certe complures morbi ſacri erunt dicendi, non vnus aliquis. - - Nam ſecundum hanc opinionem febres, e.c., nulla re minus ſacri morbi mihi videntur eſſe & a Deo fieri, quam hic peculiariter ita dictus morbus: quamuis non mirabile habere ii vulgo exiſtimantur. &c.* Docent haec verba, primum, ex ſententia vulgari Diuinum in morbo fuiſſe habitum id, quod a Deo fiat: deinde rationem, cur ſic ſtatuerint, fuiſſe admirationem, quam morbi ſpecies in hominibus excitauerit: tum iudicio Hippocratis, in mira morbi ſpecie non ſatis rationis ineſſe, cur praeter caeteros ſacer vocetur aut ad Diuinum referatur &c. Poſthaec III, 16 & 32 &c. τὸ θεῖον καὶ ἀνθρώπινον ſibi ex aduerſo opponit: item ib. 23 & 44 &c. τὸ εὐσεβὲς καὶ θεῖον & τὸ ἀσεβὲς καὶ ἀνόσιον· coniungit autem, n. 21 τὸ θεῖον καὶ τὸ δαιμόνιον· addit etiam, n. 43 ἡρώων ἐφόδους. (Conf. *Proleg.* §. V not. 1.) Quae quidem omnia ad impoſtorum, quos multis verbis redarguit, ſententiam referenda & intelligenda ſunt. Ipſe τὸ θεῖον ait eſſe τὸ καθαῖρον καὶ ἁγνίζον &c. vid. ſupra *Commentarius* VI §. 22. Et haec de notione qua ad Deum refertur. * *Sect.* V pr. repetitis iisdem, quae ſupra iam ab

* Ad eundem ſignificationis modum explicandus videtur locus, qui in l. *de Inſomniis* Sect. II. reperitur. *Quotquot inſomnia Diuina* (θεῖα) *ſunt & ſigna praebent de iis, quae vel vrbibus vel peculiari populo, ſiue bona ſive mala, euentura ſunt, non quidem propter ipſorum aliquod commiſſum facinus; de hiſce alii ſtudioſe excultam artem iudicandi ſe habere profitentur. Quas autem corporis aegritudines Anima inſomniis ſignificat, ad repletionem aut exinanitionem, exceſſum rerum natura inſitarum aut mutationem conſuetarum pertinentes; de iis quidem etiam iſti iudicant, partim ita vt euentus reſpondeat, partim autem fallat: ſed neutra horum ita cognoſcunt, vt rationem intelligant, quare vel vera vel falſa praenunciare contingat; & tantum admonentes, vt caueat homo, ne quid mali ipſum occu-*

ab initio propoſita fuere, verbis, diſerte pronunciat, ſecundum ſuam ſententiam, *hunc morbum in ſua Natura & Cauſſa Diuinum ſuum ab eadem re habere, vnde etiam caeteri omnes*, φύσιν τοῦτο τὸ νούσημα καὶ πρόφασιν ἀπὸ ταυτοῦ τὸ θεῖον γίνεσθαι, ἀφ᾽ ὅτου καὶ τἄλλα πάντα. &c. Ibid. n. 15 hoc axioma proponit, ἀλλὰ γὰρ αὐτοῖσιν αἴτιος ὁ ἐγκέφαλος τούτου τοῦ πάθεος, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων νουσημάτων τῶν μεγίστων, *Enimuero in illis hominibus cerebrum continet cauſſam huius morbi, ſicut etiam in caeteris grauiſſimis morbis.* Porro Cap. VI, poſtquam deſcripſerat venas ad cerebrum tendentes, ſubdit, *Per has autem venas quoque plurimum Spiritus*, τοῦ πνεύματος, *intromittimus: etenim hae ſunt in nobis ſpiracula corporis, quae Aërem in ſemet attrahunt, & in reliquum corpus perque venulas deuehunt, & refrigerant, & rurſus remittunt. &c.* Hanc de cerebro, indeque toto corpore, a Spiritu aut Aëre (qui item pro ventorum, locorum, frigoris, caloris, &c. varietate diuerſos effectus habet) male affecto doctrinam, Cap. VII-XVI perſequitur, & omnem phaenomenorum ſacri morbi varietatem ex illo principio explicat eique accommodat, ſubinde iterum admonens de argumentis, vnde morbum non a Deo eſſe, neque Diuiniorem caeteris, intelligi poſſit. Concludit, Cap. XVII, *Quae quum ita ſint, cerebrum exiſtimo multo maximam in homine obtinere poteſtatem. Hic enim, ſi ſanus fuerit, interpres in nobis eorum eſt, quae ab Aëre fiunt: & cogitationes animi ſ. ſapientiam*, τὴν φρόνησιν, *cerebro Aër confert, &c. Porro, quatenus Aëris particeps fit corpus, totum illud ſapientiam adipiſcitur: ad intellectnm vero qui nuncium perferat, eſt cerebrum. Nam quum homo Spiritum in ſeſe attrahit, primum ille ad cerebrum peruadit, & ſic deinceps in reliquum corpus diſpergitur Aër: qui quidem in cerebro relinquit ſuam ipſius maxime vegetam virtutem*, ἑωυτοῦ τὴν ἀκμὴν. *&c.* Denique Cap. XVIII, 17 ſeqq. ſic abſoluit, *Quemadmodum igitur cerebrum primum omnium eorum, quae in corpore exiſtunt, Aerem ſentit, ita*

occupet, non ſimul docent, quomodo cauere oporteat; ſed preces ad Deos fundere praecipiunt. Et precari quidem vtique decet & valde bonum eſt: verum neceſſe eſt, vt etiam homo ſuam ipſe operam coniungat cum precibus ad Deos.

ita quoque, si qua validior mutatio in Aere a temporibus anni fiat, cerebrum ipsum a se diuersum fit in aere. Cerebrum enim propterea primum sentit, quia acutissima quoque, & maxima, & perniciosissima, & quae ab imperitis difficillime diiudicari possint, morborum genera in illud incidunt, vt arbitror. Hic itaque morbus, sacer appellatus, ab iisdem caussis euidentibus nascitur, a quibus & reliqui, nimirum ab accedentibus & retrocedentibus, puta refrigeratione, sole s. calore, spiritibus, quae & frequentibus mutationibus subiacent, neque vnquam in eodem statu manent. Haec autem ipsa sunt Diuina: adeoque nihil opus est differentiam huius morbi statuere, & diuiniorem illum quam reliquos putare, sed potius omnes diuinos, & omnes pariter humanos; vnumquemque vero Naturam suam & vim in semet ipso habere, neque vllus ita comparatus est, vt explicationem aut curationem non admittat. Ex quibus omnibus confici, sine periculo erroris aut hypotheseos existimo, Hippocrati, tanquam Medico, in morbis Diuinum appellari id, quod ab Aëris in corpus effectu est. Quae huius nominis explicatio magis confirmatur, si theoria Aëris §. praec. 13 proposita conferatur. Praeterea plurimum cum his conuenit Liber *de Aere, Locis, & Aquis:* vbi e. c. Sect. XLIX plane similia ad verbum leguntur.

§. 15. Hac itaque stabilita significatione τοῦ θείου, facilis explicatu videtur locus, alias variis interpretamentis obnoxius, in princ. l. *de Natura Muliebri: De natura morbisque femineis haec dico. Maxime quidem in hominibus caussam continere τὸ θεῖον*, id quod ab Aëre est, inprimisque cerebrum afficit, & hinc corpus peruadit, varia symptomata efficiens: *deinde Naturae* (φύσιες) *mulierum & colores caussas continent.* - - Eum igitur, qui haec recte tractaturus est, oportet initium facere ἐκ τῶν θείων, ab iis, quae Aërem immutant, & hoc modo alium aërem s. spiritum intra corpus, & praesertim in cerebri vias introducendo, noxios illos alterius spiritus effectus corrigere & emendare; *deinde animum aduertere ad distinguendas cum naturas mulierum, tum aetates, tum anni tempora, itemque loca, vbi sunt. &c.* Ista porro aërem immutantia remedia puto nulla alia posse intelligi, quam suffitus, odoramenta, &c. quae cum in hystericis malis praesentissimum effectum praestare deprehendantur, tum de iisdem Hippo-

crates per totum huncce librum frequentiſſime admonet atque praecipit, itemque ſimiliter in libris *de Morbis mulierum* *.

§. 16. Quibus ita expoſitis, cum omnis Hippocratis de Diuino ſententia expedita videtur, tum locus vexatiſſimus ex l. *Prognoſtico* ſupra §. 11 propoſitus, multo facilior ad intelligendum redditus. Namque hac ibidem admiſſa ſignificatione, perſpicuum eſt, Hippocratem *Diuinum in morbis* vocare illam in morborum ſymptomatis ſ. effectibus diuerſitatem, quae praeter ſolitum atque conſtantem eorundem morem ſ. Naturas, (ſic enim appellat Auctor) adeſſe obſeruatur, quaeque non ſolum ab Hippocrate, ſed ſecundum communem omnium Medicorum ſententiam, (vnde quaſi decretum expreſſit diuinus BOERHAAVIVS, *in Aphoriſm. de Cognoſc. & Cur. Morbis*, §. 1406 ſeq.) ad Aëris in afficiendo corpore poteſtatem refertur: Adeoqne haec noſtra interpretatio quam proxime accedit ad illam GALENI, quem deinde plurimi magno conſenſu ſecuti ſunt. Vid. b. Io. Alb. FABRICIVS *ad Ioh. Stephani Theologiam Hippocr.* in B. G. Vol. XIII p. 196 not. f) & p. 233 not. i) **. Et pleroſque fere omnes de Diuino Hippocratis auctores illud itidem in Aëre vel caelo quaeſiuiſſe, docet ipſa Cl. GESNERI in ſubiecta nota allegata Diſſ., quamuis adhuc magis proprie deſignare iſtud iidem allaborauerint. Haec autem de Aëre explicatio & Hippocratis & aliorum clarorum in arte virorum doctrinis inſtitutisque multis modis conſentanea videtur. Primo enim,

* In allegatis libris etiam ſaepe commemoratur τὸ ϑεῖον ea ſignificatione, qua *ſulphur* ſignificat, idemque ad diuerſa remediorum vterinorum genera adhibendum commendatur: vnde poſſet fortaſſis alicui ſubnaſci ſuſpicio, propoſita verba de ſulphure accipienda eſſe.

** V. Cl. C. P. GESNER. *in Diſſ. de Diuino Hippocratis*, excuſſis aliorum plurimorum ſententiis, eo tandem euadit, vt Hippocratem cenſeat, cum omnia, quae huius vniuerſi complexu continentur, nomine τῶ ϑεῖυ comprehendiſſe, Deum puta ipſum, eiusque opera, deinde preces ad Deum, & morbos omnes, quatenus nimirum omnia ad Deum tanquam cauſſam vltimam referenda ſint; ſpeciatim vero loco, qui disputationis argumentum praebuit, morbos extra ordinem euenientes, intellectos voluiſſe; & Diuinum, extraordinarium. Mr. le FRANÇOIS *Reflex. Crit. ſur la Med.* Tom. II p. 352 *La nature des maladies*, inquit, *n'eſt pas plus connue: & c'eſt ce qui a fait dire à Hippocrate, que dans les maladies il y a quelque choſe de Divin, c'eſt à dire d'incomprehenſible aux hommes.* Conf. infra §. 18 & 19 huius, ibidemque not. * & *** it. SCHELHAMMERI interpretationem in *Proleg.* §. XIII not. *.

nim, in pestilentia aërem accensis ignibus, excitatis fumis, suffitibus, vaporibus acidis, &c. corrigere solitus est Hippocrates, pariter ac recentiores Medici, quemadmodum cognosci potest ex Scriptoribus Historiae Medic. & pestilentium contagionum enarratoribus. Conf. b. BOERHAAVII *Inst. Med.* §. 1120. Adeoque omne contagiorum genus ex aëre arcessi solet. Deinde, principium illud, quod in nobis motus animalis oeconomiae, sine vlla mentis s. rationalis animae conscientia aut arbitrio, peragit & administrat, siue velis hoc cum Hippocrate πνεῦμα, spiritum, appellare, s. naturam, s. spiritus animales, s. sensitiuam ac vegetatiuam animam, s. archeum, s. ignem, aut innatum calidum, s. principium aethereum, &c. hoc igitur quoque ex Aëre, subtilissimo quidem illo, repetitur. Sufficiat Celeb. A. Q. RIVINI auctoritas, qui in Diss. *de Spiritu hominis vitali*, Cap. IV §. 17 not. p extr. p. 206 Voluminis editi, *Aerem*, inquit, *generationi spirituum animalium praebere materiam, crediderunt omni tempore non pauci: vid.* Diemerbroeck. Anat. Lib. 3 c. 11. *Idem de spiritibus vitalibus se inuenisse primum gaudet* Reald. Columbus in Lib. 11 de Anat. p. m. 411. *Eodem quoque iure de spiritibus naturalibus id asserere potuissent. Adeoque mihi certum est, in genere spiritus ex aere augeri plurimum.* Conf. Ill. Frid. HOFMANN. *in Medic. System.* de principio aëreo-aethereo passim, inprimis e. g. Tom. II Proleg. Cap. 3 §. XII p. 34 seq. it. T. III Sect. I Cap. 2 p. 26. Denique satis inter omnes constat, praesentissimos in curandis morbis effectus praestari ab iis medicamentis, quae ad afficiendum illud aëreo-aethereum (sic enim appellare liceat) principium valent; vt sunt opium, narcotica, anodyna, odoris inprimis & gustus sensum percellentia, &c. Nimium vero aëri & spiritui s. spiritibus tribuisse in morborum negotio videtur FLVDDIVS *in Philosophia Moysaica, Morborum Mysterio, &c.* aliique similes.

§. 17. Ratio, cur, quae ab aëre sunt, Diuina dicta fuerint, verisimilis reddi potest, quod & ad caelum pertinet, vbi proprium quasi Diuinae naturae domicilium vulgo semper statutum fuit: &, quanquam effectus suos exserat aër, tamen ipse sese cognoscendum non praebet, nec sensibus comprehendi potest: &, quod adeo magna ac velut diuina virtute pollet, vt propterea μέγιστος δυνάστης ab Hip-

Hippocrate vocatus ſit, ſupra §. 13. Add. §. 12 ſub fin. Atque adeo easdem fere nominis rationes afferunt reliqui interpretes, quemadmodum vel ap. C. P. GESNERVM c. l. videri poteſt. Similiter de Philoſophis annotatum eſt in *Proleg.* §. V not. 1 §. 2, eos aërem animabus, Daemonibus, Heroibusque plenum exiſtimaſſe, vnde quoque forſitan duci poſſit nominis ratio.

§. 18. Quod ſi relictâ Hippocratica τοῦ θείου notione, aliis ad ſententiam quisque ſuam hoc nomen rebus tribuere velimus: iuſta quoque ratione *Diuinum in morbis* vocari poſſe videtur illa ad certum vitae terminum adſtricta moriendi neceſſitas; quae quidem ſine ſupremo rerum humanarum arbitro non poteſt intelligi. Atque adeo hanc de fatali cuique praeſtituto die doctrinam iam ab ipſo Hippocrate propoſitam, clari viri exiſtimant, & quidem his verbis, in Libro *de Septimeſtri partu*, Sect. X pr. Καί γε ὁ θάνατος διὰ τὴν μοίρην ἔλαχεν, *Quanquam mors etiam per fatum ſit ſorte deſignata.* Quae verba expoſiturus Proſper MARTIANVS, in *Magno Hippocrate Coo Notationibus* ſuis *explicato* p. 59 C, D, exclamat, *O pulcherrimam ſententiam & religioſo medico, qualem ſe perpetuo demonſtrauit Hippocrates, dignam! Dixerat enim ſuperius,* (Sect. VI pr.) Verum euimuero conceptus & abortus & partus mulieribus in eo tempore fiunt, in quo etiam morbi & ſanitas & mors omnibus hominibus fiunt. Haec vero omnia partim ſecundum dies, partim ſecundum annum ſignificationem ſui praebent. In omnibus enim his temporibus inſunt ad vnumquemque & vtilia multa & hoſtilia multa. Ex vtilibus igitur ſanitas & augmentum contingit, ex contrariis vero morbi & mors. *His vero enarratis, & praedictis numeris explicatis, praecedentem reaſſumens ſermonem, hoc in loco inquit,* Quanquam mors &c. *Quaſi diceret, quaecunque de virtute dierum decretoriorum explicata ſunt, ad ſanitatem aut mortem inferendam aegrotantibus, eatenus vera ſunt, quatenus naturae progreſſus ſequuntur: quandoquidem ſaepe mors & ſanitas peculiari quodam modo a Deo praedeſtinata eſt, ita vt dierum praedictorum vis nullo modo in iis effectum ſortiatur. In quem ſenſum recepta eſt a quibusdam Hippocratis ſententia lib. Prognoſticorum regiſtrata, vbi dicebat,* Et ſi quid Diuini eſt in morbis, etiam huius prouidentiam e-

 di-

discere. Conf. I. A. SCHMIDT in Diss. *de Theol. Hipp. Natural.* p. 28: qui idem ad doctrinam de Prouidentia numinis applicat illam μοίρην s. πεπρωμένην μοίρην, quam ponit Hippocrates in lib. I *de Diaeta*, Cap. VIII, 9 it. IX, 11 & 18. Addi potest eiusdem ἀνάγκη θείη, de qua supra §. 10 huius. Nec contrarius est locus ex l. de Nat. Hom. productus §. 9. Inprimis autem mire cum ista Martiani expositione consentit ARISTOTELES *de Gener. Anim.* l. 4 c. 10, & l. 2 c. 10 *Ort. Int.* (s. de Generat. & Corrupt.) itemque AVICENNA l. 1 Fen. 1 Doctr. 1 c. 3 (ap. Lauremberg. Port. Aescul. c. IV §. 2.) Liceat autem huic de termino vitae argumento longius insistere, & ex Dissertatione, quam a. 1738 conscriptam seruo, *de prudente Temporis Obseruatione in curanda valetudine*, sequentia excerpta huc transferre.



DISPVTATIVNCVLA DE TERMINO VITAE s. DE NATVRALI MORIENDI NECESSITATE AD CERTVM TERMINVM ADSTRICTA.

§. I.

Ponitur quaestio, Num mortis ineuitabilis necessitas ex successiua, nec plane declinanda, minorum vasorum Obstructione ducen-

cenda ſit. (1) Sic enim fere ſtatuunt, qui ex Mechanicis rationibus de fabrica corporis humani, totaque animali oeconomia philoſophantur: Quum corpora animalium, in iisque hominum, ita comparata ſint, vt humores vi vaſorum per ipſa vaſa propellantur, atque in eorundem latera adigantur, ex hoc attritu & compreſſione canalium compagem non poſſe non ſenſim magis magisque indureſcere, vaſa liquoribus expellendis inepta fieri, iisdem inferciri, coarctari, denique coaleſcere; ſic paullatim, fluidis haerentibus vaſisque rigentibus, motum vitalem aboleri, ipſamque vitam naturali morte deficere. (2) Contra alii, qui vitam eiusque functiones ab alia quadam mouente virtute, Anima ſcilicet vel ſimili re, ad liberum ſuae voluntatis arbitrium corpus & corporis actiones efficiente atque gubernante repetunt, illi & mortem, defendunt, accidere, quando principium iſtud Hylarchicum vel terrore vel taedio vel alia quacunque de cauſſa, corpoream molem amplius agitare nolit, & machinam inertem deſtituat. (3)

(1) Quum haec obſtructio naturalem vitae terminum ſtatuere multis videatur, vt deinde clarius patebit: intelligitur, quam haec diſputatio rationem ad medicinalem Temporum doctrinam habeat.

(2) Auctores, duumuiros tantum claſſicos nominabo, b. BOERHAAVIVM, *Inſt. Med.* cap. *de Nutritione* &c. §. 467 ſeqq. & *Aphor. de Cognoſc. & Cur. Morb.* in capp. vbi *de morbis fibrarum viſcerumque rigidorum* agitur, collato §. 128: & Ill. Frid. HOFMANNVM, *Medic. Rat. Syſtem.* Tom. I Sect. I Cap. I §. 36 ſeqq. & Cap. 2 toto; it. Tom. II Part. I Cap. I §. 23 ſeqq. & Tom. III Sect. I Cap. XVI § 32, vbi primam ſib huius propoſiti dogmatis gloriam vindicat. Conf. citati ab Ill. G. G. RICHTERO *in Progr. de Morte ſine Morbo* §. 4 not. * adeoque ipſe elegantiſſime doctus Vir ibid. §. 5 ſeqq.

(3) Teſtimonium afferam ex libro, qui licet non multum auctoritatis mereri videatur, ad rem tamen praeſentem idoneus eſſe poteſt: eſt autem D. Chriſt. WEISBACHII Praxis curandorum humani corporis morborum, Germanice conſcripta, (*Cur aller dem Menſchlichen Leibe zuſtoſſenden Krankheiten*) vbi in Proleg. p. 7 edit. Vltae 1729, in hanc ſententiam loquitur, *Mors eſt, quum Anima neceſſarium iudicat, corpus ſuum putredini & verae corruptioni permittere*; & Claſſe morborum V Cap. VIII de febre tertiana, p. 486, *Intempeſtiua febris ſuppreſſione aliquando accidere* tradit, *vt Natura langueſcat, & faſtidium concipiat regendi amplius eiusmodi corpus, in quo impedita fuit, ne conatus ſuos, ſecun-*

cundum rationem institutos, perficiat. &c. Add. ib. p. 511 & 528: In Storchii *Praxi Stahl.* Sect. III Cap. I §. 38 subiecta nota p. 1343 edit. 2 adducuntur verba Celeb. STAHLII, *Paralysin esse mouendi negligentiam in corpore nostro, dum saepius per spasmodicos motus frustra molita est Natura euacuationes aliquas,* &c. Norunt autem omnes, Stahlium & qui eius disciplinam sequuntur, Naturae nomine nihil aliud significare quam Animam, Rationalem dictam.

§. II.

Iam, quod attinet ad sententiam eam, qua vita eiusque sustentatio, principio alicui animato & spirituali tribuitur: hoc non posse, nec velle adeo, sponte sua corpus deserere, id declarant exempla frequentissima hominum, qui vel miserrimam sine spe vitam trahentes serio sibi mortem exoptant; vel dirissimum, idque certissimum, supplicium exspectantes, hoc libenter profecto arbitraria morte praeuerterent; vel denique, quos nescio qua mentis vesania correptos, taedet caeli conuexa tueri, contra iuuat ad inferos descendere: Qui omnes tamen nihilo magis voluntariam mortem, tanto expetitam opere, sibi consciscere possunt, nisi violenta manu indignantem animam aegre tandem emoliantur. *

* Ad eiusmodi violentiam quoque refero, quod narrat b. BOERHAAVIVS *in Praelect. in Instit. Med.* Vol. II §. 194 p. 145 seq. de seruis Angolensibus, cohibito spiritu se interimentibus: vbi plura confert Exc. HALLERVS.

§. III.

At reperiuntur exempla hominum prae terrore exanimatorum. Etiam prae gaudio, si fides historiarum monumentis est habenda; forte etiam prae ira, similibusque animi perturbationibus. * Quae sane nihil aliud efficiunt, quam vehementem, admodum esse vim illorum affectuum ad disturbandum atque destruendum vitae commercium.

* Exempla dabunt LOTICH. *Obs.* p. 284. VAL. MAX. 9, 12, 3. RHOD. *Obs. Medic.* Cent. I, 45. TH. BARTHOLIN. *Hist.* Cent. 4, 76. ZVINGER. *Theat.*

Vit. Hum. quos omnes allegat RIVIN. in Diſſ. *de Spiritu Hominis Vitali*, Cap. I §. 7 p. 167 editi Voluminis.

§. IV.

Sed nec rationi ſatisfacit illud Hylarchicorum commentum. Nam, quum duplicis generis actiones obſeruentur in homine, voluntariae & non voluntariae: illas quidem, quibus vita ſuſtentatur, voluntati minime parere, manifeſtum eſt. Porro animam, vel ſpiritum quemcunque, quicquid agat, voluntate praecipiente agere, non minus clarum eſt, certe quantum de ea re mens noſtra cognoſcit. Sed vereor, vt hoc perſuadeam omnibus: ſiquidem reperiuntur nonnulli, qui ſibi perſuadere laborant, animam poſſe agere aliquid, quod ſe velle, vel vnquam voluiſſe, omnino ipſa ignoret. Verum eiusmodi hypotheſin aut omnino negare aut ſimpliciter condonare oportet: quandoquidem ita rationi nulla relinquitur poteſtas inueſtigandi naturales rerum cauſſas.

Loquimur iam non de alio quocunque in animatis mouente vel agente, vitamue ſuſtentante principio, quod hominis voluntati & imperio non ſit ſubiectum, ſ. a Natura rerum, ſ. ab Angelis Daemonibusue, ſ. ab ipſo Deo illud repetendum ſit. Tale enim non accurate dici poſſet ad hominis pertinere Naturam.

§. V.

Nunc de Mechanicis mortis rationibus vt noſtrum quoque iudicium interponamus: quum ipſa rei natura loquatur, ita vaſcula corporis noſtri eſſe conſtructa, & iugi liquorum permeantium appulſu ita, molli humore expreſſo, (1) ſolidis adauctis compactisque denſari, vt, niſi nouus continuo ſuccedat humor, fibroſam texturam (2) indurari atque rigeſcere neceſſe ſit, poſtquam ſemel in iuſtam omne corpus menſuram adoleuit: (3) Sane putandum eſt, ſapientiſſimum mundi hominumque fabricatorem, qui minus e re noſtra eſſe prouiderit, hoc corpus immortalitate donare, admirabili conſilio cum ipſa automati motrice vi coniunxiſſe neceſſitatem illam ſe-

se suis sensim viribus destruendi, praesertim si accedant eiusmodi caussae aliae, quae humectans illud liquidum vel arceant vel exsiccent; quales variae deprehenduntur. (4) Atque ipsa profecto nobis experientia passim & frequenter obiicit exsuccos, vel ante diem, mortales, & in decrepitis senibus nunquam non ille marcor rugosaque pellis obseruatur. Quandoquidem igitur isto modo complures canaliculi liquori vehendo inepti facti sunt, reliqui inundantem, nisi ipsa quoque deminuatur, humorum copiam aegre admittunt, eoque fortius renituntur, quo rigidiores dictis ex caussis fuerint redditi. Alueis autem iam non amplius humores capientibus, & aestuante quasi mari microcosmico, proximum est, vt vrgente impulsu vascula alicubi rumpantur, & liquida effundantur: quae perruptio profusioque si necessariis locis contingat, cito mortem infert; (5) ac forte non alia ratione mors naturaliter accidit. (6) Videtur tamen vita persistere posse, si modo illa sola vascula pro fluidis circumagendis aperta seruentur, ex quibus primorum animalis staminum compages componitur. (7) Sed eadem haec quoque compressionem & coalitum, addo rupturam, non declinabunt, si reliqua iam crassiora propius incumbant, vel etiam effusa liquida circumfluant, aut nimia copia irruant.

(1) Quemadmodum accidit in perspiratione vel insensibili, vel sensibili, pro varia motus externique caloris conditione graduque, nunc intensiore nunc remissiore; quae si largius succedit, sudor appellatur: quam sequitur desiderium noui liquoris affundendi, s. sitis.

(2) Constat, in analysi corporum, ex certa structurae ratione ad suos motus aptorum, vt sunt animalium & vegetabilium, vltimo reperiri solida quasi filamenta, ope interpositi cuiusdam glutinis cohaerentia, ex quibus deinde reliqua solida contexuntur. Vid. BOERHAAV. *Elem. Chem.* Tom. I Cap. de Terra, it. Tom. II in aliquot primorum Processf. vsibus; & *Inst. Med.* §. 434-479 & §. 700 seq. it. *Aphorism.* §. 21 seqq. Prout illa cohaerentia se habet, compages aut laxior aut strictior est; & hinc simpliciora illa morborum genera, de quibus in Pathologia generali & Aphorismis idem laudatissimus Vir, ad quem iure transferri posse videtur illud M. Fabii de Cicerone iudicium, *Ille se profecisse* in medicina *sciat, cui Boerhaauius valde placebit.*

(3) Antequam ἀκμὴν attigit corpus, quaquauersum explicantur & producuntur illae partes, quibus compages illius continetur: postea vero stat profectus in permanente fibrarum contextu; deinde etiam decrementum occipit; nisi quod dilatata nonnunquam caua plus fluidorum recipiant, vt in obesis: quae reple-

pletio eſt, a nutritione & incremento ſolidorum longe diuerſa. Vid. BOERHAAV. *Inſt.* Cap. de Nutritione &c.

(4) Vbi liber humorum acceſſus eſt, *materies, praeparatio, applicatio, vis motus, ſemper manent eadem: ergo accurate, quod perditur, reſtituitur; manent igitur, vt fuerant, ſolida, hoc eſt, nutriuntur, conſeruantur perpetuo* BOERH. *Inſt.* 463. Sed eadem humorum propulſione, dum *vaſa maiora a liquore ſuo magis extenſa fiunt, ſimul vaſcula minima, quae contexta maiorum membranas faciunt, compreſſa, exſucca, concreſcentia, redduntur; vnde firmitas fibris, iactura autem eius vaſculi.* Id. ib. 466. Conf. ib. §. 1053 & *Aphor.* §. 39. Cauſſa ergo eſt compreſſio, neque ea magis externa quam interna: conferunt eodem validus motus, omnisque nimia contentio, alimenta fortia, ſimilia medicamenta, &c. v. BOERH. Aphor. de morbis fibrae rigidae &c. §. 32. 39. 51. Has cauſſas augent varia morborum genera: vt polypi, &c. Poſt morbos tamen ſanatos ſaepe in integritatem reſtitui ſolida, & ratiocinium & experientia docere videntur: vid. infra §. VII not. (11). Sic quotidie attrita motu ſolida, exhauſta liquida, alimentis, quiete, ſomno, &c. reparantur.

(5) Vt circa Oblongatam, quae dicitur, Medullam & Cor: praeſertim ſi maius vas diſrumpatur, qua de re conſ. Anatomes Practicae, vel Obſeruationum ſcriptores; & ſuccurrit memorabile exemplum apud LANCIS. *de Subitaneis Mortib.* Paracelſus dixit, Guttam ex medio cerebro delapſam, efficere apoplexiam: v. Greg. NYMMANN. *de Apoplexia* Cap. I p. 8 & Cap. XXIX p. 161 ſeqq. Morientem vidi feminam, quae inflammatorio morbo, cum purpura erumpente, decubuerat, aderantque ſigna haut obſcura vehementis primarum viarum inflammationis. Tranquillatis, vt videbatur, rebus, quum inflammatio in putrem corruptionem fatiſceret, validiſſime ſanguis ad caput ruebat, & vera apoplexia, qua primum maximo impetu ferebatur ſanguis, deinde de vehementia remittebat, nodum vitae ſoluebat; haut vana ſuſpicione, ſublato ſanguinis profluxu in abdomine, verſus ſuperiora iuſto maiorem eius vim propulſam fuiſſe.

(6) Mortem naturalem ſic concipere videntur Auctores, vt, ſolidis fluidisque ad motum iam ineptis factis, plenaria vitalium actionum quies ſubſequatur. Verum, quum humorum copia non exacte ad rationem collabaſcentium aut rigeſcentium aut obſtructorum canalium imminuatur; cordis autem, omnem humorum maſſam circumagentis, & maxime neceſſariorum vaſorum, robur per continuam membranarum fibrarumque ſuarum obdurationem augeatur; neque credibile ſit, neruos, cordis motui miniſtrantes, ante deficientem aut praepeditum ſanguinis ad cerebrum affluxum, vel non accipere liquidum ſuum, vel hoc ad cor non transmittere: veriſimile videtur, illum itum reditumque vitalis liquidi non ante aboleri, quam commeatus vel diſruptione, vel effuſi compreſſione, vel putredine interrumpatur. Qualis deſtructio neceſſariorum ad vitam canalium quum in Syncope, grauiore ſuffocatione Hyſterica, vel quae ſuffocatio ab intercluſo per aquarum inundationem ſpiritu oritur, ſimilibusque motus ad ſenſum deliquiis, non contingat: inde eſt, quod in eiuſmodi mortis ſimulacris tamen vita reuocari ad ſenſuum quoque perceptionem poteſt, quae in minimis quidem adhuc reſtitit.

(7) Sunt ea, quae neruorum & cordis commercium efficiunt. Nec pulmonalia iis accenſenda in vitae minimae con-

conceptu: ſi tamen poſt huius aëris vſuram canalis arterioſus occluſus ſit, vtique ſine pulmonum actione vita perſiſtere nequit. Conf. BOERH. *Inſt.* de Nutritione, & §. 695.

§. VI.

Ita concipiendam eſſe mortalitatem noſtram, ratio ſuadet: Videamus nunc porro, quatenus hanc de deſtructione vitae meditationem declaret, aut confirmet, aut circumſcribat, aut amplificet experientia. Primum, in tanta paſſim morientium ſtrage vix quenquam reperire licet, de quo vel ſuſpicari poſſimus, illum ſine vlla praecipiti violentia, iam matura morte, debitum naturae perſoluiſſe, ſed omnes fere legitimum vitae terminum praeuertere; (1) exiguum quoque, ſi caeteris conferantur, eorum eſſe numerum deprehendimus, qui illud vitae ſpacium transmittant, quod a multo iam tempore in plurimis longiſſimum obſeruatur: (2) aliquos tamen, vel beneficio naturae, vel ſalubri victu caeterarumque rerum corpus commutantium vſu, vel denique ſingulari Dei conſilio ac fauore, communem aetatis metam longius excedere. (3) Deinde, ſi diuerſitatem corporum animorumque, tum vitae generis, victus, caeli ſolique, sxercitationum, etiam valetudinis per aetatem a morbis illaeſae aut nonnunquam ab iis labefactatae, ſimiliumque rerum reputamus: videmus, diuerſiſſimarum claſſium homines aetatis ſpatio ſibi fere aequari, (4) modo naturae ſuae ac conſuetudini conuenienter viuant, nec vis fati aut caſus manum iniiciant. Tum, ſi humanae vitae quaſi annales a prima rerum origine repetimus: cognoſcimus, quae principio longiſſima mortalibus conceſſa fuerat, eam cum creſcente hominum multitudine paullatim arctioribus circumſcriptam fuiſſe limitibus, donec ad eum annorum numerum redacta eſt, in quo adhuc haerere vt plurimum ſolet. [5] Qua quidem in re & illud conſideratione quam maxime dignum eſt, quod, quum eodem fere numero homines moriuntur ac naſcuntur, tum marium feminarumque numerus circiter aequalis eſt. [6] Poſtremo, tamen nec corporum humanorum naturam mutatam eſſe, veriſimile videtur; nec

nec res, quae corpus alunt, mutant, aut quocunque modo afficiunt, deteriorem indolem acquisiuisse. [7]

(1) Vid. Ill. G. G. RICHTERI *Progr. de Morte sine Morbo* §. 7 p. 23.

(2) LX., LXX, vel LXXX annorum.

(3) Nostris etiam temporibus commemorantur interdum exempla, de quibus dubitari non potest, hominum, qui vltra C, CXX, adeoque CXXX annos vitam produxerunt. Conf. DERHAM. *Physicotheol.* Lib. IV Cap. 10.

(4) Vt inter sanguineae cholericaeque aut melancholicae compositionis homines, literarum studiis & militiae deditos; tenui certisque legibus adstricto, & lauto varioque victu vtentes; in frigidis, temperatis, & calidis caeli regionibus degentes; integra perpetuo valetudine gauisos, & morbis aliquando vexatos, &c. complures reperiuntur, qui idem aeui spatium emetiantur.

(5) Meminerimus ex Bibliis supputationem annorum, quos Patriarchae & ante & post Diluuium viuendo expleuerunt. Iacobus adhuc CXLVII vixit: idem tamen conquestus est, suam aetatem non ad illum vitae terminum ascendere ad quem maiores sui pertigerant. Moses [an Dauid?] docet, suo tempore communiter homines LXX, summum LXXX annos vixisse: quod & hodie obtinet. Circa eadem tempora hominis aetatem C annorum spatio s. saeculo definitam fuisse, cum ex sacris, tum ex profanis monumentis constat: vid. *Genes.* 15, 13. 16 coll. *Exod.* 12,40. Quaeri posset, Cur, hominum genere aquarum inundatione deleto, tamen, qui supererant, non tanta longaeuitate ad propagandum genus donati fuerint, qua protoplastus, & ei propiores? Sed considerandum etiam est, superfuisse non vnum, sed quatuor cum vxoribus homines. &c. Sunt, qui opinentur, annos istos antiquissimorum mortalium multo breuiore spatio fuisse circumscriptos, quam posterioribus temporibus: verum non persuadent. Eiusdem longaeuitatis caussam aliqui adscribunt serae veneri: putant enim, Patriarchas circa eundem demum aetatis annum vxores duxisse, quo filios eos, qui seriem successionis continuarunt ac primogeniti existimantur, generasse memoratum legitur; quoque serius hoc factum est, eo longiore fere vita gauisos esse. Sed, cum, quae prius posita sunt, non magnam verisimilitudinis speciem habent, quandoquidem Adam anno demum CXXX Sethum suscepisse dicitur, simul autem certum est, diu ante Sethum Cainum atque Abelem ipsi natos fuisse, licet in serie non connumerentur; Noacho post annos D exactos, tres pueri tribuuntur, quasi trigemini fuerint, quod tamen secus fuisse, aliunde constat; & quae fortassis alia dubitandi argumenta proferri possent: tum, etiam si in hoc consentiretur, tamen alterum illud non satis recte subductis rationibus assumtum videtur. Nam, vt exempla quaedam in medium afferam, Enos annos nonaginta natus genuisse filium memoratur, Kenan vero LXX: nihilo tamen minus hic DCCCCX annos vixit, ille autem V minus. Vtroque multo serius, C nimirum & LXXXII aetatis anno, genus propagauit Lamech, neque tamen vltra DCC & LXXVII annos vita prouectus est. Post diluuium, μακροβιώτατος Heber, quum annos LXIV supra CD impleuerit, iam

XXXIV pater fuit: contra, Isaacus anno demum XL matrimonium iniit, sed C iam & LXXX mortuus est; huius autem filius, licet, secundum Vsserii Chronotaxin, aliquot demum post LXXX exactis annis vxores sibi iunxerit, obiit natus CXLVII. Mox post Cataclysmum, produnt diuini libri, patriarchas consueuisse circa XXX aetatis annum liberos suscipere: idemque aetatis terminus etiam hodie coniugio contrahendo aptissimus a multis censetur, & a longa iam saeculorum memoria sic existimatum fuit & mos obtinuit. Etenim vetustissimus auctor HESIODVS, Ἐργ. κ̀ Ἡμέρ v. 695 seqq. *Mature vxorem ad domum tuam ducito, neque triginta annis valde multum inferior, neque superans multum: nuptiae tibi tempestiuae hae.* Neque tamen interea cuiusquam vita ad tot annos durauit. DERHAM. l. statim citando, refert de muliere, cui nomen Mariae Honywood, quae XVI aetatis anno nupsit, XVI liberos peperit, & ad XCIII vitam produxit. Similis est narratio ZVINGERI in *Theatro Vit. Hum.* de matrona ex gente Dalburgiorum, cuius longaeuitatem hi versus testantur,

Mater ait Natae, dic Natae, Filia Natam
Vt moneat, Natae plangere Filiolam;

s. Teutonice, *Meine Tochter, saget eurer Tochter, ihrer Tochter zu hinterbringen, daß ihr Tochter Kind weine.*

(6) Planissime haec confirmat, propositis natorum denatorumque indicibus, Guil. DERHAM. *in Physicotheol.* Lib. IV, Cap. 10.

(7) Historiarum monumenta satis declarant, ab vltima hominum memoria mundi eiusque incolarum naturam eodem semper modo comparatam fuisse: Vid. *Ecclesiastes* Cap. 1.

§. VII.

His propositis, liceat nonnulla, quae meditando consequi ex istis videntur, subtexere, & in vsum prudentiae transferre. I Certum huius vitae terminum, eumque vel communem plurimis, vel singulis proprium, hominibus praefixum esse liquet. [1] II Naturaliter hic terminus pendet a textura fibrarum, & humorum per canales impulsu. [2] III Impigrum animalium functionum exercitium maxime conducit ad legitimum vitae terminum consequendum. [3] IV Quum nec in humani corporis nec mentis natura, nec in rerum non naturalium, vt vocant, vsu ratio reperiatur, cur inde a mundi nascentis incunabulis ad aliquot saeculorum decursum vsque, paullatim breuiore spatio aetas mortalium terminata sit, &, postquam ad certum annorum numerum decreuit, in illo, a longa

iam

iam ſaeculorum ſucceſſione fixus communiter vitae terminus haereat: reliquum eſt, [4] vt ſtatuamus, DEVM, ſummum vitae ac necis arbitrum,qui mortem ab humana natura primitus alienam, poſt lapſum demum ei ſuperaddidit, quique adeo vniuerſo mundo certum ſuo tempore finem conſtituit, Deum igitur hoc ſibi ius ſeruaſſe integrum vt ex aeternae prouidentiae rationibus, atque in veram humani generis, adamati operis, felicitatem, vitae terminum praeſtituat vel longiorem vel breuiorem, adeoque nunc proroget vitam, nunc arctiore ſpatio definiat; quod cum mens non obſcuris notis intelligit, [5] tum libri diuino dictamine conſcripti plane confirmant, nec quenquam verae religionis ſenſu imbutum de eo dubitare ſinunt. [6] V Non igitur in hominum ipſorummet arbitrio, neque in rerum externarum efficacia, adeoque nec in artis medicinalis poteſtate eſt, ſpatium vitae producere: ſed hoc tantum praeſtare poſſe, & vnumquemque hominem, etiam Medicum, curare debere, ne iuſto celerius corporis machina deſtruatur & corruat. [7] VI Eo maiore cum animi tranquillitate munia vitae obire licet, quod confidere poſſumus, Deum ex ſuo arbitrio ſuſpendiſſe filum vitae noſtrae. [8] VII Sanum hominem, qui vitam ſuam & ſanitatem tueri cnpit, diligenter quidem oportet animaduertere,quid ſit,quod ſuae peculiariter naturae conueniat atque conducat, quod minus, quemque ſibi natura aut conſuetudo modum alimentorum atque exercitationum praeſcribat: caeterum nullis obligare ſe legibus debet, neque ciborum, neque vitae generis, neque laboris, & quae ſunt alia eiusmodi. [9] VIII Laborioſa vita adeo non accelerat mortem, vt potius, ſi iuſtus modus adhibeatur, ſummum, certe poſt commiſſum a protoplaſtis peccatum, ſanitatis, adeoque vitae conſeruandae ſit praeſidium. [10] IX Immoderata humorum repletio in morborum mortisque periculum coniicit, idque eo magis, quo calidiores acrioresque humores fuerint. [11] X Quo longius aetate prouehuntur, qui ſanguinis miſſionibus opus habent, eo magis neceſſariam eſſe hanc humorum deminutionem, [12] caeteris paribus. XI In ſenibus ex fibrarum habitu & ſanguinis abundantia morbi mortisque periculum praeſentiri poteſt. [13] XII Quod quis morbis aliquando laborauerit, ea de cauſſa mors non maturatur, ſi morborum ea fuerit natura, eaque ſanatio, vt in priſtinum

ſtinum ſtatum redierint ſolida. [14] XIII Quo longius homo abeſt a conſiſtente aetate, eo maior ſpes eſt, poſt aliquem morbum ſuperatum, damna forte inflicta reparatum iri. [15] &c. &c.

(1) Communis nomine, in praeſenti quidem rerum humanarum ſtatu, comprehendo ſpatium a LXX annis ad LXXX protenſum: proprium dico, quem quisque mortalium, naturae, quoad licet, conuenienter viuendo, attingit, ſiue ante illud tempus, ſiue intra idem, ſiue poſtea viuere deſinat.

(2) Inducta eſt haec ad mortem διάθεσις poſt lapſum demum: antea enim immortali natura praeditus erat homo. Vid. Ill. Richter. c. l. Deinde, quanquam a principio rerum eodem ſemper modo propagatum fuit humanum genus, & liberi ad parentum ſimilitudinem efformati; quum tamen ſpatium viuendi non iisdem ſemper limitibus circumſcriptum fuerit; oportet cum tempore poſthac etiam in canalium contextu liquidorumque per eos impulſu, mutationem factam eſſe: id quod ſolus Naturae Dominus efficere potuit. Credibile tamen eſt, ad eam rem Prouidentiam vſam fuiſſe, tanquam cauſſis ſecundis, nouo aut mutato variarum rerum naturalium (quae in Medicorum ſcholis non naturales appellari ſolent) vſu, veluti introducto carnium eſu, Vinique potu, Aromatum condimentis, omnique calidioris victus genere. Quarum quidem rerum efficientiam in circumſcribendo vitae ſpatio, plerique omnes, qui de cauſſis breuioris aut longioris vitae ſcripſerunt, fere ſolam & tanquam vnicam perſcrutati ſunt: quorum admodum magnus eſt numerus. Fuere tamen, & adhuc forte ſunt, gentes aut ſingulares homines, qui ſimpliciſſimum maximeque naturale genus victus diutius ſeruarunt, quos, vt ita dicam,

Glans alit, & priſco more bibuntur aquae:

ſed non adeo magnam, quaeque ad ſummam faciat, diuerſitatem in vitae ſpatio peperiſſe exclusum vel admiſſum & moderatum aliarum rerum vſum, obſeruatum eſt. Dixerit aliquis, Poſtquam homines nouum alimentorum viuendique genus inſtituerunt habitumque quaſi morboſum contraxerunt, prima futurorum hominum rudimenta vi talium rerum aliter contexta fuiſſe, morbos parentum in ſobolem propagatos & hoc modo deteriorem fibrarum texturam per ſuccedentes generationes ad omnem poſteritatem propagatam eſſe. Verum, vt nihil opponam ex ea ſententia, quae ſtamina hominum a rerum iam primordio repetit, tum quoque eſſe debet, qui limitem certum conſtituerit, vltra quam ea mutatio aut deprauatio non progrediatur. Quare ſuperioris fati vis agnoſcenda eſt.

(3) Sic enim expedite liquores vaſa permeant. Quam quidem in omnibus vitae negotiis alacritatem praeſtant motus animi quidem, bene compoſiti; corporis autem, vſque ad ſenſum incipientis laſſitudinis continuati, ſubſequente paſtu & quiete vſque ad ſenſum refectionis. Vid. Hippocrates *de Vet. Medic.* Sect. XVI. Idem ſubinde inculcat ſacer *Eccleſiaſtes*; nimirum, *Optimum eſſe, vt homo in omnibus, quae agit, laetus ſit, & cibum potumque hilariter capiat.* Porro, non poteſt animus ad ſolidam & perpetuam componi laetitiam, niſi verae religionis ſenſu quemadmodum demonſtrant Theologi. Hinc patet aliqua ratio Di-

Diuini promiſſi, quod piis longaeuam vitam ſpondet, niſi quando melius conſultum Deus prouiderit, dilectos poſt breuem huius lucis vſuram praematuro fato ad aliam vitam traducere. Plurimum viciſſim ad animum moderandum confert vſus & exercitatio, &c. Caeterum hoc, quod propoſui, conſectarium ſummam arbitror diaeteticorum ad longaeuitatem praeceptorum: de quibus BOERH. *Inſt.*, §. 1053 ſeqq. Inde quoque fit, vt Deſiderium & Spes adeo ſalubria corpori deprehendantur, id. §. 1048.

(4 Qui coniecturis vellet indulgere, poſſet aliquam comminiſci incognitam poteſtatem, Spiritum naturae aut mundi, Angelos, Daemonas, &c. quorum arbitrio vita noſtra ſubiecta ſit. Sed quum eiusmodi in rebus nihil certo ſciri poſſit, tum nihilominus ad arbitrium Prouidentiae Diuinae omnia referenda ſunt: quanquam Deum miniſtris ſpiritibus vti, ſuadent ipſius oracula.

(5) Rite haec perſequitur ſapientiſſimus Will. DERHAM. *in Phyſicotheol.* Lib. IV Cap. 10: ita quidem, vt eadem caeleſtis Prouidentiae veſtigia in reliquis animantibus oſtendat.

(6) De termino in vniuerſum *Act. Apoſt.* XVII, 26 de immobili, *Iob.* XIV, 5. *Pſalm.* CXXXIX, 16. de mobili, exemplum Hiskiae regis *Ieſai.* XXXVIII. &c. Huc pertinent multa oracula de vita vel producenda vel contrahenda.

(7) Conf. Viri Exp. Io. Frid. SOTHEN, Phyſici Gotting. Diſs. Inaug. *de Fundamentis breuioris vitae, quae in pleriſque huius aeui hominibus obſeruatur*, §. 1. Qui vitae terminum ope diaetae aut medicamentorum prolongari poſſe ſtatuunt, tum prolongari vitam exiſtimant, quando, mea quidem ſententia, tantummodo propius ad terminum a Deo praeſtitutum vita perducitur. Vid. e. c. PRIMEROS. *de Vulgi Errorib. in Medic.* L. II Cap. 9. P. LAVREMBERG. *in Porticu Aeſculap.* Cap. IV. Mr. le FRANÇOIS *dans les Reflex. Crit. ſur la Medic.* Tom. I Chap. I p. 16 ſeqq. Quamobrem cum cautione quadam admittenda videtur ſententia S. AVGVSTINI in Epiſt. XXVIII *Temporalis vita breuius productiusque non tenditur, quam Deus, diſpoſitor temporum, nouit vniuerſitatis moderamini conſonare.*

(8 Hac neglecta conſideratione, dubio ſemper animo metuendum eſt, ne aliquid committatur aut accidat, quo vitae terminus praeuertatur. Neque tamen hac fiducia in incuriam ſalutis prolabi decet.

9) Sic enim eum corpori ſuo habitum eamque firmitatem comparabit, quae ab alimentorum & negotiorum, omniumque rerum humanarum varietate, viciſſitudine, & inconſtantia, quibus tota omnium vita obnoxia eſt, non facile detrimentum patiatur, & Conſectarii noſtri III. poſtulata praeſtare poſſit.

(10) Muſculorum omniumque ſolidarum partium reciproca agitatione humores optime per canales propelluntur, ſecretiones excretionesque perficiuntur, ab obſtructione immunia ſeruantur vaſa, ab humorum decubitu receptacula, &c. HIPPOC. *Epid.* VI Sect. IV, 41 Lind. Ἄσκησις ὑγείης, ἀκορίη, τροφῆς ἀοκνίη πόνων. & ib. Sect. V, 16 Πόνος τοῖσιν ἄρθροισι καὶ σαρκὶ σῖτος· ὕπνος δὲ σπλάγχνοισι. Add. *de Diaeta* I, 1 extr. & 2.

(11) Metuendum enim eſt, ne decubitus humorum alicubi fiat, aut vaſcula rumpantur. Vnde quoque neceſſitas miſſionum ſanguinis declaratur; magisque adhuc conſeruationis ſpontanearum euacuationum, vt haemorrhoidalis, menſtruae, per nares, &c.

(12) Nam, per quae liquores vehuntur, vasa paullatim ad angustiorem rediguntur numerum, minoremque capacitatem: quare sanguinis copiam eo magis detrahere opus est, si abundet. Conf. §. V not. 6. Plerumque tamen cum aetate quoque appetentia alimentorum imminuitur, nec tantum sanguinis generatur.

(13) Ita senes lacertosi habitus succique pleni ad apoplexiam, suffocationem, subitamque mortem procliues sunt contra ea, debiliores, cachexiae, hydropi, phthisi, similibusque malis magis obnoxii sunt.

(14) Conf. §. V not. 4 extr. Ita *febres intermittentes corpus ad longaeuitatem disponunt*, Boerh. *Aphor.* 754. Add. Frid. Schraderi *Diss. de Salubritate Morborum*, aliique. Sic in Diapedesi, Anastomosi, leuioribus Haemorrhagiis narium, dentium, post vomitus, purgationes &c. in pristinum integritatis statum vtique redire videntur solida.

(15) Dum enim adhuc crescit homo, fibrae ad mutationes subeundas aptiores sunt. Vid. Boerh. *de Nutrit.* &c.



§. 19. Vt iam ad propositum redeamus, sunt praeterea & alia praesentis in morbis eorumque symptomatis & curatione Numinis argumenta: vbi nimirum accidit, quod saepenumero fit, vt aegri praeter omnem, etiam prudentissimorum medicorum, exspectationem aut moriantur, aut conualescant, aut symptomatum mira perturbatione conflictentur, aut aliquid daemoniaci magiciue subesse appareat; &c. Narrantur enim ab Obseruationum scriptoribus & fide dignissimis testibus, complures istiusmodi cum mirabiles in morbis effectus euentusque, tum nulli alii caussae rectius quam incognitae Daemonum potestati tribuendi: vid. e. g. Fernelius, Sennertus, Camerarius, &c. ap. S. R. Oporinvm *de Angelis*, Cap. VI §. 10 p. 322 seqq. Qui idem honoris caussa appellandus Vir, ib. p. 321 asserit, *Non sese dubitare, quin inter antiquos, nec reprobandos, de malorum Daemonum effectis testes, referri possit Hippocrates, quod* ἐγγαστριμύθων *meminerit.* Conf. Foes. *Oecon.* h. v. Quare nec adeo improbabilis videtur opinio, quae morbos etiam Magicos ad *Diuinum* refert. Verum hisce de rebus longiorem instituere sermonem nunc non licet. Vnum suffecerit Celeberrimi quondam Practici, G. W. Wedelii,

te-

teſtimonium, ex *Epiſtola* ad Frideric. Käſeberg, ſub illius praeſidio disputantem *de Morbis a faſcino*, cum eadem hac Diſſ. excuſa, p. 38 *Decumbit ſtudioſus maligna febri: adſunt conuulſiui motus grauiſſimi, pulſus frequens, inordinatus, & debiliſſimus; feces inuite prodeunt; oculi feroces; natura proſtrata: euadit tamen. Alius, febri maligna itidem laborans, ad oblata bene habet, vires conſtant, pulſus bonus, vrina bona: moritur tamen. Vtrobique Dei digitum venerari fas eſt, omnia ex artis legibus facienti.* * Add. Ill. Frid. HOFMANN. *in Fundam. Medic.* p. 194 §. 49; it. D. CRAVSIVS ap. Storch. *Prax. Stahl.* p. 21 Edit. 2. Atque haec tot ac tanta argumenta praebet Medicina, ὅτι πολλὰ ἐν αὐτέῃ κεκράτηται αὐτῷ τῷ θεῷ δι' ἑωυτοῦ· adeoque potenter admodum & efficaciter ars ſua compellit Medicos πρὸς τὸ, τῷ θεῷ παραχωρῆσαι, & πρὸς θεοῦ ἐντίμως κεῖσθαι. ** Nos quidem caeleſtioris doctrinae ſacris imbutos, adhuc fortioribus argumentis hac de re perſuaſos eſſe oportet: quandoquidem in Bibliis Deus ipſe ſaepe legitur morbos hominibus, ex ſuae rectricis ſapientiae rationibus immiſiſſe, idemque viciſſim ſaepius curaſſe morbos, ſicut inprimis in ſanctiſſimo Sotere & eius Apoſtolis, diuinae medicationis efficacia quam clariſſime exſtitit ***.

§. 20.

* *Si* huiusmodi *quidpiam citra regulam illam* (proportionem inter morbum & naturam, & vires vtriusque inter ſe comparatas) *eueniat, Diuinum in morbis eſſe ex Hippocratis mente,* (in l. Prognoſtic.) WEDELIVS exiſtimat: *Idque,* addit, *toto euenit die, cumprimis in morbis epidemiis; vnde alterum, iuxta Hippocratem,* κριτήριον *eſt Diuini in morbis, cum plures indifferenter morbo eodem corripiuntur, - l. de morbo ſacro c. 5 t. 13 & 4. Exemplo ſit peſtis, vbi Diuini huius innumera contingunt exempla. - - Addi quinimo poſſunt huc alia quoque: quae in morbis contingunt omina ſaepe, - ſane & illa Diuina ſaepe ſunt monita, & ad Diuinum in morbis referri debent.*

** I. A. SCHMIDT *de Theol. Hipp. Nat.* p. 13 §. 3 *Non ergo nude, vt ſciamus Deum ſcientia aliqua Metaphyſica, quae nihil agendum praeſcribit: ſed vt* εἴδησις περὶ θεοῦ *in cultu Deo conuenienti exhibito demum ſubſiſtat, clara Hippocratis eſt ſententia.*

*** Valent. Henr. VOGLERVS, in Progr. cum eiusdem *Commentario de Rebus Naturalibus ac Medicis, quarum in Scripturis S. ſit mentio,* excuſo, verſus finem, *Ex hiſtoria Euangelica comprimis expendendi venient inſanabiles illi morbi, quorum curationes, aliorumque mirabilium factorum frequentia Chriſtum reddiderunt omnium hominum* θαυματουργότατον. *Qui iidem affectus quam maxime quoque docent, ſaepius iis ineſſe*

θεῖόν

§. 20. Quum igitur haec argumenta ex ipsis exercitatricis medicinae rationibus depromta sint, apparet, quam recte Hippocrates dicere potuerit, religiosum animi de Deo sensum esse in ipsa artis medicinalis exercitatione implicitum, h. e. adeo arcte cohaerere cum Medicina, vt a recta huius professione artisque vsu separari nequeat, & quisquis in ea discenda factitandaque rite versetur, eum Diuinam naturam, virtutem, ac potestatem ex iis ipsis, quae in curationibus morborum fieri obseruat, agnoscere necesse sit. * Simul apparet, quo iure Medicinam accusent aliqui, quod nescio quem impietatis characterem cultoribus suis imprimat. **. Quod qui faciunt, hac in re naturae suae prauitati velificari videntur, qua procliues sunt homines ad male de aliis existimandum, immemores & octaui in Decalogo praecepti, & oraculi Matth. VII, 14: denique de sese parum honesta confitentes, quum de sui similibus omnia mala suspicentur.

§. 21.

θεῖόν τι: quod iam olim Hippocrati memoratum, varias deinde reperit interpretationes; nemo autem melius exposuit Hier. Iordano, *ipsiusmet illius vi postea surrepto.*

* *Conf.* ZACCHIAS *Quaest. Med. Leg.* lib. VI tit. 3 qu. 4 §. 22 p. 1553 SYLV. *Prax. Append.* p. 816. SCHMIDT c. l. p. 17 §. 2 *Nos, verbo ἐμπλέκειν moti, τὴν περὶ θεῶν εἴδησιν ἐν νόῳ, de notitia insita interpretamur, atque ex hac notitia eam, quae acquiritur a Medico, facilitari potius, statuere Hippocratem, quam ipsam acquisitam esse, contextu non repugnante, arbitramur.*

** Renat. MOREAV, *in Vita Bartholom. Perdulcis*, huius Vniuersae Medicinae praemissa, a4b *Hoc loco mirari subit magnam mortalium partem de Medicis omnibus tam sinistre & inique augurantem, vt eos sensum religionis exuisse, lutum & spumam impietatis ebibisse, & succum omnem deposuisse virtutum temere profiteantur. Quasi vero ii, qui* Naturam *quotidie perscrutantur*, Naturae Deum *& parentem non agnoscerent? non viderent* rerum Architectum, *qui* effectus *rerum, in lapidum & stirpium naturis delitescentes, inuestigant? non admirarentur* Astrorum conditorem, *qui* astrorum *coruscationes, congressus, reuolutiones, occultationes, ortus, & occasus quotidie suspiciunt? O improbam nostri saeculi contumeliam!*

Νῦν δὲ καχεξία τις ὑποδέδυκε τοὺς
ὄχλους· κρίσεις θ' ἡμῶν νοσοῦσι
Diphil.

Hoc vero tempore mala tabes quaedam subiit plebem, iudiciaque nostra aegrotant. *Quod sane dictum volui, vt exemplo ac auctoritate* Perdulcis *nostri discant Medicorum osores & obtrectatores, esse ex eorum familia probos & pios, quique Christianis virtutibus soleant Philosophiam suam, Philologiam, Medicinam, artes caeteras condire.* Confer. infra *Epilegom* §. 6 not. * Atque in libello isthic al-

allegato, p. 61 ſic loquitur DRELINCOVRTIVS, *J'ay voulu montrer aux Paſteurs, que les Médecins ne ſont pas tels qu'on les décrie: mais que la piété nous eſt comme héréditaire; & que nous liſons le Teſtament de nôtre Pére Céleſte, avec autant de ſoin que les autres fidéles.* Galenum, etiam atheiſmi poſtulatum, vindicat CASAVBON *Epiſt.* 258.

§. 21. Quum in *Proleg.* §. XII tractationem de *Theologia Hippocratis Naturali*, cum Pſychologia, Daemonologia, &c. huc reiecerim, nunc eius ſciagraphiam aliquam ſubtexere conabor, ipſiſmet fere tantum Hippocratis verbis delineatam. [*] I Eſt prima & ſuprema omnium rerum cauſſa, a qua, quod ſunt & mouentur, habent [1]; mente tantum cognoſcenda. [2] II Illud ens eſt immortale, intelligens, videns, audiens, ſciens omnia cum praeſentia tum futura, omnipotens, ſanctum purumque: [3] homines a maximis etiam peccatis aut impuritatibus purificans, tutansque &c. [4] III Vocatur autem Deus, propria & excellenti ſignificatione. [5] IV Sunt praeterea DI, & Daemones, & Heroes; ſummi illius adminiſtri. [6] V A Deo Diisue &c. omnia. [7] VI Deus certas agendi leges impoſuit mundo eiusque principiis cauſſisue ſecundis, [8] ſecundum quas leges quum agunt illa, videntur ipſa per ſe propria originaria virtute agere. [9] VII Aër & caeleſtia, adeoque omnia naturalia & humana, dicuntur ipſa quoque Diuina, quatenus Deorum virtute impraegnata ſunt. [10] VIII Eſt & primum rerum ſub ſenſus cadentium principium, omnia animans mouensque: quod appellatur Calidum, Ignis, Aether &c. [11] IX Ab illis cauſſis Natura [12] conſtituta eſt: quae vel Vniuerſalis, vel Singularis cuiusque rei. [13] X Anima hominis eſt a Calido principio, admixto Aqueo: [14] omnibus animantibus eadem: [15] augmentum & commixtionem recipiens: [16] intelligentiam prudentiamque in corde & cerebro exſerens, motum vero membris praeſtans: in ſanguine reſidens: [17] ex aëre hominem ingrediens. [18] XI Praeter animam Mens quoque in homine ineſt. [19] XII Sunt Somnia, quae dicuntur Diuina, [20] XIII Et Morbi Sacri ſ. Diuini. [21] XIV Eſt Prouidentia. [22] XV Medicina eſt a Deo. [23] XVI Non a Fortuna regitur. [24] XVII Deus in curandis morbis ſuam exſuperantem potentiam & praeſentem medendi virtutem exſerit. [25] XVIII Quare

re medicinalis ars caste ſanćteque, [26] & cum religioſo numinis cultu exercenda: [27] Dei deorumque auxilium in curationibus implorandum, coniuncta etiam opera humana. [28] XIX Sacrae Purificationes, propter contractas peccatorum impuritates, adhibendae. (29) XX Superſtitio & Impietas abominanda. (30] Quae omnia & ſingula latius diducere nunc quidem non vacat. Caeterum neceſſaria videtur cautio, ne, noſtras harum rerum notiones afferendo, ex propriis dogmatibus ſententiisque, tanquam ex hypotheſibus, ſenſum verbis Hippocratis aſſignemus.

* Ego nunc, quae maxime clara videntur, loca Hippocratis producam potiſſimum, reliqua, ex quibus operoſiore quodam modo eius ſententia demonſtratur, videri poſſunt apud Ioh. STEPHANVM & Io. And. SCHMIDT; cc. ll. Vnde autem haec habuerit Hippocrates, Naturae ne ſolius ex lumine, an ex Traditione, communis religionis placitis, ſcriptis maiorum, commercio aliorum populorum, Philoſophorum, peregrinantium, &c. id iam in medio relinquamus.

(1) Τὸ ὑπερισχὺον δυναστεῦον, i. e. οἱ θεοὶ, οἱ πολλὰ μὲν μεταχειρέοντες, πολλὰ δὲ καὶ κρατήσαντες αὐτέοι δι' ἑωυτέων, vt dicitur in hac ipſa, quam de manibus nondum depoſuimus, *Sectione* VII. Vocatur autem *exſuperans* poteſtas propterea, quod, quum omnes cauſſas & vires naturales atque humanas perquiſiueris, tamen aliquid adhuc ſupra eſſe debere confitearis neceſſe eſt, in quo ſubſiſtat cauſſarum ratio. Vid. §. 3 huius: it. *Comment.* VI §. 25 ſeqq. Sic τὸ θεῖον, ἡ ἀνάγκη θείη, αἱ νοῦσοι θεῖαι, τὰ θεῖα ἐνύπνια, Aër Diuinus &c. ex ea ratione appellantur, quatenus Deus cauſſa illarum rerum exiſtimatur: nam, quod Auctor in l. de *Morbo Sac.* a princ. θεῖον vocauerat, idem ibid. explicat ὃ ὑπὸ θεοῦ γίνεται, I, 11 & οὐ θεός ἐστιν αἴτιος, III, 4 & 10 & 53 &c. Conf. §. 10. & 18 it. 19 not. * Add. b. I. A. FABRICIVS *ad Ioh. Stephani Theol. Hippoc.* in B. G. Vol. XIII p. 192 not. b. Singularis eſt ſententia Ioh. Franc. GRANDIS *in Diſſ. Philoſ. & Crit.* I, ap. MORHOF *Polyh. Philoſ.* ſ. Tom. II Lib. II Cap. VII §. 8. p. m. 195 *Quod infinitum illud inane* (Lucretii cum Epicuro) *attinet, hoc impugnat Ioh. Franc. Grandis, atque a Democrito longe aliud quid denotatum fuiſſe, ipſum ſcil.* Deum; *qua ratione Mentem Aetheream illam & Spiritum, de quo adeo multa Platonici, per hoc intelligendum, aſſerit. Id multis Philoſophorum teſtimoniis confirmat, ipſius praecipue Democriti, ex Clemente, iuxta Euſebium de Praeparatione Euangelica lib.* 13. *Quocum eadem ſenſit* Hippocrates, *coaetaneus Democriti* &c.

(2) Vid. §. 4 hui.

(3) περὶ ἀρχῶν I, 14 ſeqq. Δοκέει δέ μοι, ὃ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατόν τε εἶναι, καὶ νοέειν πάντα καὶ ὁρῆν, καὶ ἀκούειν, καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. Quibus verbis quanquam Calido principio videatur tribuere, quae Dei ſunt: tamen ea tantummodo ratione illi calido tribui, quatenus hoc ex lege a Deo ſibi

sibi imposita agit, declarant haec ex l. 1 *de Diaeta* VI, 21 seqq. vbi de duobus principiis, igne & aqua, ἃ μὲν πρήσσουσιν, οὐκ οἴδασιν· ἃ δὲ πρήσσουσι, δοκέουσιν εἰδέναι. καὶ θ' ἃ μὲν ὁρῶσιν, οὐ γινώσκουσιν. ἀλλ' ὅμως αὐτοῖσι πάντα γίνεται δι' ἀνάγκην θείην. Pertinet huc, quod obseruat Ioh. STEPHANVS c. l. Cap. III §. 4 *Caeterum scire licet, Hippocrati fuisse in more positum, instrumentariam caussam non raro pro efficiente primaria vsurpare.* Conf. ZUINGER. ad l. περὶ ἀρχῶν l. c. itemque I. A. SCHMIDT c. l. p. 23. De *Potentia*, praeter praesentem l. περὶ εὐσχ. textum, vid. locus in *Comm.* IV §. 4 expositus. Et *de Morbo Sac.* III, 12 & 33 τοῦ θείου ἡ δύναμις asseritur, iique redarguuntur, quorum ex erroneis opinionibus consequeretur, ὅτι τοῦ θείου ἀφανίζεται ἡ δύναμις ib. III, 12 & ὅτι οἱ θεοὶ ἰσχύουσιν οὐδὲν ib. n. 9. De *Sanctitate* & *Puritate*, vid. in *Comm.* VI §. 22. De *Iustitia* in remunerando multandoque, longior argumentatio reperitur in l. *de Aëre*, *Aq.* & *Loc.* LI, 8 seqq.

(4) Vid. insignis locus in *Comment.* VI §. 22.

(5) Saepe Deum singulari appellatione nominat Hippocrates, vid. e. c. not. 1 huius. Conf. §. 3 huius *Comm.* VII. Et in *Oratione Thessali* n. 134 Lind. p. 946 T. II de Hippocrate narratur, ὅτι ὑπὲρ ἑλλήνων ἱκεσίην ἔθετο τῷ θεῷ, videlicet ad pestilentiam auertendam: quam quidem *singularem expressionem admirari* se dicit DRELINCOVRT. *de Diuinis Hippocrateis* p. 28. not. b vers. Gall.

(6) Hic quoque valent dicta praec. nota 5. De ἀδεισιδαιμονίᾳ supra vidimus. Τὸ: θεῖον καὶ τὸ δαιμόνιον componuntur *de Morbo S.* III, 21. Add. *de Morb. Virg.* I, 7 & *Epist. ad Philopoem.* Tom. II p. 907 supra *Comm.* VI §. 17 relat. *Heroum* cultus commemoratur *de Morbo S.* III, 43 & *de Insomn.* XI, 6 seqq. & XV, 12; quo quidem vtroque in libro cc. ll. complures DI nominatim excitantur. Add. *Iusiur.* pr. *Oratio ad aram*, n. 3 & sub fin. p. 935 T. II Lind. Conf. *Proleg.* §. V not. 1 §. 1 seqq. SCHMIDT a. l. p. 16.

(7) Θεῖα πάντα, passim Hippocrates, e. c. *de Morbo S.* XVIII, 23. *de Aër. Aqu. & Loc.* XLIX, 7.

(8) Vid. locus ex l. 1 *de Diaeta* VI, 21 seqq. productus nota 3: it. alius, supra in Comm. IV §. 4. Et *de Septimestri*, qui *spurius* censetur, n. 11 seq. Κατὰ τὴν ἀρχαίην γένεσιν, ὁκότε ἔκτιζο, πάντα ζῶα ἐρυσμοῦτο· καὶ νῦν γνῶθι διὰ ταῦτα κατὰ νόμους ῥυσμοῦσθαι. It. *de Genitura* pr. Νόμος πάντα κρατύνει.

(9) Vid. de Diaet. I, VI, 21 seqq. supra not. 3.

(10) Vid. §. 14 versus fin. ex l. de *M. S.* XVIII. & *de Aër. Aqu. & Loc.* XLIX.

(11) Vid. not. 3 pr. quibus ex l. de Principiis allatis verbis, addit Hippocrates ibid. καὶ ὀνομῆναί μοι αὐτὸ δοκέουσιν οἱ παλαιοὶ Αἰθέρα. Conf. *de Insomn.* IX, 2. it. de Igne l. 1 *de Diaeta* passim, inprimis IV. V. VI &c. Add. GRANDIS supra not. 1.

(12) Vid. I *de Diaeta* XII, supra *Comment.* IV §. 4: & hoc *Comm.* VII §. 7 & 9.

(13) Vid. ex l. *de Alimento*, *Comment.* IV §. 2.

(14) *De Princip.* I, 5 seqq. *De rebus sublimibus in aëre ac caelo, neque opus habeo dicere, nisi quod, quantum ad hominem & reliqua animantia, quae sunt, & nata sunt, pertinet, demonstrabo, & quod Anima sunt, &c.* I *de Diaeta* VIII, 7 ἐσέρπει ἐς ἄνθρωπον ψυ-

ψυχὴ, πυρὸς καὶ ὕδατος ξύγκρησιν ἔχουσα, μοῖραν σώματος ἀνθρώπου. Quae eadem leguntur ib. Vll, 5 & XVlll pr.

(15) *de Diaeta* I, XXl, 2 ἡ μὲν ψυχὴ τωὐτὸ πᾶσι τοῖσιν ἐμψύχοισι· τὸ δὲ σῶμα διαφέρει ἑκάστου.

(16) *de Diaeta* I, Vlll pr. ἀνθρώπου ψυχὴ ἐν ἀνθρώπῳ αὐξάνεται. *Epidem.* Vl, 5, 9 ἀνθρώπου ψυχὴ αἰεὶ φύεται μέχρι θανάτου. *de Diaeta* I, XXll, 16 εἴ τις ἀπιστέει, ψυχὴν μὴ προσμίσγεσθαι ψυχῇ, ἄφρων ἐστί.

(17) *De Morbis* I, XXVIII, 2 *Sanguis, qui est in homine, maximam partem ad prudentiam* (συνέσιος) *confert: quidam dicunt totum. De Flat.* XX, 3 *Opinor, inter omnia, quae in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam* (φρόνησιν) *conferre, quam Sanguinem. de Morbo S.* VIII, 11 *Qui ad venas peruenit Aër, confert ad Ventriculos ingressus & ad Cerebrum: atque sic sapientiam* (φρόνησιν) *& motum membris exhibet. de Corde* Vlll, 9 *Mens* (γνώμη) *hominis in sinistro Ventriculo insita est*, & *reliquae Animae imperat: nutritur autem neque cibis neque potibus a ventre, sed pura* & *illustri* (φωτοειδεῖ) *substantia, ex sanguinis discretione nata.*

(18) *De Diaeta I, XVIII pr.* ἡ ψυχὴ ἑσέρπει ἐς ἅπαν ζῶον, ὅ,τι ἀναπνέει. Conf. *de Morbo S.* Vlll, 11 praec. not. 16. it. *Comment.* Vll §. 14 post med.

(19) Vid. §. 4 huius *Comm.* Vll. Conf. Democritvs *ad Hippoc. de Natura Hominis*, Opp. Hipp. Tom I p. 281 n. 9.

(20) Vid. §. 14 huius *Comm.* Vll not. *

(21) *Comm.* Vll §. 11 seqq.

(22) *Comm.* Vll §. 18. Πρόνοια τόκου ibid. §. 9.

(23) *De Vet. Medic. XXIV* post pr. *Primi inuentores iudicauerunt artem dignam, quae Deo attribuatur: quemadmodum etiam receptum est.* Et *de Insomn.* in fine scribit, se rationes diaetae inuenisse, ὡς δυνατὸν εὑρεῖν ἄνθρωπον ὄντα ξὺν τοῖσι θεοῖσιν Conf. Epist ad S. P. Q. Abderit. p. 904 Tom. ll. Et in vniuersum de omnibus artibus vid. locus supra *Comment.* lV §. 4.

(24) Vid. supra *Comm.* lV §. 13 ex *de Loc. in hom.* Add. *de Vet. Medic.* XXl extr. &c.

(25) περὶ εὐσχημοσ. ipso illo, quem modo pertractauimus, loco.

[26] *Iusiur.* ll, 9 ἁγνῶς δὲ καὶ ὁσίως διατηρήσω βίον τὸν ἐμὸν, καὶ τέχνην τὴν ἐμήν. Drelincovrt d. l. p. 33 not. d *St. Jerôme relève avec éclat ce bel endroit d'Hippocrate, - dans son Epitre à Nepotianus*, Tom. l p. 17 A.

[27] περὶ εὐσχημ. Sect. Vll.

[28] Vid. locus ex l. *de Morbo Sacro IV*, 55 *seqq.* supra in *Commentario* Vl §. 22 it. *de Insomn.* in *Comm.* Vll §. 14 not, * & supra not. 5 huius.

[29] Vid. locus in *Comm. VI* §. 22.

[30] Vid. *Comm. VI* de ἀδεισιδαιμονία & *de Morbo Sac.* supra in *Comm. II* §. 5 & *Comm. VI* §. 22 & *Comm. VII* §. 14.

Com-

COMMENTARIVS VIII
AD SECTIONEM VIII.

§. 1. Oſtenſis adhuc & declaratis ita veris legitimae honeſtaeque Medicinae rationibus, & quaenam Medicinae ſint communia cum Philoſophiae profeſſione, nunc propius accedere parat Auctor ad demonſtrandum particulatim, & propoſitis ſingularium exercitatricis Medicinae partium ſpeciminibus declarandum, quomodo Medicus in iis, quae arti propria ſunt, honeſte verſari, & ſapientiae virtutisque praecepta ad vſum actionum communis vitae transferre debeat. Igitur & Methodum arti certam, firmam, & ad plura inuenienda comparatam vindicat, &, vnde huius demonſtrationis οἰκειότερα, vt loquitur in fine libelli περὶ τέχνης, argumenta ducenda ſint, ſignificat, videlicet ex iis, quae circa corpora humana in curatione morborum eueniunt.

§. 2. Iam ſupra *Sect.* V ſignificatum eſt, Medicinam, vt hodie pluribus incrementis adinuentisque locupletata eſt & locupletabitur, ſic etiam temporibus Hippocratis, multum acceſſionis & additamentorum recipere potuiſſe: ſimulque, §. 4 ipſius verbis Hippocratis comprobatum, eadem ratione, qua medicina conſtituta eſt, etiam in ea adaugenda locupletandaque procedendum eſſe. Idem hic confirmaturus Auctor, ait, Artem Medicam reliqua ſua incrementa, ἃ καταπλεονεκτεῖ, ex iisdem fontibus, qui adhuc in praecedente disputatione declarati ſunt, repetenda habere, ἐντεῦθεν παρέξει. Iam, totius prioris ſermonis ſumma haec eſt, φύσει καὶ θεοῖς auctoribus, ducibus, atque magiſtris Medicinam totam referri debere acceptam: vid. *Sect.* IV & VII, & hic inprimis §. 9. Hoc autem iſta ſibi volunt, Deum Naturam rerum vniuerſam, & ſingulariter hominis, ita adornaſſe & conſtituiſſe, vt, ſi Homo eo animum diligenter intenderit, quo, quid Deus partim Naturam ſua ſponte, ſ. legibus viribusque inſitis, efficere iubeat, partim per ſemet ipſum peragat, recte cognoſcat perſpiciat atque intelligat, quoque eandem Naturam ducem ac magiſtram ſequendo, cum animum ſuum virtute probe excolat, tum in profeſſionis Medicinalis operibus adminiſtrandis Naturae praemonſtratis veſtigiis inſiſtat, tum inde poſſit ad liquidam in Medicina veri perſpicientiam, & cum ad cognitionem iam repertorum, tum ad

minus cognitorum inuentionem inueſtigationemque peruenire. Et haec eſt illa ὁδὸς τῆς ἰητρικῆς τῆς ἐν σοφίῃ, Methodus medicinae cum philoſophia coniunctae.

§. 3. Nunc quoque criterium veritatis ſubiicit Auctor, ſ. principium ex quo in Medicina pateſcat recta methodus ſ. agendorum ratio. Quemadmodum autem & ſupra *Sect.* VII & deinceps per omnes *Sect.* IX-XVII vbique ex Medicina proprie ſic dicta, i. e. Practica, diſſerendi demonſtrandique argumenta petit ac ducit, conf. *Comment.* VII §. 5 itemque *Comment.* IV: ita hoc quoque loco, quo probet, Methodum legitimae honeſtaeque medicinae ſuis certis ac firmis principiis eſſe ſubnixam, ſiue Demonſtratiuam, vt nunc loquuntur, ait, harum rerum argumenta ſ. demonſtrationis principia deprehendi in iis omnibus, quae fieri & euenire obſeruantur in corporibus humanis circaque eadem, ὁμολογέουσιν ὧδε τὰ περὶ σώματα παραγενόμενα· quando morbis eorundemque ſymptomatis affliguntur, & iſti morbi omnibus Artis & Naturae praeſidiis tractantur atque curantur; & Naturae quidem, perficiendo Criſios & ſpontanearum mutationum negotio, quod μετασχηματίζεσθαι ἢ μεταποιεῖσθαι appellat Auctor; Artis autem, adhibendo remedia vel Chirurgica, vel Therapeutica, vel Diaetetica, vel omnis ſimul generis. Has enim omnes partes Medici munere & officio tum fuiſſe comprehenſas, in *Prolegomenis* §. IX iam dictum eſt: Therapeuticam vero hic vocari, quae alias Pharmaceutica appellari conſueuit, facile perſpicitur.

§. 4. In quibuslibet humani corporis morbis, tam actione vitae ac naturae quam remediorum, ſpontaneaque humorum mutatione, certae variaeque pro ratione partium, & temporum ipſius morbi, & aetatis, & anni, & reliquae varietatis, accidunt mutationes aut viciſſitudines: quemadmodum pluribus exponi poſſet in ſingulari *Diſſ. de prudenti temporis obſeruatione in curanda valetudine*, & pertinet huc totum caput de Cruditate, Coctione, Criſi, Metaſtaſi, & ſi quae ſunt alia huiusmodi. Quae autem inde accidunt mutationes, aut ipſum morbum in ſanitatem aliumue morbum, vel mortem denique conuertunt, ſicut data opera & diligenter annotare ſolet in *Aphoriſmis practicis* ſolertiſſimus BOERHAAVIVS: & huius generis euentus ſigni-

gnificat Auctor voce μεταποιούμενα. Aut eodem licet manente morbo, varia tamen exteriore ſpecie habituque ſymptomatum in oculos & ſenſus incurrit, adeo vt ſaepe in aliam omnino formam tranſiiſſe videatur, ſicut in febribus praeſertim anomalis, aut in quibus exanthemata ſuccedunt, frequenter obſeruatur. Hi vero ſunt μετασχηματισμοὶ morborum. Conf. *Comment.* V §. 5.

§. 5. Quodſi Medicus morborum rationem, naturam, mores, atque ſymptomata habeat perſpecta, ſciatque, quas in tota ſua forma aut in externa ſpecie, ſiue ſignis ſuis, ſubeant mutationes ac viciſſitudines;& qua ratione Natura, ope inductarum mutationum & euacuationum, negotium curationis adminiſtret; quomodoque Artificem hoc Naturae opus auxiliis diaeteticis, pharmaceuticis, chirurgicisque imitari oporteat, verbo, ſi morborum Hiſtoriam perdidicerit, & quibus remediis, quo tempore, quo modo, curatio perficienda, nouerit: eum, apparet, habere quoque ſimul cognitam veram & demonſtratiuam medendi Methodum, quae ordinem, modum, & tempora curandi, ſiue bonis vtendi remediis, praeſcribit. Quapropter etiam iſtorum ſcientiam, ſummam, τὸ κεφαλαιωδέςατον, appellat Auctor, totius Methodi medicinalis: ſiquidem eo omne Medentis ſtudium atque opera referri debet. Αὕτη γὰρ ἀρχὴ ἐν ἰητρικῇ, καὶ μέσα, καὶ τέλος, vt ait infra *Sect.* X extr. Hoc reſpectu dicere ad diſcipulos ſolitus eſt Hieron. CAPIVACCIVS, *Diſcite meam methodum, & habebitis arcana mea.*



EPILE-

EPILEGOMENA.

§. I.

Quae nunc ſequuntur in Hippocrate, quum tantum exemplorum loco, ad illuſtrandum confirmandumque proprium illud de Philoſophiae in Medicina vſu argumentum, deducta ſint, (vid. *Proleg.* §. XVIII) quamobrem etiam in ſuperioribus *Commentariis* ad eadem iam ſaepius prouocatum fuit: igitur non videntur vlteriori commentandi opera opus habere. Quae tamen ad declarandam ſententiam neceſſaria vel vtilia fore iudicaui, ea ſtatim textui ſubieci. Praetermiſi quoque in recenſendo libello ea, quae plane Medicae tractationis erant, Medicis ſolis nimirum relinquenda.

§. 2. De Auctore libelli iam aliquid certius ſtatui poterit. Certe apparuit, primum, ſtilum ſimplicem, incultum, verbisque vel antiquatis vel inuſitatis horridum an venerabilem? & breuiloquentiam; & vſum vocum σοφία, φιλόσοφος, ἰσόθεος, φύσις &c. & ſententiam libelli, qua praeſertim Medicinam a Philoſophorum ſcholis ſeparandam eſſe praecipit, &c. illis notis reſpondere, quas de ſtatu aeui Hippocratici; deque ipſius Coi rebus & inſtitutis prodidere cum coaeuorum teſtimonia tum hiſtoriarum monumenta. Deinde, doctrinam & praecepta libri reliquis, quae in corpore ſcriptorum Hippocratis deprehenduntur & Hippocrati noſtro tribuuntur, ſententiis placitisque admodum eſſe conſentanea: nihil autem quicquam obſeruatum fuit, quod caeteris viri decretis repugnet. Quae quidem argumenta ſatis videntur ſufficere, vt quam proxime vero ſtatuam, aut ipſum illum nobiliſſimum Hippocratem, qui tempore Socratis &c. fuit, eumque valde ſenem, haec praecepta diſcipulis ſuis conſcripſiſſe *; aut certe aliquem ex eius maioribus **, cuius commentarium noſter tamen velut adoptauerit in ſuorum ſcriptorum numerum.

* Erotianus Galenusque non recenſent hunc libellum in genuinorum numero. Charterius in hunc Lib. Hippocr. Tom. II p. 405 nimis confi-

fidenter, *Hunc libellum Hippocratis genuinum esse nemo reluctatur, quanquam ab Erotiano subticetur.* Hier. MERCVRIALIS eundem in Classem IVtam, h. e. eorum, quos aperte spurios iudicat, reiicit; idemque ad ista libri verba, ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος, haec habet: *Aurea sane sententia, quae doctissimum Galenum aliquando coëgit, vt integrum librum componeret ad demonstrandum, vix fieri posse, vt quis sit optimus Medicus, nisi idem sit quoque Philosophus optimus. Quo magis miror, in eo libro huiusce sententiae mentionem habitam esse nullam a Galeno: nisi dicamus, hunc librum neque Hippocratis, neque cuiusquam ex eius sequacibus fuisse, siquidem phrasis insueta, importuna prolixitas, rerum vana & confusa tractatio id omnibus persuasum facere possunt.* Gunth. Christoph. SCHELHAMMER. *in Additam. ad H. Conringii Introd. in Art. Med.* Cap. III §. VIII ** iudicium censorum referens, *Liber de Decenti Habitu & Praeceptiones,* inquit, *& dicendi genere & rerum grauitate ab Hippocraticis libris longius absunt, etsi multa non inutilia in iis contineantur.* Idem tamen Schelhammerus postea, quum magnam huiusce libelli partem Dissertatione quadam illustraret, (Vid. *Proleg.* §. XXII) eundem pro legitimo foetu agnouit: quemadmodum etiam reliqui interpretes, tum item complures alii eruditi homines fecerunt, e. c. ipse Schelhammeri socer, magnus CONRINGIVS, in eodem libro Cap. II §. XI. Atque ea plerumque est censorum ipsorum inconstantia eaque argumentorum, quibus Hippocrati libros abiudicant, fallacia, vt has disputationes audiendo, multo adhuc incertior fias, quam antea: neque id alia de caussa fieri existimo, quam quia propriis incertisque hypothesibus innituntur eiusmodi iudicia. Sic Schelhammeri argumentis opponatur MARTIANVS *in praefamine Annotationum ad l. I de Morbis Mulierum*; itemque I. H. MEIBOMIVS *in Comment. ad Iusiur. Hippoc.* Cap. XI n. 17. Et simile inconstantiae exemplum videri potest in *Introd. Conringiana* Cap. II §. XI, collato item Celeb. SCHVLZIO *in Hist. Med.* Per. I Sect. III Cap. I §. XXVI seqq. & in *Disp. de Medico vehementer laudari digno*, §. II & III. Add. id. *Hist. Med.* Per. II Cap. I §. XXII. EXC. D. W. TRILLER. *in Epistola ad Io. Freind*, p. 27 seqq. p. 55 & 78. Denique, placet iudicium Prosp. MARTIANI, viri integerrimi, &, ex ipsius Schelhammeri sententia, principis fere commentatorum Hippocratis, *Praef. Verum quoquo modo talis inscriptio ipsis* (Libris Hippocratis) *contigerit, certum est, omnes ab eadem schola emanasse, & ideo plurimi faciendos esse. Firmitudinem enim sinceritatemque sapiunt omnes antiquissimae illius doctrinae, quam prisci illi summi viri firmissimis multorum saeculorum obseruationibus, & diuturnis speculationibus, incorruptoque iudicio a naturae penetralibus erutam, singulari Dei beneficio nobis reliquerunt quae eum perfectionis gradum at[illegible]t, quem nullus posterorum adscendere [illegible]huc potuit. - Nos igitur, [illegible]mmunem inscriptionem attendentes, libros hos omnes nomine Hippocratis appellabimus, parum aut nihil facientes, an ab hoc, an ab illo fuerint confecti, dummodo veram doctrinam, & Hippocratis dogmatibus consentientem continere eos pateat.*

** Eodem fere modo *de libris ad mulieres pertinentibus*, vt pote *de Natura Muliebri, de Morbis Mulierum*, itemque illo *de Internis Affectionibus*, iudicat I. H. SCHVLZ. *H. M.* Per. I Sect. III Cap. IIII §. XXVIII, *Quum in tanta copia & farragine medicamentorum*

 torum

torum, quae in his libris commemorantur, vbi toties commode commendari poterat Aloë; *nunquam tamen ad vsum proponatur: magnum inde argumentum peti posse existimo ad antiquitatem horum librorum agnoscendam;* dixerat enim paullo ante, Aloën non ita multo post Hippocratis tempora in vsum vocatam deprehendimus *quantumuis mihi persuadere non possum, eos Hippocratis genuinos foetus haberi posse; omninoque mallem, eos synchrono, vel plane antiquiori cuidam, Cnidiae scholae doctori, adscribere.*

§. 3. Vtrum praesens *de Honestate* libellus connexus sit cum libro *Praeceptionum*, ita vt hic illius pars censeri debeat, quae est sententia mei quondam Praeceptoris iucundissimae memoriae, b. Io. Alb. Fabricii, *in Bibl. Gr.* Vol. XIII s. Lib. VI Cap. IX, ad Io. Stephani Theol. Hipp. Cap. V, 6 not. g p. 224; quanquam complura ad hanc suspicionem fouendam conueniant:* tamen in dubio relinquere nunc quidem necesse videtur.

* In Charterianis ad Praeceptionum libellum notis, Tom. II p. 404 haec inuenio: *Hippocratem iam aetate prouectum, libellum hunc legitimum conscripsisse, Zvingerus auguratur; quod tum dictionum obscuritate, tum sententiarum breuitate, ad artis dignitatem constituendam praecepta veluti oracula tradiderit*, &c. Iudice Martiano, *Hic liber Praeceptionum inscriptus, omnium Hippocratis librorum obscurissimus est.* Foesivs *in Nota* 1 ad hunc librum docet, *illum eandem apud omnes habere inscriptionem, etsi ab Erotiano in Prooemio tacitus sit praetermissus, vt neque ab eo, neque a Galeno lectus videatur, quum nullas inde dictiones eos attigisse & explicasse, satis constet.* Mercvrialis & Schelhammeri eadem omnino est censura, atque illa de libro περὶ εὐσχημοσύνης.

§. 4. Quandoquidem tam multa tamque manifesta in libello deprehensa sunt vestigia, vbi ad Pythagoricam disciplinam & praecepta respectum videtur, partim illa confirmando, partim vsu Medicinali temperando circumscribendoque: verisimile fit, hanc ἀκρόασιν praecipue ad Medicos eos directam fuisse, qui ex Pythagorica schola profecti, Medicinam eiusque scita a priori, vt dicitur, ex Philosophia depromenda, discenda, atque demonstranda esse disputarunt. Vnde quoque nouum pro antiquitate libri duci posset argumentum.

§. 5. Quumque Galenvs, in l. ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος, eandem fere cum istis Pythagoricis viam sequendam proposuerit,

rit, eatenus illum diuersas ab huius libelli sententia rationes iniisse videmus; quemadmodum & alias ab Hippocratica disciplina discessisse, communi Doctorum conuicio reprehenditur.

§. 6. Denique sententia libelli quam breuissime his verbis comprehendi poterit, *Medicum esse virum bonum & Dei reuerentem, medicinae peritum.* Vlterius progressus est Carolus DRELINCOVRTIVS, & singulari Oratione Academica, Hippocratis sententias quam plurimas mirifice cum Sacrorum Bibliorum oraculis conuenire ostendit *.

* Graeco sermone dicta est: deinde edita, Gallico quidem ab ipso auctore, Latino vero ab eiusdem filio: ex vtriusque interpretatione Lugd. Bat. 1689. Inscriptio Gallica est, *Discours Academique sur quelques pensées d'Hippocrate & de l'Ecriture:* Latina, *Car. Drel. de Diuinis apud Hippocratem Dogmatis Sermo.* Loca Scripturae magno numero collecta, in inferiore pagina allegata & Hippocrateis subiecta sunt: exemplum dedi in *Comment. VI* §. 22 not. * Addita quoque approbatio Theologi *H. des Marets.*

§. 7. Postremo, quantumuis laudandum in Ethnico fuerit illud *Honestatis* studium: tamen Christiano Medico principium inde actionum capere minus licet, etsi praecepta conuenerint *.

* Hactenus placent, quae de Honesti inanitate dixit Mr. ESPRIT, dans *La Fausseté des Vertus Humaines*, Preface, vbi inter alia, *C'est ce bien* honnête, *dont Ciceron & Seneque parlent toûjours avec excez & avec transport, & qu'ils representent comme l'amour & les delices du Sage; qui a été l'écueil, où, si l'on en excepte Platon, tous les Philosophes ont échoué. C'est ce bien* honnête, *qui a été la cause presque unique de tous les mécontes de leur morale. Enfin, c'est ce bien* honnête, *qui a été l'idole, à laquelle ils ont adressé leurs vœux:*

Santissima Honesta, che sola sei
D'alma ben nata inviolabil' nume;

& qu'ils ont ensuite proposée aux Sages de tous les siecles, afin qu'elle en fût adorée. Ce qui leur a beaucoup mieux reüssi, qu'il ne pouvoient esperer, puisque non seulement les Sages Payens, mais aussi la plûpart des Sages, qui font profession de la Religion Chrêtienne, ne reconnoissent point par leurs actions d'autre divinité que le bien honnête. Add. ib. Tom. I Chap. XXV p. 520 seqq. Et hic tamen p. 528, S. Thomae adstipulatur, *qu'il y a certaines personnes, qui ont la complexion si heureuse, qu'ils se portent aux actions droites par la seule disposition de leur temperament.* Et concludit p. 535 *Il n'est point de solide probité*, dit Platon, *que celle, qui est jointe à la pieté & à la sainteté. La parfaite probité*, dit Aristote, *est celle qu'on pratique dans la seule vuë des choses divines & éternelles.* Quodsi igi-

gitur Plato & Ariſtoteles honeſtatem ex fine ſtudioue religionis ſ. pietatis in Deum colendam eſſe docuerunt: quid obſtat, quo minus eandem ſententiam tribuamus Hippocrati? vtpote cuius non vno loco confirmatum vidimus, eum ad leges naturae a Deo inſitas atque promulgatas omnia retuliſſe. Hac autem ratione honeſtatem in ſapientibus ethnicorum verae virtutis, naturalis illius quidem, titulo ſpoliare velle, minus aequum videtur. Sed Chriſtiana virtus ex alio reſpectu propoſitoque proficiſci debet. Cauendum autem, ne, inter tractationem paganorum ſcriptorum, dediſcamus rationem virtutis Chriſtianae vt, quemadmodum ERASMVS Roterod. *in Ciceroniano* ſcribit, *Titulo duntaxat ſimus Chriſtiani; corpus aqua tinctum ſit ſacra, ſed illota mens ſit.* De cautione in legendis auctoribus ethnicis vid. Iac. THOMAS. *de Ethnic. Stili* §. vlt. Io. Chriſtoph. Ottonis *Diſſ. de Lectione auctorum gentilium*, hab. Lipſ. 1715. Io. Alb. Fabricii *Epiſtola*, in H. S. Reimari Commentario de vita illius deſideratiſſimi viri, p. 340 ſeqq.



PARA-

PARALIPOMENA:

QVIBVS COMPREHENDVNTVR
RELIQVA LIBELLI

ΠΕΡΙ ΕΥΣΧΗΜΟΣΥΝΗΣ,

SECVNDVM EDITIONEM LINDENIANAM,

VARIETAS LECTIONIS

AD H. L.

EX MS. BIBLIOTHECAE REGIAE PARIS.

ITEMQVE

EX EDITIONE ALDINA VENET. 1526,

SCHOLIA ANTIQVA GRAECA

EX MS. BIBLIOTH. REG. PARIS.

GNOMAE GRAECAE

EX EODEM MS.

DENIQVE

V. EXP. H. C. CRVGERI MED. D.
ET PHYS. LVNEBVRG.

NOVA INTERPRETATIO LATINA ET
ANIMADVERSIONES IN LIBRVM

ΠΕΡΙ ΕΥΣΧΗΜΟΣΥΝΗΣ.

VARIETAS LECTIONIS
ex MSto Codice Bibliothecae Regiae Parisiensis: itemque ex editione Aldina Venet. 1526.

I, 1 ταύτην δὲ] δὴ Reg. & Ald.
2 ἀργίη] ἀργείη A.
ἐφειλκύσατό τε] τι R.
3 πεποιημένη] πεποιημένην R. & A.
τέχνην δὲ, πρὸς εὐσχ.] δὲ, τὴν πρ. R.

II, 3 Ἴδοι δέ τις ἂν] om. ἂν R. & A.
πολὺ μᾶλ.] πουλὺ A.
φευκτέοι καὶ μισητέοι] φευκτέον καὶ μισητέον R. & A.
εἰσι] ἐστι R. & A.

IV, 1 προσπορεύωνται] προσπορεύονται R. & A.
3 ἀμφοτέροισι λόγοισι] ἀμφ. τοῖσι λόγ. R. & A.
εἰς δεῖξιν] ἔνδειξιν R.
6 αἰτίην] αἰτίη A.

V, 1 εὐοδέα] εὐωδέα R. & A.
2 διὸ δεῖ] δὴ R. & A.

VI pr. οὐ om. R. & A. καὶ γὰρ] om. A.
2 πρὸς βίον χρ.] βίου A.
4 ἡ γνῶσις] ἡ om. R. & A. ὡς, καὶ ὁκοίως] καὶ om. A.

VII, 1 νῷ] νόῳ R. & A.

IX, 2 φαίνοντα] φαίνωνται R.

IX,

IX, 5 Μελετᾷν δὲ χρὴ ἐν ἰητρικῇ ταῦτα μετὰ πάσης καταστολῆς, περὶ ψηλαφίης καὶ ἐγχρίσιος [a] καὶ ἐγκαταντλήσιος, πρὸς τὴν εὐρυθμίην τῶν χειρέων· περὶ τιλμάτων, περὶ σπληνῶν, περὶ ἐπιδέσμων, περὶ τῶν ἐκ καταστάσιος, περὶ φαρμάκων ἐς τραύματα, καὶ ὀφθαλμικά·

6 καὶ τουτέων πρὸς γένεα [b]· ἵν' ᾖ σοι προκατηρτισμένα· ὄργανά τε καὶ μηχαναὶ, καὶ σίδηρος ὁ ὀξύς [c]. ἡ γὰρ ἐν τουτέοισιν ἀπορίη, ἀμηχανίη καὶ βλάβη ἐστίν.

X. (VIII. Lind.) Ἔστω δέ σοι ἑτέρη παρέξοδος ἡ λιτοτέρη, πρὸς τὰς ἀποδημίας [d], ἡ διὰ χειρέων. ἡ δὲ εὐχερ. κ. τ. λ.

1 εὐχερεστάτη] εὐσθενεστάτη R.

2 τοιουτέων] τουτέων R.

XI. Προκατασκευάσθω δέ σοι καὶ μαλαγμάτων γένεα, πρὸς τὰς ἑκάστων χρήσιας· ποτήματα τέμνειν δυνάμενα, ἐξ ἀναγραφῆς ἐσκευασμένα, πρὸς τὰ γένεα.

2 Προητοιμάσθω δὲ καὶ τὰ πρὸς φαρμακίην, ἐς τὰς καθάρσιας εἰλημμένα, ἀπὸ τόπων τῶν καθηκόντων· ἐσκευασμένα εἰς ὃν δεῖ [e] τρόπον, πρὸς τὰ γένεα καὶ τὰ μεγέθεα· εἰς παλαίωσιν μεμελετημένα· καὶ [f] τὰ πρόσφατα ὑπὸ τὸν καιρὸν καὶ τἄλλα κατὰ λόγον.

XII, 2 πρὶν ἐσελθεῖν] πρὶν ἢ ἐς. R. πρινὴ A.

XIII. Ἐπὶ τουτέοισι μέμνησο παρασκευῆς τῆς πρώτης· εἰ δὲ μὴ, τὸ [g] κατ' ἄλλα ἀδιάπτωτον, ἐξ ὧν παραγγέλλεται εἰς ἑτοιμασίην.

2 (X.) Ἐσόδῳ χρέο πυκνῶς· ἐπισκέπτεο ἐπιμελέστερον, τοῖσιν ἀπατεομένοισιν ἐπὶ τὰς μεταβολὰς ἀπαντῶν· ῥᾷον γὰρ εἴσῃ· ἅμα δὲ καὶ εὐμαρέστερος ἔσῃ.

3 Ἄ-

[a] ἐγχρήσιος R. & A.
[b] τὰ πρὸς τὰ γέν. R. & A.
[c] ἐξῆς R. & A.
[d] ἐπιδημίας R. & A.
[e] δὴ R. & A.
[f] τὰ δὲ πρόσφ. R.
[g] τὰ R. & A.

IX, 5 Curam autem gerere in Medicina oportet cum omni ſubmiſſione, eorum quae ſpectant ad frictiones, illitiones, perfuſiones, cum manuum concinnitate: linteaminum porro vulſorum, ſpleniorum, vinculorum, eorum quae pro temporis conſtitutione requiruntur, medicamentorum vulnerariorum & oculariorum, & horum ad ſingula genera pertinentium:

6 vt ſint praeparata: tum inſtrumenta atque machinae, tum denique ferrum acutum. Horum namque inopia impedimento ac perniciei eſt.

X. (VIII) Sit tibi etiam alter apparatus ſimplicior, ad peregrinationes accommodatus, a te ipſo praeparatus.

XI. Praeparata tibi quoque ſint malagmatum genera ad ſingulos vſus: potiones item quae incidere poſſunt, ex deſcriptione praeparata, ſecundum genera.

2 In promtu vero etiam ſint, quae ad medicamenta purgantia pertinent; ſumta de locis congruis; & parata decentem in modum, ſecundum genera & formulas; vt vetuſtatem ferre poſſint: recentia vero, ſecundum temporis occaſionem: & reliqua ad eandem rationem.

XIII. Praeterea memento primi apparatus: ſin minus, in reliquis ſaltim ne offendas, quae promte parari a te iubebuntur.

2 (X) Ingreſſu vtere frequenter: inquire diligentius: erroribus, ex mutationibus morbi ortis, occurre. Facilius enim cognoſces, ſimulque expeditior eris.

3 Ἄστατα γὰρ τὰ ἐν ὑγροῖσι. διὸ καὶ εὐμεταποίητα ὑπὸ φύσιος καὶ ὑπὸ τύχης.

4 Ἀβλεπτηθέντα γὰρ τὰ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ὑπουργίης ἔφθασαν ὁρμήσαντα καὶ ἀνελόντα. οὐ γὰρ ἦν τὸ ἐπικουρῆσον.

5 Πολλὰ γὰρ ἅμα τὰ ποιέοντά τι χαλεπόν. τὸ γὰρ καθ' ἓν κατ' ἐπακολούθησιν εὐθετώτερον καὶ ἐμπειρότερον.

XIV. Ἐπιτηρεῖν δὲ δεῖ καὶ τὰς ἁμαρτίας [a] τῶν καμνόντων· δι' ὧν πολλοὶ πολλάκις διεψεύσαντο ἐν τοῖσι προσάρμασι τῶν προσφερομένων·

2 ἐπεὶ [b] τὰ μισητὰ ποτήματα λαμβάνοντες, ἢ φαρμακευόμενοι ἢ θεραπευόμενοι, ἀνηρέθησαν.

3 Καὶ αὐτῶν μὲν οὐχ ὡς ὁμολογίαν τρέπεται τὸ ποιηθὲν· τῷ δὲ ἰητρῷ τὴν αἰτίαν προσῆψαν.

XV. (IX) Ἐσκέφθαι δὲ χρὴ καὶ τὰ περὶ ἀνακλίσεων, ἃ ν αὐτέων πρὸς τὴν ὥρην, ἃ δὲ καὶ πρὸς τὰ γένεα

2 Οἱ μὲν γὰρ αὐτέων ἐς θρόνους· [c] οἱ δὲ ἐς καταγείους καὶ σκοτεινοὺς τόπους.

3 Τάτε ἀπὸ ψόφων, καὶ ὀσμῶν, μάλιστα δὲ ἀπὸ οἴνου· χειριστοτέρη γὰρ αὕτη. Φυγεῖν [d] δὲ καὶ μετατιθέναι.

XVI, 1 ἃ δὲ] ὧδε R. & A.

3 ἀπεώθησαν] ἀπεώσθησαν R. & A.

ἐπεσομένων] ἐσομένων R.

XVII. (XII) Τῶν δὲ μανθανόντων ἔστω τὶς ὁ ἐφεστὼς, ὅκως τοῖσι παραγγέλμασιν οὐ πικρῶς χρήσηται. ποιήσῃ δὲ ὑπουργίην τὸ προσταχθέν.

2 Ἐκλέγεσθαι δὲ ἀπ' αὐτέων ἤδη τοὺς ἐς τὰ [e] τέχνης εἰλημμένους· προσδοῦναί [f] τι τῶν ἐς τὸ χρέος, ἢ ἀσφαλέως προσενεγκεῖν. ὅκως τε ἐν διαστήμασι μηδὲν λανθάνῃ σε.

[a] ἐμπειρίας A.
[b] ἐπὶ R. & A.
[c] πόνους R. & A.
[d] φυγῆν A.
[e] τῆς inf. R. & A.
[f] προδοῦναί R.

3 Instabilia enim sunt, quae in humidis: quare etiam facile mutantur a natura & fortuitis casibus.

4 Non obseruatis enim, quae certo tempore administrari oportebat, in peius affectus ruit, hominemque e medio tollit: quum non adfuerit in tempore iustum auxilium ferens.

5 Multa enim si simul irruant, difficile maxime opus reddunt: quod sigillatim & alterum post alterum tractando, & facilius & longe certius succedit.

XIV. Notanda etiam sunt aegrotantium delicta: quorum saepenumero multi fallentes Medicum, circa assumtionem eorum, quae exhibita fuerunt;

2 postquam exosas potiones acceperunt, aut purgationibus, aut alia curatione vsi, peremti sunt.

3 Quod factum non ad ipsorum confessionem vertitur, sed Medico eius culpa imputatur.

XV. (XI) Considerare autem oportet, quae circa decubitus obseruanda sunt, respectu habito partim ad anni tempus, partim ad reliqua cautionum genera.

2 Quidam enim in altis, quidam in subterraneis & tenebrosis locis locari amant.

3 Quae a strepitibus, & odoribus, praesertim vini, (nam deterior ille est) contingunt, noxas vitare & emendare oportet.

XVII. (XII) Sit autem e discipulis quidam praesens aegro, qui mandata tua citra amaritudinem exsequatur, &, quae praecepisti, administret.

2 Eligendi autem ex istis sunt, qui iam artis sacris initiati: vt, quae vtilia erunt, addant, aut secure offerant. Neue quicquam interea te lateat.

3 Ἐπιτροπὴν δὲ τοῖσιν ἰδιώτησι μηδέποτε διδοὺς περὶ μηδενὸς· εἰ [a] δὲ μὴ, τὸ κακῶς πρηχθὲν [b] εἰς σὲ χωρήσει τοῦ ψόγου. ἐὰν [c] μήποτ' ἀμφιβόλως ἔχῃ, ἐξ ὧν τὸ μεθοδευθὲν χωρήσει, καὶ οὐ σοὶ τὸν ψόγον περιάψειε, καὶ [d] τευχθὲν δὲ πρὸς τὸ γένος ἔσται.

4 Πρόλεγε οὖν ταῦτα πάντα ἐπὶ τῶν ποιευμένων· οἷς καὶ τὸ ἐπεγνῶσθαι πρόκειται.

XVIII, 2 εὐκλεέα) εὐκλέα R. & A.

SCHOLIA ANTIQVA AD MARGINEM CODICIS MSTI

I, pr. οὐκ ἀλόγως] ἀλλὰ μετὰ λόγου.
III, 1 pr. τὴν δὲ ἐναντίην] τὸ ἐστάλθαι λιτῶς.
σύννουν] πάγιον, βεβηκός.
2 & 4 εὔθετοι] εὔκολοι.
4 λημματικοὶ] ἐπήβολοι· φρόνιμοι.
IV, 1 ἡγεμονικώτατον] κυριώτατον, ἀρχικώτατον.
3 οὐδαμῇ] οὐδαμῶς.
ἐπὴν οὖν τις] ἐπὰν, ὁπηνίκα.
4 παραπλησίην] ὁμοίαν.
6 σημεῖον] παράστασις.
VII, 3 μεταχειρέονται] μεταχειρίζονται, ἐργάζονται.
VIII, 2 διαιτώμενα] λυόμενα διὰ διαίτης.
3 κεφαλαιωδέστατον] κρεῖττον.
IX, 1 εὐτραπελίην] ἀστειότητα, χάριν, δύναμιν ἑλκτικήν.
δυσπρόσιτον] δυσέντευκτον.
3 κάρτα] κατὰ πολύ.

5 ψη-

[a] εἰς A.
[b] προηχθὲν R. & A.
[c] δὲ inf. R.
[d] τὸ inf. R.

3 Idiotis vero nunquam quicquam curandum commiſeris: alioquin male adminiſtratorum culpa in te redundabit. Niſi forte in ambiguo relinquatur, ex quibus quod recta methodo tractatum eſt, exſculpi poſſit, tibique nullum vituperium afferat; quod vero accidit aegro, ad morbi genus referetur.

4 Praedicito igitur haec omnia inter faciendum opus iis, quorum haec ſcire intereſt.

GRAECA, REGII RVBRICA NOTATA.

5 ψηλαφίης] ἀφῆς. (leg. ἀφῆς.)
XI, 1 μαλαγμάτων γένεα] διάφορα.
χρήσιας] μεταχειρίσεις.
XII, 3 βραχυλογίης] ὀλίγα λέγειν.
XIV, 3 αἰτίην προσῆψαν] τὴν μέμψιν ἀνήρτησαν, ἀνέθεντο.
XVI, 1 πρήσσειν] ἐνεργεῖν.
εὐσταλέως] εὐκόσμως.
2 ἀποτρεπόμενον] ἐκφεύγονται.
[ἴσ. ἐκφεύγοντα.]
3 ἀπεώσθησαν] ἀπεδιώχθησαν.
XVII, 3 ἰδιώτησι] τοῖς ἀμαθέσι.
κακῶς προηχθὲν] τὸ ἔκβαν, καὶ γεγονὸς ἀτέχνως.
περιάψειε] περιθείη.
τευχθὲν] κατασκευασθὲν μετ' ἐπιτυχίας.
XVIII, 1 ἐόντων] τυγχανόντων.

GNOMAE AD MARGINEM

EIVSDEM CODICIS NOTATAE.

IV, 5 πᾶν γὰρ τὸ ποιηθὲν τεχν.] τὸ μετὰ τέχνης γεγονὸς λόγος ἦν ὁ ἀποτελέσας.

6 οἴησις μάλιστα] ἐνταῦθα δείκνυσιν ὅτι τὸ κομπάζειν τὸν ἰατρὸν ἢ καὶ νομίζον (f. νομίζειν) ἑαυτὸν μέγαν οὐ μόνον μέμψεως ἔστιν ἄξιον, ἀλλὰ καὶ παραίτιον γίνεται τὸ τοιοῦτον ἀπολείας καὶ ὀλέθρου μᾶλλον ἢ θεραπείας τοῖς κάμνουσι.

V, 2 ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος ἰσόθεος] ὁ θεὸς τὰ ὄντα τὲ ἐπίσταται, καὶ δημιουργὸς πάντων τῶν ὄντων ἐστίν. ὁ ἰατρὸς γοῦν, ὡς θεραπεύων τὴν δημιουργικὴν μιμεῖται δύναμιν τοῦ [θεοῦ] ὡς δὲ φιλοσόφως (f. φιλόσοφος) ἐπισκεπτόμενος τὴν δημιουρ....

Ad eadem verba Graeculus forſan notauerat: ἀκούει τοῦτο σὺ κλέος φιλοσόφου· θεῷ [θεὸς;] γὰρ δοκεῖς καὶ τυγχάνεις.



H.

H. C. CRVGERI,

MED. D. ET PHYSICI LVNEBVRG.

ANIMADVERSIONES IN LIBELLVM HIPPOCRATIS ΠΕΡΙ ΕΥΣΧΗΜΟΣΥΝΗΣ.

De Auctore libri.

Hippocratis Coi, Magni, magister fuit Gorgias Leontinus, discipulus Empedoclis *.

Ad Pyrrhonios a LAERTIO *in vita Pyrrh.* lib. IX referri videtur Hippocrates.

Alius Hippocratis mentionem facit LAERTIVS, *in vita Chilonis*, qui cum Chilone Olymp. LVI vixisse dicitur.

Pace mea fieri potest, vt Magni Hippocratis auo, Gnosidici filio, cui Galenus etiam librum *de Fracturis* tribuit *Comm. I in lib. de rat. vict. in morb. ac.* hic liber acceptus referatur.

I, 1 περιεργίην] *Inanem curiositatem.* Quod vero sic reddam, mouet me PLVTARCHI auctoritas, qui in extremo libro περὶ πολυπραγμοσύνης, hac ipsa voce loco πολυπραγμοσύνης vtitur, dum de Oedipo, quem inter πολυπράγμονας refert, dicit, τοῦτον τοῖς μεγίστοις κακοῖς ἡ περιεργία περιέβαλε. Latine a CAELIO *in Ep. ad Cicer.* lib. VIII *arguta nimium sedulitas* eleganter dicitur.

II. Corrigendus MEIBOMIVS *in Formulam Comit. Archiatror.* p. 60, quod nempe de Medicis hoc loco Hippocratem locutum esse dicat: quum tamen de Philosophis sermo sit. Hanc enim Medicorum poenam non fuisse, ex *Leg.* initio apparet. **

3. Huc

* Quum hic Empedocles Pythagoreus fuerit, intelligitur, qua via ad Hippocratem peruenire potuerint placita Philosophiae Pythagoricae.

** Vid. *Commentar. II* §. 2.

3 Huc & ad ſequentia pertinet locus Diog. LAERTII in Zenone Stoico: Δεῖν τε ἔλεγε τοὺς νέους πάσῃ (ſiue, vt corrigit Caſaubonus in Athen. lib. I cap. XVIII, ἐν πᾶσι) κοσμιότητι χρῆσθαι, καὶ πορείᾳ καὶ σχήματι καὶ περιβολῇ. Vid. ATHENAEVS lib. I. it. monitum SIRACIDIS cap. XIX (v. 30) deprehendi hominis interiora ex veſtitu, riſu, atque inceſſu. *

III, 1 οὐ διδακτὴ] Eodem ſenſu, quo S. PAVLVS *ad Corinth.* 1 cap. 2, 13 διδακτοὺς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγους nominat, quae paulo ante v. 4 πειθοὺς vocauerat, & τοῖς ἐν ἀποδείξει oppoſuerat.

περιβολὴ] Veſtium diſtinctio in περιβολὴν & ὑποβολὴν v. ap. Iſ. CASAVBON. *in Athen. Animadu.* Lib. II c. IX. Latius patet περιβολὴ quam veſtitus, & omnia illa denotat, quae ad amictum pertinent. POLYBIVS p. 590 lin. 2 κατὰ μὲν οὖν τὴν ὄψιν ἄγνωστος ἦν διὰ τὸ σκότος· κατὰ δὲ τὴν ἐσθῆτα καὶ τὴν ἄλλην περιβολὴν, ἀνεπισήμαντος.

2 πικροὶ πρὸς τὰς συναντήσιας] Forte incuria librariorum συναντήσιας ſcriptum eſt pro συνεντάσιας, *contentiones.* Sic infra (XVI, 2) μετὰ πικρίης καὶ ἐντάσεων. Quae coniectura noſtra ſi locum habere poteſt, innuere videtur Hipp. quod in iis rebus, quae ſuo ſcopo obſtare ſibique obeſſe videt Medicus, concedendis aut tolerandis admodum difficilis eſſe debeat, nec vnquam adſtantium vel aegroti quoque auram turpi aſſentatione captare, concedendo vel disputantibus ſecum vel petentibus, ea quae minus conuenire nouit.

5 χάριτι διατιθέμενοι] Medici χαρίεντες· vid. CASAVB. *Animadu. in Athen.* lib. 1 cap. 1 (p. 3).

ἀποτελματιζόμενοι] Ian. CORNAR. legiſſe videtur, ἀποτολματιζόμενοι dum vertit, *audentes & confiſi.*

IV, 4 ἐκείνοισι] iſtis circulatoribus.**

5 λόγος] ratiocinium: & τὸ διδαχθὲν ἔργον ſumi debet de illo ope-

* Conf. de Pythagoricis Proleg. §. VII.
** Vid. Annot. textui ſubiectam.

opere, circa quod quis diligenter laborauit, & cuius omnes rationes experimentis variis cognitas & perſpectas habet. Conf. *Praecept.* ſub init. *

ἐκ λόγου &c.] Obiter hunc locum inſpicienti videri poſſet, eandem noſtrum auctorem cum Platonicis ſententiam fouiſſe, & voce τοῦ λόγου ſummam illam & diuinam Rationem notare voluiſſe, per quam & ex qua omnia fuiſſe producta cenſebant. Neque negandum eſt, ante Platonem fuiſſe, qui τὸν λόγον inter principia rerum referrent; quod de Parmenide refert PLOTINVS *Enneade* V Lib. I cap. VIII. Verum, facile perſpicitur, noſtrum de illis ſaltim hic loqui operationibus, quae artificem probe ratione valentem & inſtructum requirunt.

7 Exempla talium ſimulatorum Medicorum, vniuerſalia ratiocinia temere particularibus rebus applicantium, habet noſter lib. *de Fractur.* init. vbi ſequentia notatu digniſſima occurrunt de illis, qui in repoſitione articulorum ratiocinia ſua futilia, magis ſequuntur, quam rei naturam; οἱ μὲν μηδὲν προβουλεύσαντες, οὐδὲν ἐξαμαρτάνουσιν, ὡς ἐπὶ τὸ πουλύ. & paulo inferius, οἱ δὲ ἰητροὶ σοφιζόμενοι δῆθέν ἐστιν οἱ ἁμαρτάνουσι. Ad priorem locum notauit PALLADIVS, *in ſchol.* videri pugnantia loqui Hippocratem, & artificem inſtruere volentem haec dixiſſe: perfectum enim non deliberare. Verum enim vero, lapſus hic eſſe videtur Palladius, eo quod τὸ προβουλεύειν ſumſit pro, ſedulo deliberare, atque ſolide & naturae conuenienter ratiocinari; cum tamen potius de futili atque inani ratiocinio & ea conſultatione intelligi debeat, quae non certis atque demonſtratis principiis, ſed opinionibus meris innititur. Conf. HIPPOCR. *de Artic.* c. XVII.

V. Inter ἀκούσματα PYTHAGORAE refertur, Τί σοφώτατον τῶν παρ' ἡμῖν; ἰατρική. IAMBL. *vit. Pyth.* c. XXIIX.

VI,

* Vid. noſtra *Annot.* & *Proleg.* §. XI not. I.

VI, 2 καταστολὴ] IAMBLICH. *de vita Pythag.* cap. 2 p. 7 laudat in eo τὴν καταστολὴν σώματος, *corpus ad modestiam compositum*, vti reddidit Vlr. Obrechtus; eamque cum ἐυσταθίᾳ τῆς ψυχῆς coniungit. Vid. infra XII, 3.

ἀπάντησις] Ἀπαντήσεις vocant Graeci acute dicta, e re nata. CASAVB. *ad Athen.* lib. XIII cap. VI.

καθαριότης] Munditiem antiquissimis Philosophis fuisse commendatissimam testantur *Aurea* PYTHAGORAE *Carmina*, quae suadent δίαιταν ἔχειν καθάρειον, ἄθρυπτον. Quibus verbis HIEROCLES ad h. l. p. 194 docet iussisse Pythagoram, ἔχειν πᾶν ὁτιοῦν τῶν περὶ τὸ σῶμα καθάρειον, ἄθρυπτον.

γνωμολογίη] Epicharmus Cous, discipulus Pythagorae, clarus γνωμολογίᾳ, ref. IAMBLICHO *in vita Pythag.* c. XXIX, ὅιτε γνωμολογῆσαί τι τῶν κατὰ τὸν βίον βουλόμενοι, τὰς Ἐπιχάρμου διανοίας προφέρονται, καὶ σχεδὸν πάντες αὐτὰς οἱ φιλόσοφοι κατέχουσι.

καθαρσίων] Sunt qui de medicamentis purgantibus accipiant. Et Carneadem quidem Academicum, legimus, superiora corporis helleboro purgasse, quum aduersus Zenonem Stoicum esset scripturus, narrante A. GELLIO Lib. XVII cap. XV: & Chrysippum, teste PETRONIO Arbitro, vt ad inuentionem sufficeret, ter helleboro animum detersisse. Verum enim vero mihi placuit, de καθαρσίοις s. lustrationibus & expiatoriis sacris haec intelligere: de quibus videatur CLEM. Alexandr. *Strom.* lib. V p. 582. Fuit autem haec κάθαρσις prima pars initiationum, quarum V recenset THEO Smyrnaeus Exposit. Mathem. cap. II p. 18. Philosophos vero earum rerum scientiam sibi vendicasse testatur inter alios Pythagoras: vid. LAERT. De variis καθάρσεως speciebus, quae ad mentem, vitam, atque corpus spectant, consulatur omnino HIEROCLES ad vltimos versus *Carm. Aur.* p. m. 293 sequ. & p. 305.

ἀδει-

ἀδεισιδαιμονίῃ] Auctor *Etymologici Magni* voce Δεισιδαιμονία· Δεισιδαιμονία λέγεται, ἡ πρὸς τοὺς πονηροὺς δαίμονας ἐπιμημέλεια. ἰςέον, ὅτι παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἐπὶ καλοῦ λαμβάνεται· παρὰ δὲ ἡμῖν τοῖς Χριςιανοῖς ἐπὶ τῆς ἀσεβείας λέγεται ἡ δεισιδαιμονία. Priorem significatum ob oculos habuit Nigidius Figulus ap. GEL. lib. IV cap. IX; & Caluus fortasse, qui h. l. legit δεισιδαιμονίῃ· posteriorem PLVTARCHVS singulari libro. Caeterum de ἀδεισιδαιμονίᾳ Aretaei, v. le CLERC *Hist. de la Med.* P. II p. 214.

VII, 1 Hic Hippocrates, Deorum notitiam primum σοφίης caput absoluere, fateri videtur, quam sententiam procul dubio ex Pythagoraeorum placitis hauserat. (Vid. *Proleg.* §. V. VI. VIII.) Verus itaque Auctoris nostri sensus ille esse videtur: Medicum genuinum cum plerasque σοφίης partes, tum inprimis illam, quae de Deorum non solum existentia, sed potentia etiam explicat, non posse non habere perspectissimam. Hanc quidem ita ipsius animo insidere, vt velit nolit fateri cogatur, non esse Deos modo, sed eos humana etiam curare: artem exinde ipsam quoque erga eosdem valde reuerenter se habere, & Medicos iis cedere, ad eosque referre, si quid fausti in morborum curatione obtigerit. Non enim deprehendi in Medicina virtutem peculiarem, aut potentiam vllam excellentem, & quae a sublimiori non pendeat.

περιττὸν] Huius adiectiui varia admodum & diuersa est significatio: περιττὸς ἀριθμὸς exponitur *impar numerus*, oppositus τῷ ἀρτίῳ, *pari*, ap. HIPPOCR. *de Septim. Partu* cap. VIII. IAMBLICH. *de vit. Pythag.* cap. XXVIII, ap. Porphyr. n. 38. Exponitur etiam *superfluus*, *otiosus*: vti hic interpretatus est Zuinger. & in illo egregio praecepto, quod inculcat Simplicius, σιγάσθω τὰ περιττὰ, *taceantur superflua.* v. Not. C. RITTERSHVSII *ad Porphyr.* n. 18. Deinde etiam est *eximie perfectus*, *excellens:* & vsurpatur cum de personis, vti de Pythagora ap. Porphyr. in

vita ipſ. n. 18, tum de rebus, veluti de commentariis Pythagoreorum, quos Iamblich. c. l. cap. XXIX appellat ἐξαιρέτως περισσὰ *eximie perfectos*: de factis Pythagorae ap. Porphyr. l. c. n. 28: & de ipſius doctrina ap. eund. n. 37.

IX, 2 πρόκλησιν] Noſter ſine dubio ad veterum morem in iudiciis olim obſeruatum reſpexit, de quo vid. HARPOCRATION *in Lexico X Rhet.* voc. πρόκλησις.

3 μετὰ φαντασίης] *Oſtentatione.* Sic ſaepius occurrere ap. Polybium, obſeruauit Iſ. CASAVB. *in Notis ad Matth.* locum cap. 1. GATAKER. *ad Antonin.* lib. 1 cap. 7. PLIN. *H. N.* lib. XXIX cap. 1. Quo quiſque ingenio minus valet, hoc ſe magis attollere & dilatare conatur. Fab. QVINTILIAN. Exemplum v. ap. HIPPOCR. *de Artic.* cap. XXXIX. vbi quoque ſequ. cap. XL extr. eiusmodi leguntur, quae praeſentem locum explicent.

4 & 6 Vid. ALBVCAS. II *Method.* cap. LXVII, apud BOHN. *de Offic. Med.* P. I cap. XXIII. Conf. M. ANTONIN. Imp. III εἰς ἑαυτ. §. 13.

X, 2 ἁπλαῖ] PLIN. *H. N.* lib. XXII cap. XXIII *Nos ſimplicia tractamus, quoniam in his naturam eſſe apparet, in mixtis ſaepe coniecturam fallacem: nulli ſatis cuſtodita in mixturis concordia naturae & repugnantia.*

XII, 2 ὃ χρὴ ποιέειν] Scil. illa, ὁκόσα δεῖ προκαταμαθεῖν τὸν ἰητρὸν, μὴ λέγοντος τοῦ κάμνοντος· quorum neglectum in medicis Cnidiis taxat HIPPOCR. *de victu Acut.* in init. Studium praedictionum ſingulari induſtria a veteribus excultum fuiſſe, apparet plurimis locis Hippocratis, tum inprimis initio lib. II *Prorrheticon.* Quem librum licet EROTIANVS Hippocratis Magni eſſe neget, antiqui tamen auctoris foetum eſſe certum eſt.

3 βραχυλογίης] PLVTARCH. περὶ ἀδολεσχ. T. II p. 510 Οἱ ϛρογγύλοι καὶ βραχυλόγοι, καὶ ὧν πολὺς νοῦς ἐν ὀλίγῃ λέξει συ-

συνέςαλται. APOLLODORVS, Οἱ κράτιςοι τῶν ἀνθρώπων βραχυλογότατοι. De Pythagora vid. IAMBLICH. in Vita ipſ. cap. XXIX.

ἀταρακτοποιησίης] Vid. de Pythagora IAMBLICH. cap. III.

εὐςαθίης] Vid. ſupra ad VI, 2. (Nos *Proleg.* §. VII not. 7. & *Comment.* VI §. 16).

XIII, 1 παρασκευῆς] Huc referendi libri παρασκευαστικῶν ſ. vt quidam legunt, παρασκευῶν, quorum meminit SCRIB. LARGVS *in ep. ad Iul. Calliſt.* & vertit, *praeparationum.* Iidem videntur fuiſſe cum libris *Paraſceuaſticis ad Eraſiſtratum*, quos allegat CAEL. AVRELIANVS *Chron.* lib. I c. XIII p. 416.

ἀδιάπτωτον] Vid. GATAKER. *ad Antonin.* lib. III p. 112.

2 ἐπισκέπτεο] Vid. de Hippocrate GALEN. lib. I *Prorrhet.* cap. II. SENECA *Epiſt.* XXXII *Non poteſt Medicus per epiſtolas cibi aut balnei tempus eligere: vena tangenda eſt.*

3 Paria occurrunt ap. HIPPOCR. *de Locis in Hom.* cap. I.

4 Conf. HIPPOCR. *de Arte* cap. XX. & *de Diaeta* I cap. 3. 20.

XIV Conf. *de Arte* cap. XII. Ratio eiusmodi aegrotorum peccata deprehendendi, docetur lib. II *Prorrhet.* ſub init. Et ibid. cap. VII eum, qui in hoc genere cum laude verſari cupit, ὀξύτατον καὶ τὸν νόον καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, eſſe oportere monet.

3 αἰτίαν] Conf. *de Arte* cap. X. XI. XII. (vid. ad *Sect.* IV *not.* I.)

XV Omnino conf. *Epidem.* VI Sect. IV, 24 ſeqq. cum *Comment.* Franc. VALLESII p. m. 626.

XVI, 1. 2 PLIN. *H. N.* lib. XXIV cap. 1 *Vna artium Medicina imperatoribus etiam imperat.*

2 πικρίης] HIPPOCR. *de Vict. Acut.* c. XXI, 12 de deliraturis, περίλυποί τε καὶ πικροὶ γίνονται.

ἐντάσεων] Non dissimili sensu voce ἐπανατάσεως vtitur IAMBLICH. ex mente Pythagoreorum, *de vita Pythag.* cap. XXX.

ἐπιστροφῆς] *Conuersione*, ad aegrotos scil. qua certi reddantur, nos vtilia ipsis praecipere, atque eorum curam habere. AMMONIVS, Ἐπιστραφὴς· ὁ προστακτικὸς καὶ ἐπιμελής.

3 Conf. Auctor *Praecept.* cap. VIII. (vid. *Not.* f *ad Sect.* XVI.) SENECA *de Breu. Vit.* cap. XVIII *Multis profecto causa moriendi fuit, quod suum morbum nouerunt.* Male ob hanc regulam neglectam, ap. GALEN. *Comment.* IV *in* VI *Epid.* audit Callianax, quod ancipiti morbo laboranti, de eiusque exitu solicito, crudeliter responderit versu Homeri de Patroclo, cit. a Clerico Hist. de la Med. P. II lib. 1 c. 7 p. 36. (*Occidit & Patroclus, vir te praestantior.*) Dantur tamen casus, vbi aegroti magnanimi mortis instantis nuncio minime perturbantur: vid. e. gr. *Ephemer. Nat. Cur.* Dec. II Ann. I Obs. XIX.

XVII, 2 SYMMACH. lib. X ep. 1. p. 385 *Solent, qui Medicinam callent, quum iam forti vsu in magisterium prouehuntur ac fiunt artis emeriti, proximis imperare, & feriata manu curationem iuuare praeceptis.*

3 Ad obscuri loci illustrationem pertinet, quod HIPP. *de Artic.* cap. LXXVIII de articulis digitorum cum vulnere luxatis suadet, nimirum, nisi propter vulgi imperitiam Medico timenda esset accusatio, nullum penitus talem articulum reponi debere. Prognostico tamen sese aduersus calumnias munire, paulo ante suaserat.

XVIII, 1 παραδιδόντα ποιέεσθαι] Sic in *Iureiur.* (I, 14) μετάδοσιν ποιέεσθαι.

CO M-

COMMENTATIO

DE EO IN MEDICINA, QVOD NEC DICI
NEC SCRIBI POTEST:

SEV

ΠΕΡΙ ΧΡΕΟΥΣ ΑΔΙΔΑΚΤΟΥ,

DE VSV IN MEDICINA DOCERI NESCIO,

AD VBERIOREM DECLARATIONEM

HIPPOCRATIS

ΠΕΡΙ ΕΥΣΧΗΜΟΣΥΝΗΣ

IV, 2 (LIND. III, 4)

CONSCRIPTA.

De varietate verborum dicti, duplicique eius Auctore & Interpretatione §. 1. *α) I De variis modis intelligendi dictum de iis rebus, quae in vsu artis consistunt & discuntur. Medicina vtrum Ars, an Scientia? Disputatio, cur* Virgilius *medicinam appellauerit* artem mutam? Harpocrates, Sigaleon, Telesphorus *&c. apud Medicos. Significatio vocis* Σακτάν. Nenteri *testimonium de* Bagliuii Stahliique *scriptis. De* Coschwizio *narratio.* Hippocrati *tributus liber* περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς *an genuinus? Hypothesium in medicina frequentia & remedium. Distinctio inter* Medicos nomine tenus *& opere.* §. 2. 3. *Qualis & quanta eruditio requiratur in eo, qui ad faciendam medicinam accedere velit? An praesentis* sanitatis conseruatio *pertineat ad Medicos? Aegrotos ipsos parum esse idoneos ad declarandos suos morbos. Quaenam ex aegrotantibus quaeri iubeat* Hippocrates? *Quid eidem* φύσις; *&* ἐκ τῶν φαινομένων μεθοδεύειν; Ars condendae *experientiae.* Boerhaauii *fida morborum descriptio. De* nouis morbis *diuersae sententiae & exempla. Notatur* Sydenham. *Quomodo* obscuri morbi *curatio aggredienda?* Hippocratica *medicinam amplificandi via. Censura* Machiauelli Medici. *Vsus* Mathematices *in medicina. Quatenus in addiscenda medicina respiciendum ad vtilitatem? De* Ingenio *Medici. Quomodo in* accessu *ad aegrum se gerere debeat Medicus?* Iuuenes *quoque esse posse bonos Medicos. Ab hominibus medicinali arte non initiatis etiam discere aliqua posse Medicum. Varia consilia* studium medicinae Academicum *dirigendi magis ad praxin.* Pragmatica *theoriae medicinalis traditio. Quaestio rite proponitur.* §. 4-9. *Praecipuum, quod praeceptis addisci non potest, est* Vsus *ipse: tum* sensualis perceptionis euidentia. Analogica *cognoscendi*

 ratio

ratio in medicina. Veterum Empiricorum *disciplina.* Practicos auctores *non posse recte intelligi ab iis, qui non ipsi quoque artis opera factitant. Praeceptorum* vniuersalium, *&* *singularium* obseruationum *ratio. Via ad medicinam hodie eadem est, quae antiquissimis temporibus. Plura, quae in exercitatione artis consequi licet incrementa. Quantum debeant* Praeceptoribus *discipuli? Elogium* I. A. Fabricii, M. Richey, I. C. Wolfii, B. Meibomii, L. Heisteri, P. Gericke, I. N. Frobesii. Inexperti *Medici rerum suarum incerti sunt. Medicina est* Prudentia. Hippocratis *&* Celsi *locus, in sententiam adhuc propositam explicatus. Cognitionis per sensus acquisitae gradus. An praestet, Medicum esse* valetudinarium, *& ipsum expertum esse morbos, quos curandos suscipit?* §. 10-14. *Ill.* Hofmanni *applicatio dicti.* §. 15.

II Alia explicatio dicti, de iis rebus quae humanae, praesertim medicae cognitionis limites transscendunt. §. 15. *III Alia, de iis quae Medico reuelata, ab eodem silentio tegenda sunt.* I. H. Meibomii *sententia, quare* Virgilius *medicinam appellauerit* artem mutam? §. *16.*

6) *De modis, quibus sibi hominum* fauorem *conciliet Medicus. Medicus* Fortunae dominus. *I De studio verae* virtutis *ac* pietatis. *An male adeo de aliorum hominum animo existimare liceat?* Minuti Philosophi, Petits-Philosophes, Petits-Maitres, Petits-Prédicateurs. §. *17. 18. Praecipuum fauoris adipiscendi praesidium in officiis* Amoris *situm est. Gratia morum in conuersando quibus constet & quomodo comparetur? Vnicus actionum scopus.* §. *19. II Medicinalem artem per se esse* Gratiosam. *Gratiosi Medici qui?* §. *20. III De* Eloquentiae *gratia in Medico, recta eiusdem & peruersa ratione, fontibus, vsu.* Silentium *in administran-*

ſtrandis artis operibus. PETRARCHA *de* mutis artibus Virgilii. Circulatores *apud* Hippocratem. *Eloquentia* publica *et* familiaris. Ἐυεπίη *Hippocratis. Medico vtendum Parabolis. Rationibus allatis perſuadendum aegrotantibus. Nonnunquam ſola auctoritate vtendum. Momentum, quod ad curationem aegritudinum affert* animi *in aegroto confirmatio, iuſtumque* moderamen. *Quo veterum* ἐπαοιδαὶ, melodiae, incantationes, *&c. pertinent. Oratio, quae perſuadeat, cum virtutis ſtudio coniuncta ſit oportet. Studium bene loquendi ſcribendique coniunctum cum virtutis ac ſapientiae ſtudiis. Oratio* ſenſu tincta *eſſe debet, & pectore prolata.* Hippocratis *& ſequacium qualis oratio? Trium* Homericorum dicendi generum *quodnam Medicis conueniat?* §. *21. 22.* Affabilitas *exigi ſolet in Medico.* §. *23. IV Ad fauorem acquirendum facit quaedam* naturalium bonorum *commendatio.* §. *24. V Maxime autem* prouida Dei cura. §. *25. Vera artis* Fiducia *quibus conſtet?* §. *26.*



COMMENTATIO
ΠΕΡΙ ΧΡΕΟΥΣ ΑΔΙΔΑΚΤΟΥ

§. I.

Est aliquod apophthegma, quod inter Medicos fere prouerbii loco vſurpari ſolet & ſic proferri, *Eſt aliquid in Medico, quod nec dici nec ſcribi poteſt.* Quis illud primus protulerit, dubium eſt. Praeceptor meus ſumma obſeruantia colendus, Laur. HEISTERVS, Vir Illuſtris, ad Galenum referebat: contra, Ill. Frid. HOFMANNVS, *Medic. Rat. Syſtem.* Tom. III Sect. I Cap. XI §. XXXIII, & b. Roſin. LENTILIVS, in *Miſcellaneis* Part. I pag. 105, Celſo idem adſcribunt. Praeterea ſunt, interque eos Hofmannus & Heiſterus, qui ſic allegant, tanquam dictum eſſet, Eſt aliquid in *Medicina*, quod &c. item ſic, *Multa ſunt* in Medicina, quae &c. Porro quum appareat, eiuſmodi Aliquid vel Multa ſignificari, quae neque ex inſtitutione Praeceptorum, neque ex Librorum lectione, ſed, ipſa Experientia magiſtra, factitando medicinam demum addiſci queant: aliqui illud accipiunt de omnibus rebus, quas vſus artis medicum docet,

Solus vt, *artificem qui facit, vſus erit;*

& vt ait M. TVLLIVS *Offic.* Lib. I, 60 Cap. 18 *Nec medici nec imperatores nec oratores, quamuis artis praecepta perceperint, quicquam magna laude dignum ſine vſu & exercitatione conſequi poſſunt.* Lentilius autem (1) arctius interpretatur de more modoque, quo medicus verſatur inter homines, (*Conduite,* voce Gallica, communiter appellari conſueuit) & ſpeciatim de ſermocinandi gratia, ſiue peculiari quadam eloquentia, qua omnium, etiam tenuiſſimorum hominum, amorem atque fauorem ſibi conciliet. (2) Iam, nunc non vacat, ſinuoſa Galeni volumina excutere, num forte in illis alicubi reperiri hoc dictum poſſit: ſicut nec Celſum perlegere, & inquirere, reuerane ipſi us

psius sit & vel in octo eius de Medicina libris, vel in vna alteraue Epistola, (3) quae eidem, sed incerta fide, tribuuntur, consignatum exstet; an denique fragmentum eius aliquod sit, aut sola familiari vsurpatione posteris traditum. Denique sperabam, in *Adagiorum Medicinalium Sylloge*, quam praeside Io. Iac. BAIERO disputandam proposuit a. 1717 Franc. Iac. a Melle, me reperturum aliquid de hoc dicto: sed inquirentem haec quoque spes fefellit. Igitur praetermissa hac inuestigatione, de vtraque apophthegmatis supra proposita sententia breuiter disquiram: eoque magis huc inductus sum, quia pertinet haec disputatio ad illam controuersiam, qua quidam praxin ipsam ipso demum artis exercitio disci affirmant, non in scholis, aliis contra hoc assertum acriter impugnantibus.

(1) LENTILIVS in hanc sententiam scribit: Medicorum fortuna maxime in iucunditate morum sita est, & in hoc, vt peculiari quadam Eloquentia sese ad omnium, etiam tenuissimorum hominum gratiam componant. Felices cum virtute sunt & laudem merentur, quicunque illud bonis artibus efficere norunt. Sed plerique malas ad eam rem adhibent artes, iactantiam, strophas, aliorum medicorum cauillationem: qui quidem inauspicato, h. e. cum mala conscientia, felices sunt. Quapropter verissimum est, quod a veteri illo Celso dictum esse traditur, *Est aliquid in Medico &c.* Et haec est illa morum gratia, de qua dixi: quisquis hanc sibi adiunctam habet, ille optimo Arcano instructus est; in eodem etiam palpabiles errores in laudibus habentur, quum contra in alio, qui ita ad placitum se gerere nescit, etiam illa, quae summa cum ratione administrantur, reprehensione digna censeantur.

(2) Quodsi in hoc effato vocabulum Medicinae adhibeatur, prior explicatio sola locum habere videtur: sin contra vox Medici retineatur, etiam altera.

3) Altera est *Epistola ad Caium Iulium Callistum*, quae etiam in editionibus SCRIBONII LARGI & MARCELLI EMPIRICI comparet; altera, *ad Pullum Natalem*: de quibus vid. Io. RHODIVS *in Vita Celsi*, & aliis in libris; Ge. Wolfg. VVEDELIVS *in Praefat.* Celso Ienae 1713 edito praemissa; inprimis vero Vir iucundissimae memoriae, Io. Alb. FABRICIVS *in Biblioth. Lat.* II Cap. IV §. IV. Praeter haec exstat Celsi libellus *de Arte dicendi*, quem propter raritatem recudendum curauit b. Fabricius in Bibl. Lat. Vol. III siue Lib. IV Cap. 8 pag. 759 seqq. & genuinum eius foetum esse censet. Quodsi CELSVS huius dicti auctor esset, hoc minus dubitandum foret, cum in ipsa artis exercitatione fuisse versatum.

§. II.

Principio quidem ea in vniuerſum eſt medicinalis artis ratio, vt omnis eius laus in actione conſiſtat, nec diſputando aut ſcribendo medicina morbis fieri poſſit, ſed operam demum ipſam praeſtando*. Verum huius reſpectu rei potius dicendum foret, *omnia in medicina ita comparata eſſe, vt nec dici nec ſcribi queant.* Sed hanc conſiderationem nunc omitto.

* Apud PLATONEM *in Gorgia*, non longe poſt principium, pag. 350 H. Steph. Socrates Medicinam inter eas artes refert, ὧν μὲν ἐργασία τὸ πολὺ ἐςὶ, καὶ λόγου βραχέος δέονται· ἔνιαι δὲ, οὐδενός· ἀλλὰ τὸ τῆς τέχνης περαίνοιτο ἂν καὶ διὰ σιγῆς· *quarum aliquae maximam partem in opere ipſo verſantur, & parum ſermonis requirunt: aliquae autem plane nullius ſermonis indigent; ſed in quibus, quod ipſius artis eſt, ad finem perducere propoſitum etiam cum ſilentio licet.* Diſputatur, vtrum Medicina poſſit etiam recte appellari *Scientia*, an vero tantummodo *Artis* nomen mereatur? Non poſſe neque ſimpliciter vocari ſcientiam, neque partim ſcientiam partim artem, acriter pugnat Pet. LAVREMBERGIVS *in Porticu Aeſculapii* Cap. VII; & concedendum ipſi videtur, ſi ex Ariſtotelicis vocabulorum definitionibus diiudicanda res eſt. Litem pro ſua modeſtia componere curate ſtudet Vir immortalis memoriae b BOERHAAVIVS *in Praelectionibus Academicis in proprias Inſtitutiones rei medicae*, hoc anno 1739 a Viro Excell. Alb. HALLERO, edi coeptis, Vol. I §. XXII p. 53. Quia medicina artis effectu cenſetur, hinc Empirici apud CELSVM in Praef. p. 11 ed. Ien. 1713 ſic argutantur, *Si quis elinguis remedia vſu diſcreta bene norit, hunc aliquanto maiorem medicum futurum, quam ſi ſine vſu linguam ſuam excoluerit.* Huc pertinere videtur, quod medendi munia a Virgilio *mutarum artium* nomine deſignantur: verſus hi ſunt Aen. XII, 391 ſeqq.

Iamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapyx
Iaſides, acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera, laetus Apollo,
Augurium citharamque dabat celeresque ſagittas;
Ille, vt depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum vſumque medendi
Maluit, & MVTAS *agitare inglorius* ARTES.

Iac. THOMASIVS, qui *in Programmate XXIV de Arte Medica*, inter Diſſertationes *LXIII* a filio Chriſtiano Thomaſio recuſas, in hoſce ipſos verſus magno, vt ſolet, cum reconditioris eruditionis apparatu commentatur, mutas artes explicat, cum pluribus aliis, de Empirica medicinam factitandi ratione, ſpeciatimque de Chirurgica; neque melius putat Graece reddi poſſe mutam artem quam τὴν ἄλογον τέχνην. Aliis argutari placet, quaſi de arte tangendi pulſum venarum, ab Herophilo in muſicos pedes deſcripta, intelligenda haec verba forent: vid. Idem THOMA-

MASIVS c. l. vel SERVIVS ad Virg. vel alii Interpretes. Aliorum explicationes referam infra §. XVI not. & §. XXI not. 4 plurimosque diuersarum de sensu huius loci sententiarum auctores laudatos videre licet apud Dan. VINCKIVM *in Amoenitatibus Philologico-Med.* pag. 453. Io. Henr. SCHVLZE *in Progr. de Artibus Mutis ad illustrandum Virgilium* &c. postquam Ludouici DE LA CERDA explicationem, cum Thomasiana fere conuenientem, itemque alteram SERVIO commemoratam, qua de antiquissima medicinae parte Chirurgia accipitur, (*quia, vbi manu res agebatur, cessabat oratio*) haec postquam ille conuellit, suam proponit interpretationem, ex penitissimis Antiquitatum Medicarum penetralibus depromtam, nimirum, mutam Virgilium dixisse medicinam propterea, quod moris fuit apud Aegyptios quidem, in templis Isidis & Serapidis inter vtrumque deum medium constitutum habere simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, vt silentium fieret; cui nomen fuit *Harpocrates*, vel *Sigaleon*: apud Graecos vero aliasque gentes vsu receptum fuit, ad exemplum Aegyptiorum, inter Aesculapii & Hygeae signa ponere exsculptam imaginem pueruli, qui ab aliis *Telesphorus*, ab aliis *Acesius*, ab aliis denique *Euamerion* vocatus fuit. Conf. Eiusdem Celeb. Auctoris *Hist. Medic.* Per. I Sect. II Cap. IIII §. VIII & XXI. Alteram Idem addit rationem, quia priscae Asclepiadeae medicinae ea fuit conditio, vt a sacerdotibus intra templorum limina variis ad decipiendum populum comparatis artibus tacito fere modo perageretur. Qua simul occasione literatissime disserit de origine & significatione vocis Σακτὰν, quomodo veteres Thebani medicum appellarunt, eoque euadit, significare eam idem, quod σιγαλεὼν, *taciturnum, ob silentii pertinaciam quasi mutum.* Quum Virgilii, poëtae φιλοσοφωτάτου, ea laus sit, vt rebus talia verba accommodare existimetur, quae ex ipsarum natura fluant: sane eo non indigna videtur, nec reliquis verbis repugnare, illa quorundam expositio, mutam dici medicinam, quod tota eiusdem vis in operationibus ac remediis potius quam sermonibus atque eloquentia collocatur, quae interpretatio est Fuluii VRSINI, Hier. MERCVRIALIS, aliorumque, apud Thomasium, vel Io. Henr. MEIBOMIVM, *Commentario in Iusiur. Hippocratis* c. 19 p. 192. Conuenit hoc cum PLATONIS sententia, superius allata. HIPPOCRATIS aliqua de tacita medicorum disciplina, postea producam §. XXI not. 2. Vnum eius indico locum de ingloria vetustissimorum medicorum vita, in Νόμῳ pr.

§. III.

Aliquid autem siue potius *Multum* reperiri in medicina, *quod vsus demum artis medicum doceat*, vario intellectu dici potest. Primum enim potuit aliquis hanc artem peruersa ratione didicisse, vt, quando manum operi adhibere velit, falsa se scientiae opinione destitutum videat, & aliter sibi rem aggrediendam esse: (1) quemadmodum, qui hypothesi aliqua precario assumta, vel magnorum virorum

rum auctoritate perculſus, huic theoriam artis ſuperſtruat; cui quidem non poteſt non euenire, vt, quod nonnunquam exprobrari medicis ſolet, confidentia ſuae perſuaſionis omnes inter diſcendum ratiocinandumque ſanabiles ſibi fingat morbos, ſed deinde, in exercitio diſciplinae, fere nullos tales deprehendat; & ſi ſuum nihilominus ita belle conſtructum ſyſtema diruere vel deſerere nolit, bonus quidem Theoreticus, (quanquam nec hoc ſatis recte) malus autem Practicus vulgo audiat. Deinde, fieri poteſt, vt aliquis ſtudia audiendi, lectitandi, meditandique ante relinquat, quam neceſſariis ad exercendam artem praeſidiis inſtructus ſit: cuiusmodi praecox curandorum morborum artifex, in ipſo opere dum verſatur, ſine dubio quam plurima ſibi deeſſe experietur, quibus ad eius muneris partes probabiliter ſaltem peragendas carere nequeat. Tum, nonnulli in Medicorum numero nomen ſuum profitentes, ad ipſam morborum curationem animum adiicere nolunt, & contemplandi ratiocinandique voluptate aut gloria ſibimet ipſi placentes, in eius tantummodo generis ſtudia incumbunt, quae Theoretica appellari ſolent. Et hos quidem HIPPOCRATES intellexiſſe videatur, quum in libello *περὶ τέχνης* poſt medium, §. XIV fin. Linden. *τοὺς τῷ ὀνόματι ἰητροὺς* diſtinguit *ἀπὸ τῶν κατὰ τέχνην* & *in Lege* conqueritur, *ὅτι οἱ ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ εἰσὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί.* Qui quum ipſi ſeſe eas medicinalis doctrinae partes omittere non negent, quae medicorum propriae ſunt, non mirum eſt, ſi medendi facultate nihil valeant, nec proprie titulum Medicorum mereantur. Nam quidam homines in ea ſunt ſententia, vt talem medicum, qui vel nolit vel non poſſit facere medicinam, quaſi *σιδηρόξυλον* eſſe dicant, nec decere, quin omnino non poſſe medicum

fungi vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

Denique, nemini mortalium ſperandum eſt, ſe vnquam, ſeu viua doctorum inſtitutione, ſeu bonorum lectione librorum, ſiue propria coniuncta meditatione, ſiue accedente ipſo medendi vſu, tam perfecte medicinae gnarum, aut in arte ſua peritum prudentemque futu-

futurum, vt non ſemper quamplurima, ad vltimum vsque quam longiſſimae vitae terminum, diſcenda reſtent: (3) quemadmodum in omni vitae genere *res*, *aetas*, *vſus ſemper aliquid apportant noui*; nec in rebus humani quicquam eſt ab omni parte perfectum.

(1) Ge. Phil. Nentervs *in Theoria Hominis ſani ſ. Phyſiologia Medica*, Introd. p. 35 ſeqq. profitetur, Quum medicinae faciendae manum admouerit, principio infeliciter ſibi negotium illud ceſſiſſe; poſtquam autem in Opera *Bagliui* inciderit, multoque adhuc magis poſtquam Celeb. *Stahlii* nonnulla, antehac quidem prae obſcuritate neglecta, tandem legerit, multo rem aliter eueniſſe. Multa ibidem narrat de ſua medicinam addiſcendi ratione. Contra, b. Coschwizivm mirari ſolitum audiui ex aliis, quid eſſet, quod, quum diſcipuli ſui ſuis ipſius praeceptis feliciter ad morbos curandos vterentur, ipſi tamen minus proſpere artis opera ſuccederent. Caeterum nimis facile hac in re fallacia cauſſae committi poteſt. Conf. Eiusdem Coschwizii *Diſſ. de Adynamia Artis Med.* prooem.

(2) Hypotheſium ſtudium damnatur iam in libello περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, ſtatim ab initio & per totum; ſpeciatim illa quatuor primarum qualitatum, calidi, frigidi, humidi, & ſicci. Comprehenditur hic libellus ſub numero ſcriptorum Hippocratis Coi: cui Mercvrialis quidem eum fidenter abiudicat, contra Celeb. Schvlze *in Diſſ. de Medico vehementer laudari digno* §. *II & III* Mercurialem iniquae cenſurae coarguit, & libellum maxime probum, venuſtum, atque genuinum iudicat. Aliquid etiam pro genuina indole valeat hoc, quod, quae in hoc libro contra peruerſum philoſophiae vſum in medicina diſputantur, conueniunt cum iis, quae in libro, inter legitimos principe, *de Natura Humana* leguntur ſtatim ab initio. Conf. infra §. VI not. 5. Hypotheſium autem in medicina plena & ſunt & fuerunt omnia, ſicut ex hiſtoria huiusce artis & eius ſectarum notum eſt: &, vt exemplum afferam, tali modo nonnulli ſemper in quibuslibet morbis *Acrimoniam* aut *Salſedinem* humorum accuſant; quo pertinet Celeb. Stahlii *Programma de Pathologia Salſa*; alii ſimiliter *Acidum*; v. Frid. Schraderi Prog. *de Curioſitate Medica*. Nimirum adeo procliues homines ſunt ad amplectendas hypotheſes, vt veriſſimum deprehendatur, quod Excell. Hallervs, nuper pronunciauit *in Annotat. ad Boerhaauii Praelectiones in Inſtitut. Med.* Vol. *I* §. *XIX* not. 1 pag. 42 *Liberam ab hypotheſi medicinam nemo mortalium coluit, gradu ſolo differunt*: vbi ſimul vnicum aduerſus hos errores remedium indicat, *Sed poſſent* artem ab hypotheſibus liberam ſeruare medici, *ſi artem breuem*, (addo ſimplicem) *hiulcam, neque connexam, non deſpicerent*. Transferre huc liceat Hippocraticum illud ex libro *de Veteri Medicina* num XVI Linden. Κἂν ἐγὼ τοῦτον τὸν ἰητρὸν ἰσχυρῶς ἐπαινέοιμι, τὸν σμικρὰ ἁμαρτάνοντα. Caeterum, iucunda res eſt, videre nonnunquam medicos in ratiocinandi modo quantumuis licet diſſentientes, tamen in praxi, quam vocant, non diſſentire; ſiue, vt Celsi *de Medic.* Praefat. p. m. 9 verbis vtar, *qui diuerſa de cauſſis obſcuris & naturalibus*

libus actionibus sentiant, ad eandem tamen sanitatem homines perducere. Conf. HIPPOCRATES *de Vet. Med.* circa med. num. XXVI seq. Linden.

(3) HIPPOCRATES *ad Democritum Epist.* Ἐγὼ μὲν ἰητρικῆς ἐς τέλος οὐκ ἀφῖγμαι, καίπερ ἤδη γηραλέος καθεστώς. *Equidem quamuis iam senex factus sum, tamen ad finem artis medicinalis non perueni.* Caeterum quam γνησιότητος fidem haec epistola mereatur, nunc non curo. Nam a pluribus eiusdem notae libri nomine Hippocratis laudari solent.

§. IV.

Haec & talia plura reputanti, necessario vtique constituendum ante omnia videtur, qualem & quantam medicinae (1) cognitionem quisque afferre ad exordium praxeos debeat, si perniciales errores euitare, ac iustam reprehensionem effugere velit. Hoc enim scientiae gradu modoue definito, & quasi ad certam mensuram redacto, clarius faciliusque perspici poterit, quousque discendum sit futuro medico, antequam curam aegrorum suscipiat, quidue postea incrementi ad scientiam suam ab ipso artis exercitio exspectandum habeat. (2) Sed nec illud intelligi satis bene poterit, nisi vniuersum medici officium simul quodammodo declaratum fuerit, & sub vno quasi conspectu positum, quo totum simul oculis lustrari queat. De hoc ergo vna videamus.

(1) Medicinae vocabulo comprehendo nunc quidem omnes illas eruditionis partes, quae sub Ordinis aut Facultatis Medicae nomine hodie censentur.

(2) Intelligo candidatum artis, qui praecepta quidem faciendae medicinae, cum necessariis ad eam rem instrumentis scientiisque, a praeceptoribus, siue viuis siue mortuis, accepit; sed praxeos quasi tirocinium sub magistris non posuit, sola tantum artis theoria imbutus.

§. V.

Medicum, valetudinis humanae custodem, moderatorem, atque instauratorem, (de tali enim solo loquor, & potissimum nunc quidem de eo, cui internorum morborum cura, aut externorum tantum eatenus committitur, quatenus interna quoque medicatione opus habent; neque particularis alicuius morborum generis cura, sed cuiuslibet generis) (1)

hunc

hunc igitur eum in finem consilium rogant homines, vt molestum sibi aliquem corporis sensum tollat, aut aliquo se praeuisi mali metu liberet. (2) Quam ad rem quum necesse sit vt aegritudinis notitiam habeat opem laturus, significant ei quidem vel ipsimet aegri vel alii, quid secum actum sit, & quid molestiarum percipere sibi videantur. Verum quum hae notae & indicia plerumque vel obscura nimis, vel admodum manca, vel opinationibus ac praeiudiciis peruersisque studiis narrantium corrupta sint, certiore aliqua ad morbi cognitionem perueniendi via medicus vti debet. (3) Quo conducunt variae quaestiones aegrotantibus aut iis, qui circa illos versantur, propositae: ac peruulgatae sunt hoc in genere illa momenta, de quibus aegrum in accessu interrogare iubet HIPPOCRATES. (4) Sed omnis haec interrogandi ars non multum iuuerit medentem, si fontes siue rationes istarum quaestionum ignoret, & indicationes ex quaesitis elicere nesciat: (5) quin nec omnino poterit in interrogationibus recte versari, nisi valetudinis deprauatae historiam animo comprehensam teneat, vnde reminiscatur, quae signa quale morbi genus, mores, caussas, mutationes &c. prodant; & ad eiusmodi praeformatae notitiae ductum in inquirendo progrediatur: (6) quemadmodum, qui in exteras regiones iter intendunt, aut homines adhuc sibi ignotos adire volunt, descriptione quadam anticipata se praemunire solent. Qua quidem in re maxima cautio est, vt veram morborum historiam, naturaeque in iis producendis, persequendis, abigendisque mores, curaturus edoctus sit: ne falso duce vsus, omnia alia, quam putarat, inueniat, & in deuia inductus inexplicabili errorum serie conturbetur, aut non minus vana, quam ipsius aegri sunt, somnia de morbo foueat. Nec videtur alia ad hanc cognitionem recta via ducere quam fida enarratio quorumlibet in morbis euentuum, sicut ab idoneis Obseruatoribus per omnem seculorum, a principio vsque morborum & medicinae ad nostra tempora, memoriam conseruata est. (7) Difficultatem quidem sane magnam hoc in negotio parit, non tam quod noua (8) interdum oriuntur morborum genera, quam quod nullus fere morbus eundem, vel omnino similem, in omnibus morem seruat. (9) Verum propterea necesse est nosse varietatem tum corporum ipsorum,

tum rerum naturalium, a quibus iſta mutantur, aut quacunque ratione afficiuntur: (10) noſſe etiam ſingularia bonorum auctorum doctorumque monita de prudenti quarundam rerum adminiſtratione. (11) Adhaec, qui veris morborum hiſtoriis inſtructus, curam eorum ſuſcipit, & ſimul cum hac praemonitione rem aggreditur, vt ſuſpicetur, & nouum morbi genus incidere poſſe, & differentiam aliquam in typo habere, & varias quoque res, quae circa ſunt, in eo perueſtigando curandoque ſpectari debere; denique, qui ſic animo comparatus eſt, vt omnes ingenii neruos in opus propoſitum intendat: illi hactenus iam tantum adeſt praeſidiorum ad prudentem etiam noui morbi, aut nouo habitu veſtiti, tractationem, quantum in principio habere debet ac poteſt. Tali modo ſi morbi indolem ac naturam peruiderit medicus, & indicationem indagauerit, hoc eſt, illum finem ad quem omnis curatio dirigenda ſit: ſupereſt, vt ſimili ſtudio remedium, eoque vtendi modum, totumque medicationis ordinem ac rationem inueniat. Neque hic alia via ſuppetit, quam illa ſuperius demonſtrata, nimirum vt ea cuiuslibet generis medicamenta, & ea medendi methodus cognoſcantur; quae longo perpetuoque tot ſeculorum ab vltima vsque medicinae origine, vel & nouiter introducto, ſed fidis experimentis probato ſatis vſu, legitima deprehenſa ſunt. (12) Quocirca magna profecto illis habenda eſt gratia, qui aut ſua nobis inuenta & obſeruata relinquentes, aut eadem libris conſignata colligentes, aut in iuſtam artis formam, vt dicitur, redigentes, nos magno iſto beneficio affecerunt, vt & ipſorum experientia quodammodo pro noſtra vti poſſimus, & viam certam habeamus, qua procedentibus etiam reliqua inuenire licet (13).

(1) Alia eſt tractatio de officio medici Forenſis: quod, vt notiſſimum eſt, ſimul explicuit laudatiſſimus Io. Bohnivs in libro *de Officio Medici duplici, Clinici & Forenſis.* Similiter propria Phyſicorum, Caſtrenſia, Noſocomica, &c. medicorum munera nunc quidem non attendo; multoque adhuc minus Profeſſoria. De Phyſicatu agit Roſ. Lentilivs *in Iatromnematis Theoretico-Practicis* Part. I Cap LXXVIII pag. 314 ſeqq. qui idem in huiusce libri Praefatione promittit, ſeſe *peculiarem aliquando librum de Officio Phyſicatus, Germanice ſcripturum & prelo commiſſurum eſſe.* Conf. Ludou. von Hornigk *Politia Medica* infra §. VI not. 4. I. H. Schvlzii Diſſ. *de Medico Phyſico.*

(2)

(2) Conseruationem sanitatis, quae adest, non pertinere ad medicinalis artis munia, pluribus argumentis fortiter persuadere contendit Pet. LAVREMBERGIVS *in Porticu Aesculapii* Cap. XIII. Et effecit quidem, vt Gunth. Christoph. SCHELHAMMERVM *in Additam. ad Conring. Introd. in Artem Med.* Cap. I §. X & Cap. XIII §. I in eandem aliquatenus pertraxerit sententiam. Contra quorum opinionem ex instituto scripta est *Exercitatio Academica, qua & reuera sanitatis conseruandae doctrinam existere, & illam ad neminem propius quam Medicos pertinere, ostenditur* a Io. Gerardo WAGNERO Helmst. 1729, 8 libellus auctoris venustatem referens. Quantum huic medicinae parti tribuat Ill. Frid. HOFMANNVS, pluribus scriptis abunde testatus est. Ros. LENTILIVS *in Iatromnematis* Part. I Cap. LXII pag. 274 ita distinguit, vt *Medicinam stricte sic dictam, solis morbis depellendis datam putet; contra, Munus sanitatis conseruandae, diaetaeque constituendae, Physicis, certo salario conductis, adiudicet.* conf. ibid. pag. 314.

(3) HIPPOCRATES περὶ τέχνης non longe a fine (supra in *Comm V ad Hipp. de Honest.* §. 5.) num. XIX seq. Lind.

4 Locum sese primum indicasse gloriatur Iul. Caes. CLAVDINVS *de Ingressu ad Infirmos* Lib. I Cap. I: exstat autem in l. περὶ παθῶν f. *de Affectionibus*, textu 36 sec. Claudinum & Linden. Cap. X pr. ex Charterii diuisione; apud Foesium ed. 1595 Sect. V p. 85 edit. 1657 p. 325, his verbis, Ὅταν δὲ ἐπὶ νοσέοντα ἀφίκῃ, ἐπανερωτᾷν χρὴ, ἃ πάσχει, καὶ ἐξ ὅτευ, καὶ ποσταῖος, καὶ τὴν κοιλίην εἰ διαχωρέει, καὶ δίαιταν ἥντινα διαιτᾶται. *Quum ad aegrotum veneris, interrogare oportet, quid patiatur? & qua ex re* ortum sit malum? *& quoto* iam *die* decumbat? *& num aluus* libere *descendat? & quomodo victum institutum habeat?* Pluribus hunc locum exponit Claudinus l. c. Easdem Hippocraticas quaestiones Celeb. Io. Dan. MAIOR *in Diss. de Interrogandis aegris*, prolixe explanauit, & auxit, vid. G. C. SCHELHAMMER. *in Via Regia ad Artem Medicam* Stadio X §. XLIV p. 201. conf. Frid. SCHRADERI *Exercitat. I de Signis Med.* §. XV. Alias interrogationes aegro proponendas, habet HIPPOCRATES *Prognostico* s. Praenotionibus, non longe ab initio, num. II, 13 seqq. Lind. item *Epidem.* VI sect. 2 non longe a fine, n. 33 Foes. 78 Lind. haec leguntur, ex versione Foesiana, *Ad diligentem aegrorum procurationem medico videndum est, quaenam de morbo interrogationes fieri debeant; quae narrat aeger qualia haberi debeant; vt accipiendi sermones; quae ad aegrum, quae ad assidentes, & quae ad ea quae extra spectantur attinent.* Praecipuus item locus est in Libro *de Ratione Victus in morbis acutis* t. 47 Sect. IV pag. 70 Foes. item Lib. I *de Morbis* ab initio. Late hoc argumentum explicatum est in spissa, nec minus vtili *Dissertatione de Aegrorum Examinis methodo & cautelis*, praeside Mich. ALBERTI ab auctore Christ. Sigism. RICHTERO habita Halae Magdeb. 1731. Huc quoque pertinet eximii Practici, Rosini LENTILII Τέχνημα πρακτικὸν, id est, *Tabula Consultatoria Medica, exhibens quaestiones maxime necessarias aegrotis consilium exquirentibus a Medico, proponendas, per quarum responsiones in morbi genium certius & ἄνευ ὑπεροράν penetrare, indicantium & contraindicantium momenta inuenire, atque in medendi methodo tutius commodiusque procedere liceat.*

(5) *Tum etiam praesentia animi, at*que

que vnum ex altero inferendi facultate instructus esse debet Medicus, dicit Io. Melch. VERDRIES *in Vera ad veram Medicinam Via* pag. 22; & subiectâ nota, *Haec facultas est illa decantata Aristotelis* ἀγχίνοια, *quam Hippocrates hinc inde sub nomine* φύσεως *comprehendit.* Eodem pertinet, quod legitur in libello Παραγγελιῶν non longe post principium, l, 21 Linden. Medicum debere ἐκ τῶν φαινομένων μεθοδεύειν.

(6) *De Arte condendae experientiae* eximia sunt quae habet VERDRIES c. l. p. 33 seq. & similia fere iam veteres Empirici, v. infra §. X not. 4.

(7) Pro talibus commentariis se dudum aequis aestimatoribus approbarunt auctoris integerrimi H. BOERHAAVE *Aphorismi de cognoscendis & curandis morbis*: in quibus *candide simpliciterque exposuit illa, quae veris experimentorum successuumque euentis firma in Arte cognoscuntur*, vt ipse scribit in *Praefatione Libelli de Materia Medica.* Pergit ibidem, *Sane eo quidem proposito perscrutabar relicta nobis hodie ex iis, quae sapienti industria explorata sibi satisque spectata tradidere Veteres. Illa vero vbi composui rebus, quas medicinam faciendo deprehendebam, inueni obseruatae solicite naturae vestigia vbique pressa; neque adeo certius quid sperari posse, neque aliunde colligi meliora.* Quod dicit, suas in experiendo obseruationes respondisse antiquorum descriptionibus; id de Boerhaauiano libro re ipsa deprehendere mihi contigit: Denique, eatenus Boerhaauium intelligere mihi visus sum, quatenus ipse profeceram. Idem quam praeclare describendae morborum Historiae exemplum geminum dederit, notum est: neque minus egregium est illud Io. Mar. LANCISII, haud quaquam futilis auctoris, *in Dissertatione Decima, in qua proponitur forma ac methodus describendae morborum historiae, in gratiam Medicinae tironum*, Opp. Tomo II pag. 360 seqq. edit. Geneu. 1718. Sapientissime de eodem proposito disserit Ill. HOFMANNVS *in Medic. Rat. System.* Tom. III S. I C. II.

(8) Empiricos veteres nouorum morborum prouentum negasse, testatur CELSVS pag. 10 seq. Sed eosdem ipse postea pag. 14 redarguit. SYDENHAMIVS, *in Obseruationibus circa morborum acutorum historiam & curationem*, Sect. V Cap. IV sub finem, singularem suam proponit de certis morborum exolescentium sibique inuicem succedentium periodis coniecturam: Eademque fere ad verbum leguntur apud Frid. SCHRADERVM *in Progr.* praemisso IV Disputationibus *de Signis Medicis.* Sed contra Sydenhamium, praesertim vbi dicit, *Febres continuas ita toto, quod aiunt, caelo differre, vt, qua methodo, currente anno aegrotos liberaueris, eadem ipsa anno iam vergente forsitan e medio tollas*; contra hanc, inquam, assertionem aliqua monet Ioh. FREINDIVS *in Commentariis Nouem de Febribus ad Hippocratis de Morbis Popularibus libros I & III accommodatis*, Comm. I. Aliqua autem noua morborum genera quidam obseruasse sibi visi sunt, eademque literarum monumentis tradiderunt. sic *de Ceraste s. Basilisco, morbo nouo, medicis incognito*, scripsit Hieron CRASSVS; *de morbo nouo, prolapsu scilicet mucronatae cartilaginis*, Baptista CODRONCHIVS, de aliis nouis Ioh. Bapt. de CAVIGIOLIS, Ioh. HEVRNIVS Ludou. SEPTALIVS. In vniuersum pronunciat Frid. SCHRADERVS *in Progr. de Curiositate Medica*, circa finem, *Morbi quidam hodieque medicinam facientibus occurrunt nondum descripti.* Diuersa ratione, morborum, qui nouiter exorti putantur vt venereae luis, variolarum, purpurea-

rearum febrium, rhachitidis, ſcorbuti &c. veſtigia apud veteres requiruntur: quomodo inter VV. Excell. Paul. Gottlieb WERLHOFIVM & Io. Gothofr. HAHNIVM diſputatum eſt, An Variolae veteribus iam ſub Anthracum nomine fuerint cognitae? Hahnii liber prior prodiit, & inſcriptus eſt, *Variolarum Antiquitates nunc primum ex Graecis erutae*; Werlhofianus labor dictus eſt, *Diſquiſitio de Variolis & Anthracibus*: in cuius Praefatione quaedam egregia huc pertinentia reperio, item ex Annotatione vltima, LEONICENVM, diſco, *in Hippocratis aliquo loco luem veneream, mirabili coniectura, inuenire ſibi viſum eſſe*. Viciſſim, quaeritur etiam de eiusmodi aegritudinibus, quarum praeter memoriam nihil adhuc supereſſe [quod quidem vehementer foret optabile] putatur: quo in genere exſtant diſquiſitiones *de Morbo Nigro Hippocratis*, *de eiusdem ructuoſo morbo*, *de aluo Haemorrhouſa*, *de morbo Lazari*, &c. Praeterea ſimili ſtudio, docte diligenterque commentati ſunt Carolus PISO *de praeteruiſis hactenus morbis affectibusque praeter naturam*; Arnold. BOOTIVS *de affectibus omiſſis*: quemadmodum BOERHAAVIVS, primus forſitan, *praeteruiſos adhuc vel non bene cognitos*, morbos laxae rigidaeque fibrae animaduertit, qua de re idem in *Aphoriſmis de Cognoſc. & Cur. Morbis* §. 23.

(9) *Nulla quippe vnquam, in quacunque tempeſtate apparuit febris, vbi ita conſtanter ſibi inuicem reſponderint notae, vt, quas in vno homine ſimul colligatas inueneris, eaedem pariter in altero quoque conuenirent: nec tamen ideo non eodem illos morbo affici dixeris*. Ioh. FREIND. l. c. Quamobrem, *Curioſo exploratori pateſcet, facilius ſaepe eſſe curare morbum, quam cognoſcere*: prout dicit Frid. SCHRADER. *in Progr. de Curioſitate Medica*. Proinde maximum hoc in negotio artis opus eſt, ne diuerſis morborum formis dicipiatur medicus, & impediatur, quo minus veram morbi diſtinctionem & differentiam deprehendat, & ita porro ad generales multarum aegritudinum cauſſas & remedia perueniat. *Paucae quippe ſunt & ſimpliciſſimae morborum cauſſae, ideoque iis etiam remouendis pauca ſufficiunt adminicula*: ſecundum Ill. HOFMANNVM *in Medic. Rat. Syſtem.* T. III Sect. II Cap. II §. XVIII. Conf. ibid. S. I C. III. Ita, quanquam Exanthematicorum magna varietas eſt, tamen easdem paene curandi rationes habent: ex ſententia BOERHAAVII *Aphor. Pract.* §. 723 ſeqq.

(10) Pro diuerſitate ſexus, aetatis, habitus, regionum, caeli, temporum anni, conſuetudinis, idioſyncraſiae, &c.

(11) Huc refero prudentiſſimi SYDENHAMII inſtitutum atque conſilium, de quo ſcribit libro allegato pag. 26 edit. Geneu. 1723 *Nihil mihi prius eſt, quam, quando nouae febres graſſari incipiunt, cunctari paulliſper, & ad magna praeſertim remedia non niſi ſuſpenſo pede ac tardius procedere* &c. Add. Sect. V in fine. BAGLIVVS *de Praxi Med.* Lib. II C. VIII §. I. conf. Frid. SCHRADERVS *de Signis Med.* Exerc. I §. VII. Roſ. LENTILIVS *in Methodiis Practicis* num. V. (Iatromnem. Part. II Cap. XXX p. 591.)

(12) *Sic enim prudenti ſelectu & applicatione ſolutu non adeo difficile fuerit palmarium illud Medicorum problema*: INVENIRE MORBO REMEDIVM. VERDRIES c. l. pag. 22.

(13) HIPPOCRATES περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, poſt pr. §. III Lind. (ſupra *Commentar.* V §. 4) it. Παραγγελ. §. II fin.

§. VI.

§. VI.

Apparet autem facile, qui ad talem morborum remediorumque cognitionem adſpirauerit, ei complurium aliarum rerum ſcientiam neceſſario ante comparandam eſſe: quales ſunt Oeconomia corporis ſani, & ex qua illa debet explicari, Fabrica ſingularum eius partium, omniumque compages; deinde Herbarum, & cuiusque generis prouentuum Naturae, proprietates, vires, mutatio in medicamenta, compoſitio, vſus, & ſimilia. Et rurſus, qui has doctrinae partes, totamque adeo diſciplinam inſtitutionemque medicam intelligere velit, generalibus diſcendi inſtrumentis adiutus accedere debet, vt Linguarum cognitione, Logica, Matheſi, Phyſica &c. (1) Inprimis autem magnopere laudandum eſt, quod boni doctores conſueuerunt, vel inſtitutionibus ſuis adſpergere monita cautelasque ad praxin prudenter aggrediendam valde profuturas, vel ſigillatim eiusmodi de rebus praecipere, e. c. de primo ad aegrotantem acceſſu, de ratione conſultandi, &c. tum in libris quoque talia reperire licet. (2) Maximum autem diſcentibus vſum praeſtat illud inſtitutum, quo propoſitis morborum exemplis illi a praeceptoribus interrogantur de morbi natura & curatione; ſi quid errent, aut minus intelligant, aut aliqua curationis momenta praetermittant, meliora doceantur, &c. (3) Praeterea, in toto medicinalis artis exercitio obſeruari ſolent ſingularia quaedam inſtituta, mores, & conſuetudines, pro populorum locorumque varietate diuerſae: adhaec, Politica quaedam eſt medicinalis, ſiue ratio bene ac ſapienter verſandi cum hominibus quibuscunque; quod vtrumque prudentiae genus medico cognitu vtile eſt. (4) Haec tamen omnia, quum partim ab ipſo artis propoſito longius remota ſint, partim ſolo vſu diſcantur, partim etiam ex ſingulari cuiusque natura ingeniique ſolertia pendeant, partim denique multis mutationibus ſubiecta ſint, poſtremo plurima cum reliquis recte ſapienterque viuendi praeceptis habeant communia; propterea propria de eis traditio non adeo neceſſaria ad faciendum medicum videtur: nos autem nunc praecipua tantum conſectamur. Adhuc minus hunc in cenſum veniunt nonnulla bonarum artium ac ſcientiarum genera, egregia illa quidem per ſe, ſed ad curandam valetudinem

dinem non multum allatura adiumenti, veluti ſtudium eleganter ſiue proſa ſiue verſibus ſcribendi, diſputandi, hiſtoria omnis generis, ſublimior matheſis, &c. (5) quae penes quem ſunt, eum ornant; ſed in ſequendo aliquo vitae genere ſemper cauendum, quod SENECA monet, *ne neceſſaria ignoremus, quia non neceſſaria didicerimus*; & ſpeciatim in medicina, *ne ſcholae, ſed vitae diſcamus.* (6) Maxime autem, ſicut ad omnia vitae negotia recte, prudenter, & feliciter adminiſtranda, ſic in Medicina quoque neceſſe eſt, vt eam facturus verae virtutis ac pietatis ſenſu ſtudioque probe excultus ſit. (7) Denique nihil laude dignum omnibus iſtis efficietur, niſi ingenium cultui aptum, & naturalis ad huius artis munia diſpoſitio adfuerit. (8) Summam omnium, quae adhuc dicta ſunt, comprehendiſſe videtur HIPPOCRATES in libro περὶ τέχνης, poſt med. XVI, 12 Lind. hiſce verbis, Ἐξευρηνταί γε μὴν αἱ ἀκέσιαι οὐ τοῖσι βουληθεῖσιν, ἀλλὰ τούτων τοῖσι δυνηθεῖσι· Δύνανται δὲ, οἷσι τάτε τῆς παιδείης μὴ ἐμποδὼν*, τά τε τῆς φύσιος μὴ ταλαίπωρα. Similiter ibidem, paullo poſt initium ſcribit, λόγον medici eſſe δυνάμενον διὰ σοφίην, ᾗ πεπαίδευται.

* Alii ἐκποδών.

(1) De rebus futuro Medico cognitu neceſſariis quam plurimi praeceperunt, omnes ſcilicet qui diſcendae medicinae rationem tradere aggreſſi ſunt: tres egregios auctores nominare ſufficiat, Io. Mariam LANCISIVM, *de recta Medicorum ſtudiorum ratione inſtituenda*, in Operum Tomo altero pag. 206 ſeqq. Io. Melch. VERDRIES in Oratione cui titulus, *vera ad veram Medicinam Via*, Gieſſae 1714 edita, &, ni fallor, poſtea recuſa; denique Virum Excell. Pet. GERIKE, quem Praeceptorem habuiſſe gaudeo, in Oratione *de Optima Medicinam docendi & diſcendi ratione*, Helmſtadii 1730 habita & excuſa. *Pertinet huc*, vt cum CONRINGIO *Introd. in Art. Med.* Cap. I §. XVI loquar, *iure merito optimum illud monitum*, *quod* Phil. SCHERBIVS Hofmanno *in Italiam diſcedenti*, *viatici loco dedit*, Non immergeret ſe nimis profunde controuerſiis, quas vocamus, Theoreticis, ſed exerceret ſe potius in Practicis, ibique laudem aliquam quaereret.

(2) Cuius generis libri ſunt, praeter BOHNIVM alioſque vniuerſales, e. g. Iul. Caeſ. CLAVDINI *de Ingreſſu ad Infirmos*; Franc. RANCHINI *Tractatus de Conſultandi ratione ſeu de Collegiandi modo*, cum Eiuſdem Opuſculis Medicis impreſſus; Roſini LENTILII *Methodiae Practicae*, quae conſtituunt Caput XXX Partis II Iatromnematum eiuſdem auctoris, pag. 588 ſeqq. Frid. DEKERI *Exercitationes Practicae*, primum in 8 editae, poſtea auctius in 4. Add. STORCH. *Prax. Stahl.* p. 91.

(3) De hac re & similibus, plura videbimus infra §. IX not. 3

4) Scripto viam ad hanc prudentiam tradiderunt varii, vt, D. Sempronius Gracchus Massiliensis, siue vero nomine Samuel Gotthilf MANITIVS *in Medico huius seculi s. Herma Tironi Medico viam monstrante* Ill. Vir, Frid. HOFMANNVS *in Medico Politico*, qui liber tamen non ab ipso typis traditus est, sed ex Collegio MSto anno superiore euulgatus. Eodem omnino titulo librum edidit Rodericus de CASTRO. Etiam huc pertinet Ludouici von HORNIGK *Politia Medica, oder Beschreibung dessen, was die Medici, so wohl insgemein, als auch verordnete Hof - Stadt- Feld - Hospital - und Pest - Medici, Apotheker* &c. *desgleichen die oberste geschworne Frauen, Hebammen* &c. *wie nicht weniger allerhand unbefugte, betriegliche, und angemaste Aerzte, darunter Alte Weiber* &c. *so dann endlich die Patienten selbst zu thun haben*, Francof. ad M. 1638, 4. Exstat etiam *Machiauellus Medicus s. Ratio Status Medicorum*, libellus, si quid ego iudico, ad traducendos malos artifices compositus, quandoquidem varias & leuiores quaerendae fortunae artes simpliciter proponit, nulla commonitione addita, quibus respectibus bonae eaedem esse possint aut malae. Quapropter conferre ad eum librum oportet Animaduersiones D. VALENTINI.

5 Io. Henr. SCHVLZE *in Hist. Medic.* Period. I Sect. II Cap. I §. XXVII *Videntur veteres, Mineruam medicinae praesidem cum Apolline constituentes, admonere voluisse, vt salutari arti dediti reliquas elegantiores ne aspernentur, sed cum sua coniungant.* De Mathesi Io. Mar. LANCISIVS *in Diss. I.* siue *de recta Medicorum Studiorum ratione instituenda*, §. XVI, Opp. Tomo II pag. 213 seq. *Sedulo*, inquit, *cauendum, ne, vt saepe contingit, specie ac praestantia harum* Mathematicarum *disciplinarum vltra metas iuuenes abripiantur. Non pauci enim, dum earundem pulchritudinem euidentiamque sectantur, in abstractas & omnino obscuras Metaphysicae, Analysis, Algebraeque inquisitiones & problemata sese abdunt penitus & immergunt. Et sane, qui Geometriam diu tractauerint, ingenium vtique acre, viuidumque efficiunt: veruntamen imaginandi facultatem ita laedunt atque eneruant, vt ineptam paene reddant tot tantisque, genere variis, natura diuersis, immo saepe contrariis, noscendis tractandisque naturalibus rebus, quas Medicus experiundo magis quam meditando consequitur; deterius procul dubio facturi, si confusis Algebrae exercitationibus longo tempore mentem detriuerint. Hae siquidem, vt sapienter animaduertit* Cartesius in sua methodo ingenium etiam quodammodo turbant & obscurant. *Quamobrem eiusmodi Medici nec veras morborum caussas dilucide persequi, nec modum, quo iidem texuntur & complicantur, multoque minus quo retexi ac depelli debent, perspicue possunt intelligere.* Mathematici circa medicinalem artem studii vestigia iam deprehendi videntur in libro, qui corpore librorum HIPPOCRATIS comprehenditur, *de prisca medicina, vbi* §. XVI Lind. sic loquitur auctor, Δεῖ μέτρου τινὸς στοχάσασθαι. Μέτρον δὲ οὐδὲ σταθμὸν, οὐδὲ ἀριθμὸν οὐδένα ἄλλον, πρὸς ὃ ἀναφέρων εἴσῃ τὸ ἀκριβὲς, οὐκ ἂν εὑροίης ἄλλο, ἢ τοῦ σώματος τὴν αἴσθησιν. Διὸ ἔργον οὕτω καταμαθεῖν ἀκριβῶς, ὥστε μικρὰ ἁμαρτάνειν ἔνθα ἢ ἔνθα. Κἂν ἐγὼ τοῦτον τὸν ἰητρὸν ἰσχυρῶς ἐπαινέοιμι, τὸν σμικρὰ ἁμαρτάνοντα· τὸ δὲ ἀκριβὲς ὀλιγάκις ἐστὶ κατιδεῖν. Similiter eodem in libro num. XXXVI Linden. ii, qui

qui, ad mentem auctoris, in perscrutanda corporis fabrica longius euagabantur, quam ad vsum artis decebat, illis verbis coarguuntur, in quibus Theoretici quidam vehementer solent offendere, Λέγουσι δέ τινες καὶ ἰητροὶ καὶ σοφισταὶ, ὡς οὐκ ἔνι δυνατὸν ἰητρικὴν εἰδέναι, ὅστις μὴ οἶδεν, ὅ, τί ἐστιν ἄνθρωπος, καὶ ὅπως ἐγένετο πρῶτον, καὶ ὅπως συνεπάγη. Ἐγὼ δὲ τουτέων μὲν ὅσα τινὶ εἴρηται σοφιστῇ ἢ ἰητρῷ, ἢ γέγραπται περὶ φύσιος, ἧσσον νομίζω τῇ ἰητρικῇ τέχνῃ προσήκειν ἢ τῇ γραφικῇ. Νομίζω δὲ, ὅτι περὶ φύσιος γνῶναι τὶ σαφὲς, οὐδαμόθεν ἄλλοθεν ἔστι ἢ ἐξ ἰητρικῆς. Τοῦτο δὲ οἷόν τε καταμαθεῖν, ὅταν αὐτήν τις τὴν ἰητρικὴν ὀρθῶς πᾶσαν περιλάβῃ. His & similibus commotus MERCVRIALIS librum hunc *absurda continere* pronunciat, & Hippocrate indignum iudicat; itemque CONRINGIVS *de Hermetica Medicina* L. II c. 2 p. 180 & *Introd. in Artem Med.* Cap. II §. XI ex Empiricorum schola profectum censet. Verum mitius hunc locum interpretati sunt & cum recta de istiusmodi rebus sententia conciliarunt, Prosper MARTIANVS *in Commentario*, SCHELHAMMER. *ad Conring.* a. l. Io. Henr. SCHVLZE *in Hist. Med.* Periodo I Sect. III Cap. I §. XXVI seqq. & Cap. II §. X, Idemque *in Diss. de Medico vehementer laudari digno* § II & III; ipse SYDENHAMIVS *in Tract. de Hydrope* pag. 495 seqq. Caeterum, mathematices vtilitatem, quam medico praestat, magnopere commendat *Epistola Hippocrati* tributa *ad Thessalum filium*, *Geometriae & Arithmetices cognitioni studium adhibeto, mi fili. Neque enim solum vitam tuam gloriosam & ad multa in rebus humanis vtilem, verum etiam mentem acutiorem & longe splendidiorem* (perspicaciorem) *ad fructum eorum omnium, quae in arte medica vsui sunt, consequendum reddet.* Deinde subiungit, Geometriam *tum ad ossium positus, & articulos suis sedibus emotos, tum etiam ad reliquam membrorum compositionem, vtilem futuram esse* &c. Conf. l. *de Veteri Medicina* num. XXXIX, XL, XLI Lind. non longe ante finem. De Physicarum rerum studio CELSVS *in Praefat.* pag. 17 *Contemplationem rerum naturae*, inquit, *non temere Medici sibi vindicant*; & de eadem aliisque scientiarum partibus, pag. 14 *Quanquam multa sint ad ipsas artes proprie non pertinentia, tamen eos adiuuant, excitando artificis ingenium. Itaque ista quoque naturae rerum contemplatio, quamuis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddit.* Contra, illi puri puti quibus conuiciis proscindi soleant, notum est.

(6 Qui de discrimine rerum vtilium, minus vtilium, superfluarum (περιεργίας voce Hippocratica) immo detrimentosarum in arte medica scripserunt prudenterque commonefecerunt, laudandos habeo Herm. CONRINGIVM *Introd. in Art. Med.* Cap. I praesertim §. XV seqq. Eliam CAMERARIVM *in Systemate Cautelarum Medicarum*, Ge. Ern. STAHLIVM *in Disp. de Medicina MedicinaeCuriosae*, &c. Frid. SCHRADERVM *in Progr. de Curiositate Medica.* Conf. Exper. Io. STORCH. *in Praxi Stahliana*, Prooem. pag. 26 seqq. Apprime placet iudicium Exc. HALLERI *in Annot. ad Boerhaauii Praelectiones in Institutiones Med.* ad §. XX not. 2 pag. 52 seq. atque Herm. CONRINGII *Introd. in Art. Med.* Cap. I §. XVII. Denique, cynosuram, in praesenti quidem negotio, praebeant illa HIPPOCRATIS περὶ εὐσχημοσύνης VIII, 6 seqq. Lind.

(7 De habitu religionis ad medicinam,

nam; vt ita dicam, multis agit Rof. LENTILIVS *in Iatromnem.* P. I C. LXII cui titulus, *Medica Praxis Diuinum Charifma.* Add. Eiusdem *Methodiae Pract.* it. Io. STORCHIVS Prax. Stahl. p. 27. Pluribus hanc materiam infra pertractabimus.

(8) De Natura Hippocrates in Νόμῳ I extr. & II pr. Vid. etiam LANCISIVS *de recta Medicorum Studiorum ratione* §. VII in Opp. T. II pag. 209. Quomodo VERDRIESIVS hanc naturam interpretetur, fupra §. V not. 5 fignificatum eft. Quanquam autem nulla ingenii fpecie carere poffit medicus, & optimum fit omnes excellentiore gradu poffidere: quia tamen in rerum fenfualium obferuatione, perfpicientia, & adminiftratione omnis medici cura verfatur, inprimisque multum ipfi ex comparatione rerum fimilium colligendum eft, ficut poftea magis elucefcet; abftractam mentis inquifitionem potius impedimento fore credibile eft, quam praefidio: contra, potiffimas ingenii medici dotes habendas effe Perfpicacitatem, Phantafiam, Ingeniofitatem, Sagacitatem. Clarius & explicatius haec intelligi poterunt ex V. Cl. Ioh. Nic. FROBESII, Praeceptoris mei non vno nomine aeftimatiffimi, *Prolufione Academica de Ingenio Phyfico & Mathematico.* Et fic fere conuenit cum ingenio Phyfico & Mathematico Medicum: adeoque qui ad res Phyficas atque Mathematicas excolendas a natura quafi facti funt: iidem quoque ad medicinalem artem perquam idonei cenfendi funt, modo in ea fe exerceant. Atque hinc ratio patet, quare multi inter medicos, iique eximii magnam quoque laudem in eiusmodi ftudiis confecuti funt, ad quae fingularis εὐφαντασία requiritur veluti in literis quae ab Humanitate nomen habent, Poëfi, Mechanicis, &c. Sed haec materia peculiari tractatui fufficeret: in quo quidem opinor difcrimen aliquod inter huius artis profeffores attendendum foret, quum non omnes artifices eiusdem fint generis, & v. c. Chirurgorum, Pharmacopoeorum, miniftrorum &c. diuerfa fit conditio. De Ingenio & Temperamento Medico nonnulla quoque habet *Diff. de Fortuna Medica*, praefide V. Ill. HEISTERO, Praeceptore meo venerando, habita 1722 a M. Io. Chrifti. Rabe, §. VII.

§. VII.

Ita primis quafi lineis adumbratae effent officii medici partes, & quae ad easdem rite peragendas neceffaria funt. Vt omnia breuiter repetamus, requiritur in Candidato Praxeos medicae, praeter ea quae ipfi cum aliarum difciplinarum cultoribus communia funt, fcientia Pathologica & Therapeutica, generalis & fpecialis; tum, ad haec rite addifcenda, quantum ex Anatome, Phyfiologia, Botanica, Diaetetica, Pharmaceutica, Chirurgicis, Chemicis, Phyficis, ac Mathematicis neceffaria funt; poftremo, fic inftructum eiusmodi hominem

effe

esse oportet, vt in curatione morborum aggredienda sine cortice, quod dicitur, nare possit. Quae dum cuncta quasi simul intuemur, magnus vtique campus apparet, nec paruo temporis aut aetatis spatio percurrendus. * Verum, vtrum sigillatim aliquis medicinam professurus, satis sibi istorum praesidiorum comparauerit necne, id aliis peritioribus artificibus exquirendum relinqui debet; & de eorundem rectitudine iudicii atque integritate, nulla iusta ratione dubitari.

* Et sic tamen etiam verum esse potest *Helmontianum* illud, *Pauca sunt, quae medicum nobilitant*: nimirum si interpreteris de remediorum delectu, quorum angustissimis terminis omnis in morbis curandis ars circumscribitur, & ex quorum effectu solo censetur medicus, Caeterum, quibus rebus medicus ornatus esse debeat, eleganter exponit Aug. Quirin. RIVINVS *in Disp. de Medico Inculpato*: quam tanti aestimauit Celeb. STORCHIVS, vt totam Germanice redditam inseruerit *Praxi Stahlianae* inde a pag. 3, additis amplissimis annotationibus.

§. VIII.

Iam habemus Nouum Medicum, sed neutiquam talem, cui Nouum quoque parandum sit Coemeterium. Primo enim noster perspectum habet, quaenam sit legitima naturaeque conueniens sanandi morbos ratio, & quanta opus sit circumspectione, quanta mentis intentione ad rectam medendi methodum peruidendam atque seruandam. Quamobrem, necessariam ad aegrotum curam affert, & lente festinando, nec nisi probe perpensis omnibus & singulis momentis ad praescribendum totius medicationis modum atque ordinem procedit. (1) Deinde, siquidem reuera virtutis probitatisque studiosus est, non plus promittit, quam, Deo iuuante, praestare se posse, certa cum ratione confidit; & a prauis cupiditatibus alienus, atque in sola religiosa officii cura spem prosperae fortunae collocans, non vanis strophis & incertis medendi rationibus, festinata opera, inutili περιεργίᾳ, aliisue malis artibus, famam aucupari studet, (2) sed, cognitis in salutem aegrotantium vtendo, atque, etiam si semper prodesse non possit,

tamen ſolicite cauendo ne noceat; (3) acquiſitam augere ſcientiam experientia contendit; neque minus, ſi cum ſenioribus peritioribusque verſandi medicis occaſio ſit, libenter eam arripit, & in incrementum ſuae cognitionis atque prudentiae conuertit; (4) nec libros ſibi in poſterum clauſos habet, poſtquam ſemel in conferenda Medici dignitate librum claudi viderit (5).

(1) Frid. SCHRADERVS *de Curioſitate Med.* grauiter coarguit eos, *qui circa aegros ſuos id agunt, quod canis ad Nilum; qui obiter audito vno vel altero ſymptomate, non explorato cum cura morbo ipſo, ſed praeiudicio quodam concepto formulam medicamenti in chartam illico coniiciunt, actutum quid agendum ſit determinant, non raro cum aegri vitae, nec minori famae ſuae & conſcientiae periculo.* Conf. LENTILII *Methodiae Pract.* §. IV & XXVI ſeq. Quae res in ſuſcipienda alicuius morbi curatione obſeruandae ſint, paucis verbis elegantiſſime complexus eſt HIPPOCRATES *περὶ εὐσχημοσύνης* §. IX Lind.

(2) HIPPOCRATES in *Παραγγελίαις* II, 16. III, 4. VI tot. IX, 25 ſeq. Conf. ſupra §.VI not.6. it. infra §. XIX not. 2.

(3) HIPPOCRATES *Epidem.* I Sect. 2. 92 Lind. *ἀσκεῖν περὶ τὰ νουσήματα δύο· ὠφελεῖν, ἢ μὴ βλάπτειν.*

(4) Io. STORCH. *in Praxi Stahl.* Praecognit. §. 5 Not. c] fin. p. 169 edit. 2.

(5) Io. BOHNIVS *de Officio Med.* Part. I Cap. I pag. 7 ſeq. edit. Lipſ. 1704.

§. IX.

Conuenit igitur, praxin auſpicari, antequam omnia omnino doctrinae praecepta, omnesque prudentiae regulas plane perdidiceris: *non differendum eſt tirocinium in ſenectutem.* (1) Vidimus itaque, a multis retro ſeculis, ſolertiſſimorum hominum ſtudio atque opera, cuiuslibet generis praecepta & exempla curandi, vna cum egregiis monitis practicis, literarum monumentis mandata exſtare. Vidimus etiam, inſtitutionem doctorum, & ſalutaria ab iisdem conſilia, regulasque prudentiae, nobis praeſto eſſe. Ea nunc oritur quaeſtio, Quum in tot libris Obſeruationum Curationumque medicarum, tam multa, & tantum non omnia legitimae praxeos praecepta, monita, conſiliaque cognoſci poſſint; quum praeterea viua doctorum inſtitutione frui liceat: quid illud tandem ſit, quod neque ex libris, neque

ex

ex praeceptoribus (2) conferri possit ad medicinam aegrotis faciendam? Ponamus enim, aliquem hoc sibi proposuisse, vt omnia, quae hanc in rem aut scripta sunt aut audiri possunt, legat & audiat, & hoc effici posse: putandum est, eum hoc modo curandis morbis suffecturum, perinde ac si eosdem re ipsa tractasset? an nihilominus sic quoque, experiendo artis opera, nonnihil, immo plurima, nullis literis consignata, neque ab vllo praeceptore dicta, disci sentiet? Nam nisi hoc demonstretur, iure reprehendi posse videatur, quisquis primus dixerit, *Esse aliquid in medicina, quod nec dici nec scribi possit;* & hoc ei vitio verti, quasi homo fuerit in statu confusarum obscurarumque mentis notionum constitutus, quique propterea mentem suam explicare nequiuerit. Et huius quidem rei nonnunquam haud vana est suspicio, si qui semper simpliciter experientiam crepent, neque experientiae suae rationem reddere possint. Quandoquidem autem fingimus talem artis cultorem, qui praeter propriam experientiam, omnia sibi comparare studeat praesidia, quoad ab ingenio aut industria, quam longissimo aetatis spatio, sperari ea possint: manifestum est, non iam de expeditiore, breuiore, aut meliore fortassis ad medicinam via sermonem institui; longe enim felicius procedere hoc negotium, quando necessariis praeceptis ipsa statim artis opera, & eorundem exercitatio, praesertim sub oculis & manuductione praeceptorum, qui & vera casuum suorum exempla communicent, coniunguntur, aut certe breui sequuntur, nemo, credo, dubitabit. (3) Neque hoc nunc quaeritur, quid in perficienda medicinali scientia aut prudentia tribuendum aetati sit, quatenus scilicet ab intellectus omniumque mentis virium pleno vigore, cum aetate demum terminum attingente, virtus illa pendet. Verum, his & aliis eiusdem generis missis, ad quaestionem ipsam explicandam progrediamur.

(1) QVINCTILIANVS *Inst. Orat.* Lib. XII, 6, 3. Frid. SCHRADER. *in Progr. quo Hippocratica de Prognosticis Signis doctrina commendatur, Minime soli superciliosi & rugosi senes, aetatis vitio languentes, nomine Medici digni sunt existimandi. Non opus est, vt artis periti & prognosticorum doctrina instructi soli illi habeantur, qui morti propiores sunt, in quibus animi corporisque vigor frangi solet, & defatigatione longaque exercitatione ingrauescere incipit: non aptior ad medendum semper ille habendus, qui aetate decliui, habitu exsucco & exsan-*

ſangui, promiſſiore barba venerabilis eſt, & Aeſculapium repraeſentat, quem illa de cauſſa barbatum veteres pinxerunt. Sed Medici munus & iuuenes praeclare implent, non annis, ſed mente ſenes, qui medicis praeceptis poſſunt eſſe exercitatiſſimi. Et Rodericus a Castro *in Medico Politico* Lib. II Cap. 10 *Fieri etiam poteſt,* inquit, *vt iuuenis in medicis praeceptis ſcientiſſimus, & in operibus mediocriter exercitatus, tam in medendo quam in docendo reip. ſit vtiliſſimus, ſi modo mente caneſcat, quamuis non mento: nam cani hominis ſapientia, eius qui in breui aetate tempora multa compleuit.*

(2) Ne arctior huius vocabuli ſignificatio iuſto anguſtiores cognitioni medicae limites ponere videatur, bona legitimorum Artis Magiſtrorum venia comprehendamus eodem etiam Idiotas, Aniculas, Pharmacopolas, Carnifices, Arcanorum pollicitatores, & quotquot aliquid de morbis eorumque curandorum rationibus aut remediis cognitum habere & referre poſſunt. Nam & Hippocrates *in Praeceptionibus* §. II Lind. iubet, μὴ ὀκνέειν καὶ παρὰ ἰδιωτέων ἱςορέειν, ἤν τι δοκέει ξυμφερον εἰς καιρὸν θεραπείης· *ne pigeat vel ab idiotis aliquid addiſcere, ſi quid putent vtile ad opportunitatem curationis futurum.* Et alii non ſpernendi auctores ſimilia ſuadent: vid. Storch. pag. 54 ſeq.

(3) G. C. Schelhammervs *in Via Regia ad Artem Medendi,* Stad. X §. LI pag. 207 ſeq. *Vnum ſupereſt, quod ad exercitationem pertinet, & praxin auſpicaturis maxime omnium e re futurum eſſe arbitror: ſub fido magiſtro inſtitui Conſultatorias exercitationes ſingulorum morborum, ubi tanquam ad lectum aegrotantis cuiusdam adſtanti, proponi ſolent cuiusuis generis hiſtoriae, ex quibus qui ſint morbi, quae cauſſae eorum, & quomodo curandi, iudicium ſuum deſcriptum afferat. - Huiusmodi Conſultationum paradigmata multis quidem magnisque voluminibus deſcripta plurima exſtant, ex quibus ego propter facilitatem maximam* Rolfincii Conſultatoriam Methodum, *vt vocat, omnibus in hoc genere, primis iſtis temporibus praetulerim.* Qua in re maxime videtur opus eſſe, vt vera morborum curationumque exempla proponantur, non ludibrio mentis efficta, ſicut audio nonnunquam fieri; deinde, vt ab ipſismet Praeceptoribus iidem, qui proponuntur, morborum Caſus tractati ſint aut tractentur, aut certe ex fideliſſimis, luculentis, &, quoad eius fieri poteſt, omni contingentium hiſtoria apparatuque inſtructis exactisque bonorum Obſeruatorum deſcriptionibus petiti; tum vt ita proponantur, tanquam in re praeſenti verſarentur auditores. Neque enim ab artis noſtrae rationibus alienum videtur, ſtatuere *Pragmaticam,* vti ita dicam, ipſius theoriae medicae tractationem, qua, quum ad futurum in ipſis artis exercitationibus vſum omnia referantur, talia morborum, omniumque eorum operum, quae inter medendum ipſi Medico facienda ſunt, exempla ſic exponantur, et ita viuis quaſi coloribus depingantur, tanquam praeſentia coram intuerentur diſcipuli, & inter medios aegros verſarentur. Ita enim inſtituti, quando poſtea ad aegrotos accederent, non plane ſeſe quaſi in nouum delatos orbem arbitrarentur. Adhuc praeſtantius conſilium ſuggerit ſapientiſſimus Frid. Schradervs, *de Curioſitate Medica; Male faciunt,* inquit, *qui omnia, quae ad Therapeutices ſtudium ſpectant, in vltimum ſtudiorum Academicorum tempus differunt; qui Anatomicis & Phyſiologi-*

cis

cis exercitiis vacantes, quaecunque occurrunt vel ad Medendi methodum vel Diaetam vel Pharmaciam vel Chirurgiam spectantia, altiora esse, ad se nondum pertinere, & hactenus sibi esse inaccessa arbitrantes, negligunt; curiosa prius sectanda esse, vtilibus & praxin respicientibus tantisper omnino sepositis. Hi obuia illa, quae vel circa adultorum vel infantum pulsum, sanorum respirationem, actiones organicas, excreta naturalia quotidie obseruari possunt, nunquam accurate attenderunt. - - Haec medica Curiositas est, quae felices olim reddere potest Artifices & Practicos. - - Serio ergo vos moneo, o Optimi, vt omnem obseruandi occasionem captetis, nullamque omnino praetermittatis. In auditoriis Doctorum institutione sedulo & attente fruimini: Libros vestros, solida artis principia explicantes, & quae vsui aliquando in praxi esse possunt, dilucide tradentes, euoluite; diurna nocturnaque manu tractate in museis vestris: Sed credite, & Aegrotantium, qui vos admittere non recusant, cubicula, & Pharmacopoeorum officinas, & Chirurgorum conclauia, & Chymicorum hypocausta, vera musea vestra esse: Obseruationum venatores, ac solertes estote Singularium scrutatores, quae futurum artificem instruunt, & iudicium practicum mature formant. &c. Quid hoc in genere moneat Exp. STORCHIVS, videri potest in Praxi Stahl. p. 54 & 169 edit. 2.

§. X.

a) Primo, quum morbi, eorumque phaenomena, accidant in corporibus, & nihil aliud sint, quam mutationes corporum in sensum incurrentes, quatenus eae mutationes sanitatis munia laeduut atque peruertunt; quicquid autem in corporibus accidit, non nisi sensuum ope percipi possit: perspicuum est, qui morborum, & quae circa morbos obseruantur, phaenomenorum veros & ipsorum naturae respondentes conceptus animo comprehendere velit, ei sensuum ipsorum ministerio ad hanc rem opus esse; neque per naturam rerum hoc aliter obtineri posse. *(1)* Nec valet oppositio, Posse ab aliis, qui ipsi morbos tractauerint, veras obseruatorum notiones explicari, communicari, & in animum discipulorum quasi transfundi. Primo enim, licet quam maxime genuinas, claras, distinctas, & plenas illarum rerum imagines aliquis mente conceperit: tamen earundem corporearum imaginum ea est indoles, vt non possint pro sua natura satis declarari verbis, neque ipsa adeo pictura, neque ullo alio modo, nisi res ipsae repraesententur. *(2)* Deinde, quamlibet natiuum colorem descriptionibus suis inducere studeat praeceptor,

& easdem, quas ipſe tenet, ideas in auditorum mentibus excitare & reſtituere: nihilominus hi, quaecunque de rebus ſenſuum perceptioni ſubiectis audiuerint, haec eatenus tantum intelligent, quatenus cum ſuis ipſorum conceptibus, ex aliarum rerum ſenſibilium tractatione ſibi natis & haerentibus, componi poſſint; nam huc omnia referent. *(3)* Et ipſa haec Analogica cognoſcendi ratio per omnem artem patet & diffunditur; eadem, vnicum, vt in omni vitae practicae genere, ſic in medicina quoque, remedium prudentiae, quam multum confert ad artem bene ac feliciter exercendam, ſi recte vtaris, tam erroribus implicat, ſi peruerſe. (4) Sed de hac pluribus agendi nunc non eſt locus. Alia ratione contra dici poſſet, poſt inuentas eorum, quae corporibus humanis accidunt, rationes & principia, & conſtitutam ſic artis, vel, ſi mauis, ſcientiae formam, praeceptis vniuerſalibus diſciplinam medicinalem contineri, quae ſi quis probe teneat, eadem illum in ſingularibus deinde propoſitis exemplis, ad praeſcriptam methodum, in vſum vocare poſſe, nec neceſſe eſſe, vt ad cognoſcenda medicinae theoreticae principia, axiomata, & cuiusquemodi generalia pronunciata, ſenſuum miniſterium adhibeatur, quum intelligendi, imaginandi, ratiocinandique facultate rem tranſigere liceat. Verum enim vero, quanquam iſto vniuerſalis cognitionis beneficio me ſpoliari plane nolim, & magnas pro inueſtigatis medendi rationibus, & connexa artis forma gratias auctoribus deberi exiſtimem; quanquam multum inde commodi ad artem facilius, citius, certiusque percipiendam redundaſſe largiar, ſi rite tractetur: tamen vniuerſalia illa nec ſatis ſufficienterque mente comprehendi poſſe arbitror, niſi ſingularibus rerum exemplis declarentur, quin adeo ſic proponantur, vt vna modus & ratio appareat, qua ex ſingularibus vniuerſalia praecepta condita ſint atque condenda; *(5)* & cognoſcendi methodum ante perſpectas medicinalis artis rationes, & poſt legitimam eius ad principia reductionem, in hoc fere tantum hactenus differre, quod nunc breuiore tempore eandem viam, ſed planiorem expeditioremque factam, tranſire licet. *(6)* Perfectio methodi conſiſtere videtur in apta praeceptorum vniuerſalium, & ſingularium obſeruatorum combinatione.

(1) In hanc ſententiam interpretatus ſum egregium locum apud Hippocratem περὶ εὐσχημοσ. III ſeqq. Lind. Reuocemus in memoriam, quam male v. c. Phyſica doctrina quondam tractata fuerit ab iis, qui inconſultis ipſarum rerum naturalium, prout accidunt & experimentis imitari licet, phaenomenis, effectibusque, ac mutationibus, ſola propemodum mentis perſpicacia naturam rimati ſunt, eamque ad arbitrium ſuum fingentes, ratiociniorum quidem ſeriem ſatis apte conſtruxerunt, ſed a ruina immunem praeſtare non potuerunt. *Opinionum* enim *commenta delet dies; naturae iudicia confirmat:* inquit CICERO *de Nat. Deor.* II, 5 c. 2.

(2) Apparet, quam parum proſpere rem gerere putandi ſint, qui e. g. Botanicam aut Anatomen ſine ipſius naturae contemplatione, ex libris & vel exactiſſime pictis imaginibus, aut machinulis, addiſcere velint.

(3) Hinc perſpicua eſt ratio, cur adeo ſit difficile, Aegrotantibus quidem, declarare quid apud ſeſe vere ſentiant; Medicis vero, illorum narrationes recte intelligere: item, HIPPOCRATIS in practicis libris, aliorumque Practicorum ſententiam non poſſe ſatis euidenterque perſpici, niſi ab hominibus ipſo ſimilium vel earundem rerum vſu exercitatis. SYDENHAM. *in Tract. de Hydrope*, verſus fin. *Iſta quod ſpectat, quae hactenus in publicum dedi, ſi quis ea ſemel tantum perlegere dignetur, eſt quod doleam, me huic eam perdendi temporis anſam praebuiſſe. Quodſi eadem ſaepius relegere voluerit, & alta mente reponere: nullus dubito, quin eum fructum ex iis capiat, qui voto & magnis laboribus, quos ego in iſtis obſeruationibus faciendis componendisque locaui, aliquatenus reſpondeat. Quae quidem quam bona fide fuerint traditae, haud aliter ſciet, quam ſi in earum Praxi fuerit verſatus, ac perinde in obſeruando diligens ac curioſus Explorator, atque ego prius fueram.*

(4) Πρὸς τὰς ὁμοιότητας εὔστοχοι, ſunt boni artifices apud HIPPOCRATEM περὶ εὐσχημοσύνης §. II. Reperio, hanc Analogicam cognoſcendi rationem a veteribus Empiricis vocatam eſſe ἐπιλογισμὸν, aut ἀπὸ τοῦ ὁμοίου μετάβασιν. Illis enim ὁ τρίπους τῆς ἰατρικῆς dicebantur autopſia, hiſtoria, & epilogiſmus, id eſt, obſeruationes propriae, alienae, & ſimilitudinum. Vid. Io. Henr. SCHVLZE *Hiſt. Med.* Per. II Cap. IV §. XVI ſeqq. qui ibidem §. XXIV ſic de iisdem exiſtimat, *Certe, ſi, quod res, dicere licet, Empirici illi veteres fuerunt cordati & probi viri, qui bene intellexerunt, ibi medicum deſinere, vbi philoſophus incipit; quique pro eo ſtatu, qui tunc erat, non poterant non cogitare de obice diſputandi libidini obtrudendo, ne omnem omnino medicinam amitterent.* Cautiones in hac methodo praeſcribit Ge. BAGLIVVS *de Praxi Medica* Lib. I Cap. VI.

(5) Tale quid in recta tractandae Geometriae, vel & Arithmetices ratione obſeruari poteſt: qua de re, praeter alios qui Mathematicam methodum explicarunt, luculenter expoſuit V. Cl. Io. Nic. FROBESIVS *in Commentatione, de Matheſeos Natura & Conſtitutione*, §. VI & ſubiectis Illuſtrationibus; qui idem in adhibenda hac methodo feliciter ſuo exemplo praeire ſolet.

(6) HIPPOCRATIS exemplum vnice ſequendum eſt: cuius viam poſtquam deſeruerunt GALENVM ſecuti, aliique, cur tam parum medicinam vera & vtili doctrina locupletarint, obſcurum eſſe non poteſt: ſed & in vniuerſum, difficile admodum eſſe, Hippocratis obſeruatis in praxi multum addere, quan-

quandoquidem ille, longiſſimae aetatis beneficio aliisque ſubſidiis adiutus, tantum ſingularium obſeruationum apparatum collegerat, quantum aliis vix licet ſperare.

§. XI.

β) Et haec quidem valent de praeceptis & inſtitutis artis, quatenus intra cognitionis fines ſubſiſtunt: adhuc autem magis apparebunt valere, ſi ad ipſam operum exercitationem reſpiciamus. Quomodo enim actio quaecunque inſtituenda ſit, hoc non poſſe aliter cognoſci, niſi ipſi actioni interfueris, rei natura docet: v. ſupra *Commentar.* I §. 5. Hanc igitur euidentiam ſenſualis obſeruationis eiusmodi *aliquid eſſe in medicina vel in medico, quod nec dici nec ſcribi poſſit*, in tantum demonſtratum videtur, quantum rei natura permittit. Eadem rei natura vix ſinit ſperare, fore, vt illi, qui artis theoria imbuti, aut ſoli contemplandi ſtudio dediti, nullum adhuc eius periculum fecerunt, haec ſibi perſuaderi patiantur. Contra, de vſu peritis ſimile quid iis, qui ex ſola theoria de curatione morborum diſputare ſatagunt, promitto, quod de Hannibale, belli gerendi peritiſſimo duce, relatum legitur apud CICERONEM *de Oratore II c.* 18 *Qui quum Epheſum veniſſet exſul, & inuitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, vt Phormionem Peripateticum, ſi vellet, audiret: quumque ſe non nolle dixiſſet, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de imperatoris officio & de omni re militari: Graecus homo, qui nunquam hoſtem, nunquam caſtra vidiſſet, nunquam denique minimam partem vllius publici muneris attigiſſet. Tum, quum caeteri, qui illum audierant, vehementer eſſent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipſe de illo philoſopho iudicaret? Heic Poenus, non optime Graece, ſed tamen libere reſpondiſſe fertur, Multos ſe deliros ſenes ſaepe vidiſſe, ſed qui magis quam Phormio, deliraret, vidiſſe neminem* *.

* Simili ratione GALENVS *Commentario II in Lib. Hippocratis de Natura Hominis*, prope fin. pag. 29 Tom. V edit. Graec. Baſil. 1538 coarguit *Alexandrinos Vates, qui quum nullum vnquam aegrotum viderint, in ſchola tamen nihil ſani deblaterantes conſeneſcunt, & ne illa quidem norunt. quae Empiricus quiuis apud aegrotos verſando certiſſime addiſcit.*

§. XII.

Porro, isto posito principio, sequitur, si cui, qui plenam perfectamque, quoad eius fieri possit, morbi alicuius teneat historiam, cum recta eidem medendi methodo probatisque remediis, quique idem hanc scientiam per exempla vera, quam proxime ad viuum, quasi in imagine proposita, a praeceptore consecutus sit, si igitur huic aegrotus aliquis, eodem morbo laborans, curandus detur: sane, si in praesente aegro, totoque morbi decursu & curatione, phaenomena, vel oblata vel inuestigata, sensuum suorum ope recte perspiciat, sentiet, multo nunc se clarius & euidentius & plenius & certius, ipso illo sensuum beneficio ea cognoscere, quorum antea qualemcunque formam mente conceperat. Tum, systematis sui veritate rite perspecta, magnam intimamque, cum summae cuiusdam voluptatis sensu, gratiam habere incipiet praeceptoribus, qui ea fide vsi sint in suis institutionibus admonitionibusque. Maior adhuc succedet eorundem veneratio, si eiusmodi res obuenerint, (obuenient autem plurimae) quas quondam auditas aut lectas non satis intelligere potuit, immo vel minus recte se habere suspicatus fuit, nunc autem experiendo veras deprehendit. Cum tempore etiam, si solers sit & industrius, eam sibi facultatem comparabit, quam in doctoribus suis saepe miratus fuit, nimirum, vt ad aegrum vocatus, ex paucis tantum expositis animaduersisque phaenomenis breui totius morbi ingenium, caussas, decursum, curationem, aliaque similia peruidere possit *.

* Certe, plurima Parentum, Praeceptorum, Amicorum praecepta, monita, atque consilia, quam bene ac sapienter nobis data sint, saepe non ante intelligimus, quam per ipsum demum rerum vsum experientiamque manifesta fiant. Iucundissima hic mihi meorum Praeceptorum redit memoria: quorum de praestantibus virtutibus quae meo animo sedeat sententia, & quanti illorum erga me merita faciam, breuibus significare liceat versibus, simplicibus quidem illis, sed quibus multa paucis complecti velim; &, quicunque Celeberrimos Viros aliqua tantum ratione norunt, bene versiculos hosce interpretaturos esse, & mihi non immemoris saltem discipuli titulum non denegaturos, spero atque confido; eoque solo nomine ipsismet etiam, qui adhuc vivunt

vivunt, hanc teſtatiorem obſeruantiae meae declarationem placituram eſſe, mihi certo promitto.

In b. Io. Alb. Fabricivm, quondam Profeſſorem in Gymnaſio Hamburgenſi:

Pax animi, Pietas, hominumque Amor atque laboris
Condere ſat poterant tot monumenta ſibi,
Augere immenſam famam praeſentis amore,
Iamque homines inter gaudia ferre poli.

In Mich. Richey, Prof. in Gymn. Hamburgenſi:

Carminis, & proſae, morumque exculta Venuſtas,
Orandique Decor, Hiſtoriaeque penus,
Et Patriae † manifeſtus amor ſtudiumque colendae,
Hamburgo hoc addunt nobile Ciue decus.

In Io. Chriſtian. Wolfivm, Prof. in Gymn. Hamb.

Candor, Amorque ſcholae, ſtudiumque Fidele ſequendi
Officii, & Sophies, cultaque Cura ſtili,
Et prolem pariunt numeroſam in coelibe vita,
Et muliebre †† genus laude decente vehit.

In Brandan. Meibomivm, D. & Prof. Med. in Acad. Iulia:

Meibomius ſeriem magnorum iungit Auorum:
Os Latium & dotes Carminis, artis honos:
Multa Quies animi, multumque Experta medendi
Ars, aegris faciunt commoda iuſſa Viri.

In Laur. Heistervm, D. & Prof. in Acad. Iulia:

Sic Bonus, vt Grauis eſt: Herbarum indagine, Secto
Corpore, & Externa nixa medela rata eſt:
Praeceptis Breuis, & paucis permulta reuelat;
Quam docet, experta ſtat medicina Fide.

In Pet. Gerike, D. & Prof. in Acad. Iulia:

Menti Robur ineſt, rationisque Altior vſus:
Scrutinium medicum certa Matheſis alit,
Atque ſeuerorum meditata profunda Sophorum:
Hinc edicta ſuis fert bene ſtructa ſcholis.

In Io. Nic. Frobesivm, Phil. D. & Prof. in Acad. Iulia:

Ingenio Celer, & felici Profluus ore,
Perſpicit, & ſimili Lumine quaeque docet;
Alta Mathematices atque abdita ſcita Sophorum,
Nexa apte, retegit: ſic & Apertus agit.

† Id quod praeſertim edito *Patriota* declarauit.

Edi-

† † Edidit *Fragmenta Sapphus, it. aliarum VIII Poëtriarum Graecarum*; deinde, *Mulierum Graecarum, quae oratione prosa vsae sunt, Fragmenta & Elogia*; editurus quoque *Commentarium de Vitis Heroinarum, Reginarum, & Augustarum, ex numis & scriptoribus antiquis expositum.*

§. XIII.

Haec enim singularis quoque laus est experientiae, quod *certitudinem* scientiae praestat, vtpote quae in rebus facti aliter obtineri nequit: deinde promtam quandam & certam & confirmatam & bene compositam agendi facilitatem, quam *habitum* appellant, (1) artifici inducit: tum, laetam sui *fiduciam*, prosperorum successuum conscientia nixam, conciliat: (2) praeterea, cautam consilii *prudentiam*, ex singularium obseruatorum copia pendentem; (3) item, alius generis prudentiam, & quasi *politicam*, quae ex consuetudine cum hominibus omnis generis, indolis, aetatis, morum, institutorum, populorum &c. acquiritur. Quae omnia ad classem eorum pertinent, *quae in medicina nec dici nec scribi possunt*, & ad quae comparanda si modo rectam ostendant viam praeceptores, suas expleuisse partes censendi sunt. Atque haec, quae adhuc proposita sunt, omnia breuissime complexus esse videtur HIPPOCRATES περὶ εὐσχημοσ. III, 4 seqq. Lind. his verbis, Ἀδίδακτον τὸ χρέος ἔντε σοφίῃ καὶ ἐν τῇ τέχνῃ προσθεμένῃ, διδαχθῇ εἰς τὸ ἀρχὴν λαβεῖν· ἡ δὲ φύσις κατεῤῥύη καὶ κέχυται τῇδε σοφίῃ, ἐς τὸ εἰδῆσαι τὰ ἀπ' αυτέης τῆς φύσιος ποιεύμενα. Idemque sine dubio significare quadamtenus voluerunt illi Rationalis medicinae professores apud CELSVM, p. 5 Almelou. *Neque vero inficiantur, experimenta quoque esse necessaria; sed ne ad haec quidem aditum fieri potuisse, nisi ab aliqua ratione contendunt.* Nam illud, *aditum fieri*, plane respondet isti, ἀρχὴν λαβεῖν.

(1 *Vniuersim ea, quae fiunt, explorata & comperta esse debent, & circa eadem sigillatim non tenuiter exerceri, si quis comparare sibi cupiat* ῥηϊδίην καὶ ἀναμάρτητον ἕξιν, ἣν δὴ ἰητρικὴν προσαγορεύομεν. HIPPOCRATES *in* Παραγγελ. §. II Lind.

(2) *Quam multi hodie arrogantes scioli*

ſcioli, ſterilibus curioſitatibus inflati, peritia vero illa, quae ad medendi & morbos ex corporibus hominum ſecure depellendi artem requiritur, deſtituuntur, operi tanti momenti ſe accingunt, & dum, quod ait Plinius, ex commentariis nautae ſunt, *quando ad lectum aegri perueniunt, in ipſa curandi methodo adhuc fluctuant & incertiſſimi ſunt, animoque in diuerſum tracto, nunc hoc nunc illud ſuadent, ex aequo morbo oppoſitum remedium nequeunt inuenire vel componere, ſed ignotis rebus fatigantes naturam, neſcii vitam an mortem procurent, ſuperflua, aliena, contraria vtilibus miſcent & coniungunt.* Quae ſunt verba F. Schraderi *in Progr. de Curioſitate Medica.* Quocum conſpirat Ill. F. Hofmannvs *Medic. Rat. Syſtem.* T. III Sect. II Cap. II §. XVIII ſub fin. *Qui artem ſpeculando tantum agitant & experientia deſtituuntur, hi certe fluctuant & hallucinantur, nec firmum, ſolidum, & euentu comprobandum interponere poſſunt conſilium; multo minus, quam diu vſui inſiſtendum, quando deſiſtendum, qua doſi offerendum, & quae alia ſigillatim circumſtantiis accommodanda, ex vero praecipere.* Optime huc conuenire videntur verba Hippocratis *in Lege*, verſus finem, Ἡ δὲ ἀπειρίη, κακὸς θησαυρὸς καὶ κακὸν κειμήλιον τοῖσιν ἔχουσιν αὐτέην, καὶ ὄναρ καὶ ὕπαρ, εὐθυμίης τὲ καὶ εὐφροσύνης ἄμοιρος, δειλίης τὲ καὶ θρασύτητος τιθήνη· δειλίη μὲν γὰρ ἀδυναμίην σημαίνει, θρασύτης δὲ ἀτεχνίην.

(3) *Immortalis* Scherbivs, *quem inter Germaniae noſtrae Philoſophos vix parem habuiſſe, non iniuria dixeris) dicere ſolebat:* Medicina aut eſt prudentia, aut certe non ſine prudentia, vt loquitur H. Conringivs *Introd. in Art. Med.* Cap. I §. III. Quibus planiſſime reſpondent verba Lancisii *de ſubitaneis Mortibus Lib.* I Cap. XVII §. I, Opp. Tomo I pag. 52 *Proinde etiam ad rem medicam pertinere putauerim, quod in Iuris doctrina paſſim vſurpatur, nempe* vel totam eſſe Prudentiam, vel ſine prudentia exerceri non poſſe. Quae repetit Idem *in Diſſ. de ſtudiis Medicis* §. XII, Opp. Tomo II pag. 212. Semper autem obſeruatur, quo quis in plurium rerum ſingularium tractatione verſatus eſt, eo prudentiorem eſſe.

§. XIV.

Caeterum, varios cognitionis medicinalis, quatenus experientia ſenſuumque claritate conſtat, gradus paullum adhuc conſiderare iuuat. Primum, quum veras & fidas rerum medicarum omnis generis enarrationes vel legendo vel audiendo cognoſcimus, narrata ad exſtantes in mente noſtra de aliis rebus ſenſibilibus ideas referendo, cum iisdemque componendo, tenuiſſimam quaſi rerum ipſarum vmbram conſequimur. Si res eius ſit naturae, vt pictura exprimi poſſit, ex contemplatione depictae tabulae iam multo clarior in animis noſtris oritur repraeſentatio. At ſi accedat ipſius rei, ſicut eſt,

per

per ſenſus tractatio, tum demum, adhibita cura, veras & rerum ipſarum naturae conuenientes notiones adipiſci licet. Denique ſpeciatim, in cognoſcendis morbis, ſummus ſenſualis perceptionis gradus cenſendus eſt, ſi quis eundem, quem in aliis curaturus eſt, morbum in ſuo ipſius corpore fuerit expertus, & *non ignarus mali miſeris ſuccurrere didicerit.* * Atat! haec quidem πεῖρα nimis σφαλερὴ foret, multoque magis quam ipſa illa Hippocratica: & ſi cum caeteris artis moleſtiis haec quoque neceſſario ſubeunda foret, vt medicus, quos curaturum ſe profiteretur, morbos ipſemet apud ſeſe prius perſenſerit, tum & vereor, ne plurimi, intra grauiſſimae diſciplinae annos, mortalitatis ſuae potius documenta darent, quam acquiſitae experientiae; & neſcio an cuiquam vitio verti poſſet, ſi duriſſimam ita medendi prouinciam plane defugeret. Interim, quum nemo fere mortalium a morborum labe plane immunis ſit, ii, qui feliciter emerſerunt, ex his malis hunc in vicem fructum capere debent, vt, quod inde nacti ſunt experientiae lumen, ad ſimiles poſtea morbos peritius debellandos transferant atque conuertant.

* Inter eas res, quibus medicina originem & incrementa debet, fuit, quod pro aegrotis valde laborantibus conſilium ex praetereuntibus quaerebatur, qui eodem aut ſimili morbo ſe decubuiſſe meminerant, & remedii quo valetudinem receperant. Moris etiam fuit, vt, qui morbum feliciter ſuperaſſent, tabulam vel aliud monimenti genus in templis ponerent, quo, quid ſecum actum eſſet in aegritudine & medicamentorum adminiſtratione, notatum erat. Tum quoque lex apud Aſſyrios diu valuit, *qua ſua experimenta quiuis ciui languenti aperiebat:* ſicut ex HERODOTO refert b. BOERHAAVIVS *in Praelectionibus ad Inſtitutiones Medic.* Vol. I §. VII pag. 8 ſeq. Quin adeo PLATO de Rep. Lib III pag. 441 D. Laemar. *Medici,* inquit, *praeſtantiſſimi euaderent, ſi ab ineunte aetate, praeter diſcendae artis ſtudium, inter plurimos corpore male affectos conuerſarentur, ipſique omni morborum genere laborarent, naturaque imbecilla eſſent.* Itemque Bernardin. RAMAZZINVS *in poſtrema Orationum poſthumarum* hoc argumentum ſerio probandum ſumit, *Medicum valetudinarium aptiorem eſſe ad medicinam faciendam, quam alterum inculpata valetudine degentem.* Vid. I. H. SCHVLZII *Hiſt. Med.* Period. I Sect. III Cap. VI §. XXXXVI in Nota. Verum credo, quemlibet multo libentius HIPPOCRATIS amplexurum eſſe ſententiam, qui praecipit in libello περὶ ἰητροῦ, ſtatim poſt pr. Ἰητροῦ μὲν εἶναι προστασίην, ὁρῆν ὡς εὔχρως τε καὶ εὔσαρκος ἔσται πρὸς τὴν ὑπάρχουσαν αὐτῷ φύσιν· ἀξιοῦνται γὰρ ὑπὸ τῶν πολλῶν οἱ μὴ εὖ διακείμενοι τὸ σῶμα οὕτως, ὡς οὐδ᾽ ἂν ἑτέρων ἐπιμεληθῆναι

ϑῆναι καλῶς. Conf idem περὶ τέχνης circa med. XI Lind. Quodsi Platoni respublicae ordinandae committerentur, non omnium morborum tractatio ad vnum aliquem deferretur; sed in plures particulatim diuidenda foret medicorum prouincia: sicut e. g. mares proprie muliebrium morborum curam gerere plane non deberent, quum nec eos in suo corpore experiri possint; & inter mulieres v. c. nemo parturienti operam praestare posset, nisi quae ipsa antea partu defuncta sit. &c At hoc faceret contra singularem Atheniensium legem, qua cautum erat, *ne femina medicinae operam daret*, ita, *vt ne quidem parturientibus obstetrices manus adhibere potuerint mulieres.* Vid. Mr. BAYLE *dans le Dictionn. Hist. & Crit.* v. Herophile. Dan. le CLERC *dans l'Hist. de la Medic.* Part. II Lib. III Chap. XIII & Part. III Liv. I Chap. II. Interim tamen cuique suadendum, vt sedulo ad proprii corporis, siue sani siue aegri, mutationes attendat: hoc enim valde ipsi vtile futurum arbitror ad ea, quae in aliis accidunt, melius intelligenda; quemadmodum animos aliorum hominum optime perspicere potest, qui suum prius bene explorauerit animum.

§. XV,

Sed iam opus est priori dissertatiunculae parti finem imponere, & ad reliqua consideranda transire. (1) Praeterquam autem, quod plurima in facienda medicina requiruntur, quae nec voce nec scriptis tradi discipulis possunt, sed experientia demum magistra discuntur; non minus multa sunt in hoc studiorum genere, eaque per totum eius, quam late patet, ambitum fusa, de quibus praeter incertas coniecturas aliquid proferre, humanae menti negatum est. (2) Vt de dubiis controuersiisque, quae inter medicos agitatae sunt & agitantur, nihil dicam; (illas enim magna ex parte vel ad logomachias recidere putauerint alii, vel a peruersis quorundam cupiditatibus, aut mentis imbecillitate, torpore, deprauatione &c. ortum ducere) vt taceam de istis theoreticorum speculationibus, quas practici vanitatis (3) arguunt; (hic enim vehementer obstrepet acris confidentium ratiocinatorum manus) vt omittam illa falso pro miraculis venditata, qualia frequenter occurrunt, aut impostorum fraudes, strophas, omnesque ad ostentationem comparatas artes, quas stupet profanum vulgus: certe, si quis oculos per campum medicinae circumferat, quo diutius hoc faciet, eo plura deprehendet, de quorum explicatione perspicacissima quaelibet omnium seculorum ingenia desperaue-

uerint, & limites humanae cognitioni positos agnouerint, compererintque, *quantum id est, quod scitur* in medicina, *tantum esse, quod nescitur.* Inprimis nobilis hic est quaestio *de Diuino* illo, quod iam inde ab Hippocratis temporibus quaesitum est *in morbis & medicina.* Sed hoc argumentum iam supra in *Commentario* VII tactum est. Adeoque, quum omne huius generis argumentum ita comparatum sit, vt humanae cognitionis modum superet, proprie non pertinet ad nostram tractationem, qua scilicet de illis solum commentamur, quae cognosci quidem possunt, sed non cum aliis ore aut stilo communicari.

(1) Vnum addo, Ill. HOFMANNVM illam Celso tributam sententiam, Plura esse in medicina, quae nec dici possint nec scribi, ad explorationem Pulsuum accommodare: *Haec* enim *doctrina*, scribit *Med. Rat. System.* T. III S. I C. XI §. vlt. pag. 274, *quia ita comparata est, vt apprime in eandem quadret, quod* Celsus *de Medicina generatim edixit*, Plura esse &c. *monendi vtique sunt artem exercituri, vt experientia duce eandem mature addiscere laborent, & exquisito studio in cognoscendis ac diiudicandis pulsibus versentur.*

(2) *Id vero demum est recte sapere, suo se quemque pede ac modulo metiri. At si quis fucum sibi faciens, aliis se praeditum esse facultatibus existimauerit, quam quae inseruiunt percipiendae vel Naturali Theologiae, - vel Philosophiae Morali, - vel denique Arti Medicae, Mathematicae, & Mechanicae, - hic primum hypothesin aliquam e schola Naturalis Philosophiae depromat, qua vel vnicam differentiam specificam rerum in natura possit enodare, e. g. rationem reddat, quare Gramen omne viridi vbicunque colore, nusquam alio, cernitur infectum &c.* SYDENHAM. *Epist. Responsoria I p.* 187.

(3) *Neque Medicus, cui non alia, quam curandorum morborum prouincia decernitur, quantumlibet ingenio caeterisque animi dotibus valeat, in Arte vere Medica proficiet, qui non tam in occulta & tortuosa illa methodo, qua Natura morbos parit alitque (a qua etiam eorundem historia pendet) indaganda, atque in remediis eidem adaptandis omnes animi vires intendat, quam in curiosis & παρέργοις speculationibus cerebrum fatiget, ad homines orco eripiendos, quod spondet medicina, ne hilum facientibus. Quae quidem praeuaricatio - effecit tandem, vt, quae Medica appellatur, reuera Confabulandi Garriendique potius sit Ars, quam Medendi. - Quamuis, si mentem serio applicuerimus, quid de facto agat natura, & quibus in operatione sua vtatur organis, deprehendere valeamus; modus tamen, quo illa operatur, mortales (aut ego fallor) semper latebit.* SYDENHAM. *in Diss. Epistolari ad Guil. Cole*, pag. m. 407. Idem *in Tract. de Hydrope*, sub fin. *Est genus hominum, qui prae animi leuitate, ingenii ac sapientiae haud vulgaris titulum affe-*

affectantes, Speculationes ad morborum curationem ne hilum facientes, moleste ingerunt, Medicis non tam viam praemonstrantes, quam ignibus suis fatuis deuios in errorem agentes. His natura eum ingenii modum largita est, quo de illa docte nugari queant; at prudentiam non dedit, qua intelligant, se eam haud aliter scire posse, nisi experientia indice, atque eius peplum reuelante; quando abiectior humanae naturae conditio ad scientiam Intuitiuam nullatenus assurgens, intra angustos cognitionis, quam a quinque sensibus haurire potest, limites coarctetur. &c. Add. ibid. pag. 495 seqq. Admodum false nouellos medicos perstringit Raymundus MINDERERVS *in Medicina Militari*, Cap. 3 *Es gehœren an diesen Ort wohlgeübte Medici, so nicht also warm erst aus der hizigen Philosophischen Esse mit einem rothen Haublein daher laufen, und noch voller Argumenten, so sie in einer vielleicht unnœthigen Disputation übergelassen, und in sich selbsten geschluckt, stecken; dannenhero sie den Enthymematischen Indruck immer im Kopf ruminiren und ihre Ungulas dividiren müssen. Nein, es ist hie anders beschaffen; dann der Kriegsmannische Scindapsus seine Argumenta nicht allezeit in modo & figura machet, wie die Dialectici; da er auch in modo & figura bleibet, so formiret er doch seine Syllogismos nicht allezeit über das Celarent, Datisi, oder über das Darii, so dem Herrn Baralipton befreundet, und dem Herrn Baroco nahe verwandt: sondern er gebraucht sich gern des Festino, Ferio, Ferison, und dergleichen; da hat denn der Kuttelwascher Krieg ein Ende.*

§. XVI.

Caeterum, illum iocari putarem, si qui forte de iis hoc dictum rebus interpretari vellet, quae medico secreto reuelantur, neque ab eo propalanda sunt, sed silentii peplo inuoluenda: vt is hactenus Harpocratem referat, & *mutas artes* se *agitare* meminerit *.

* HIPPOCRATES in Ὅρκῳ· Ἃ δ' ἂν ἐν θεραπείῃ ἢ ἴδω ἢ ἀκούσω, ἢ καὶ ἄνευ θεραπείης κατὰ βίον ἀνθρώπων, ἃ μὴ χρή ποτε ἐκλαλέεσθαι ἔξω, σιγήσομαι, ἄῤῥητα ἡγεύμενος εἶναι τὰ τοιαῦτα Io. Henr. MEIBOMIVS *in Commentario in Iusiur. Hipp.* Cap. XIX §. 19 & 21 de hac silentii virtute in Medico, explicat Virgilianam *mutarum* artium appellationem: *Ego*, inquiens, *quod pace aliorum interpretum dixerim, non ineptum putauerim, si quis artem nostram, etiam hanc ob caussam a Poëta mutam vocari censeat, quod taciturnum Medicum esse oporteat, & cum primis silentio ea premere, quae ab aegris ipsi concreduntur, quaeque secreta hi esse cupiunt, & aliis aut in vulgus esse nota, minus conducit.*

§. XVII.

Veniamus nunc ad alteram de ſenſu propoſiti apophthegmatis ſententiam, quae non tam de facienda medicina, quam de ipſo Medico, eiusdemque a natura, ſtudio, fortuna tributis dotibus, illud explicat. Tota haec explicatio ad ea reſtringitur, quibus medicus ſibi ſecundam fortunam * conciliare aut polliceri poſſit; &, quum inter homines nulla proſpera fortuna ſperanda ſit, niſi amorem hominum, qualemcunque & quacunque ex re conſequamur, quomodo is amor comparandus ſit. Equidem cum b. LENTILIO nullam aliam proſperam fortunam intelligo, quam quae hominem, per omnem vsque vitam conſtanter & perpetuo, ſolido gaudio beatum ex praeſenti felicitatis tenuiore conditione ad maiorem eius gradum transmittit. Quam ad rem quum omnia praeſidia circumſpicio, cunctis aut infirmis, aut fallacibus, aut minus plenis, aut inconſtantibus, aut plane aduerſis, vna remanet religioſa, ſummoque rerum omnium gubernatore confiſa, quorumlibet officiorum cura, eademque in aeternae prouidentiae ſapientiſſimis arbitriis cum certa animi perſuaſione acquieſcens: Nec permittendum eſt, tantum veri rectique ſtudio probrum fieri, vt illud colendo minus felices nos fore credamus, quam prauis cupiditatibus morem gerendo, & malas artes ſequendo. Quo magis igitur hanc regulam ſeruamus, id eſt, in omnis verae virtutis ſtudio conſueſcimus, eo feliciores erimus: quo magis contra inde deflectimus aut cynoſuram virtutis ac pietatis ex oculis amittimus, eo grauioribus periculis, malis, calamitatibus expoſiti ſumus. Inprimisque cauendum, ne vitia aliis emendare vitiis ſtudeamus, vt ſaepe fit, &, quemadmodum ait HORATIVS,

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Quae quum de omni hominum vita valeant, ad Medicos quoque pertinent: & iam HIPPOCRATES multum hac in re vidit, vt homo ſcilicet caeleſtiſſimi luminis haud particeps; neque vllum eius exſtat nobilius effatum, quam quum dicit περὶ ευσχημοσύνης IV, 13. ſeqq.

Lind. Δεῖ μετάγειν τὴν σοφίην ἐς τὴν ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν σοφίην· Ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος, ἰσόθεος κ. τ. λ.

* Exſtat erudita *Diſſertatio de Fortuna Medica, ad Hippocrat. de Loc. in Hom. Text. LVIII ſub fin.* praeſide V. Ill. L. HEISTERO habita 1722 a M. Io. Chriſti. Rabe. Σὺν Θεῷ καὶ Φύσει fortunam in poteſtate habere poteſt Medicus.

Foedere enim mundum certo fabricaque ſtupenda
Compoſuit (*Deus*) firmisque potens moderatur habenis,
Indidit & fixas leges, & iuſſa veren da
Addidit, vt, faciles haec qui moderamina vellent
Obſequio ſpectare pio, proſperrima vitae
Tempora continuent, & caeli pace fruantur.
Hi laeti peragunt, ratio quod muneris atque
Sors ſua quemque iubet; tum, ſint quaecunque (ſed eſſe
Cuncta ſciunt) documenta Dei patrisque fauentis,
Accipiunt animo grato: nam commoda iuſtis
Magna ferunt, reliquis quae deploranda videntur.
Et quamuis animi, potior, ſedare tumultus,
Cura ſit, & patriae luis inſita ſemina cautâ
Suffocare manu: aut prauae contagia turbae
Pellere mente procul caſtâ; veterisque repente
Si qua mali labes haeſit, mox fonte ſalutis
Eluere infectum ſcelus; & ſolatia lenis
Placatique Dei laeto comprendere ſenſu;
Atque piatorum iura, & dulciſſima longe
Gaudia propitii caeli contingere; quamuis
Terrenas illi nec opes titulosue requirant
Deliciasue leues: vltro tamen iſta ſequuntur,
Quodque ſibi ſatis eſt, obtingit, quodque benigno
In tenues animo poſſint transfundere laeti.
At licet aut fortuna minas intentet iniqua,
Aut fera bella mali moueant: immobile pectus
Excipit hos fluctus tanquam Marpeſia cautes.

§. XVIII.

Erunt fortaſſis, qui ſtudium virtutis conuerſantibus cum prauis plerumque hominibus obeſſe potius ad procurandam felicitatem putabunt, quam prodeſſe; idque propter hanc quoque cauſſam, quod mo-

moleste ferant homines, in aliis virtutem inesse, quam ipsi sibi induere nolint. Verum, vt praetermittam, haud adeo malos fore reliquos, nostri similes, mortales, nisi nosmet ipsi, suspicionibus nimium indulgendo, culpam eorum, quae contra voluntatem nostram accidunt, semper aliis potius, quam nobis, imputando, nihil imbecillitati humanae aut innocenti libertati remittendo, delicta acerbe & impotenter increpando, quaeuis in malam interpretando partem, similibusque rebus, peiores eos efficeremus ipsi: certe non adeo deleta in animis hominum, etiam pessimorum, est virtutis existimatio, vt non adament eam & laudent in aliis multoque libentius cum probis, munerisque sui satagentibus versari, agere, & quaelibet vitae commercia inire velint, quam cum caeteris, modo peruersa singularitas & ostentatio absit, nec prauae cupiditates simulata virtutis specie tegantur; quae tamen diuturnitatem minime spondere potest. Si quis autem est *minutus philosophus* *, qui nimiam mihi hac in re tribuat simplicitatem, & irrideat, qua corruptissimos hominum animos non perspiciam: illum quidem hoc modo de sese confiteri doleo; & nihilo tamen magis hunc meum errorem dimittam, vt qui tam multum conferat ad vitam iucunde beateque transigendam. Sed maximum hic habet pondus, quod hoc de aliis hominibus iudicium conuenit cum praecepto CHRISTI, Matth. VII, 12 qua *omnia quaecunque nobis ab aliis fieri velimus, ipsis vicissim praestare iubemur.*

* *Minuti Philosophi* dicuntur CICERONI, qui illa sapientum decreta, quibus publica priuataque generis humani felicitas continetur, impugnant. Sic *de Diuinatione* I, 62 c. 30. pr. *Epicurum igitur*, inquit, *audiemus potius? namque Carneades concertationis studio, modo ait hoc, modo illud. At ille quid sentit? sentit autem nihil vnquam elegans, nihil decorum. Hunc ergo antepones Platoni & Socrati? qui vt rationem non redderent, auctoritate tamen hos* minutos philosophos *vincerent* Et *de Senectute*, prope finem, *Quodsi in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector dum viuo, extorqueri volo: sin mortuus, vt quidam* minuti philosophi *censent, nihil sentiam; non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant* Ex Cicerone hanc appellationem mutuatus est Celeberrimus Anglus, D. BERKLEY: pulcherrimum enim librum edidit, VII Dialogis constantem, contra similes veri rectique oppugnatores nostris temporibus; qui liber inscribitur, *Alciphron, or the Minut Philosopher.* Idem mox in Gallicam translatus linguam, sub hoc titulo 2 tomis prodiit a. 1734, *Alciphron, ou*

ou le Petit Philosophe, en sept Dialogues; contenant une Apologie contre ceux, qu'on nomme Esprits-Forts. (Eadem fere nominis ratione, qua falsae peruersaeque affectatores elegantiae morum appellari consueuerunt *Petits-Maitres*: similiter, apud RAPIN. in *Reflexions sur l'Eloquence de la Chaire*, §. 26 *Petits Predicateurs, qui font les zeles contre les mouches, les garnitures, la coiffure, & les autres vanitez des femmes.*) A. 1737 Teutonica quoque versio prodiit, à Wig. KAHLERO concinnata. Nominis ratio redditur in Dialogo *I* §. *X*.

§. XIX.

Caeterum, in hoc negotio quaedam adhuc monenda videntur. Primum, quum maximum ad prosperam fortunam momentum in aliorum hominum amore situm sit; hic autem solo simili amore obtineri possit, quemadmodum illo vulgatissimo monemur, *Si vis amari, ama*: propterea, quatenus aliorum hominum beneuolentia demerenda est ad constituendam prosperam fortunam, quae huc faciunt officii partes, vno omnes Amoris praecepto continentur. Deinde notandum, illam dexteritatem iucunde cum quibuslibet hominibus versandi, & ita sese gerendi, vt, quae facimus aut dicimus, grata sint aliis & accepta, contineri, (si recte rem reputamus, nec vanitates admiscemus) habitu quodam virtutis, per ipsam frequentem cum hominibus consuetudinem, & crebram officiorum cuiusque generis exercitationem acquisito; proinde solo rerum vsu addisci, *neque* eatenus *dici aliquid aut scribi de ea posse*. Tum obseruatur, potissimum in hac re esse, vt amor appareat & studium sincerum aliorum commodis inseruiendi obsequendique, & huc omnia referendi; tum facile, si quid in aliis rebus minus bene sapienterque fiat, id condonari; nec magnopere requiri eruditionem, aut aliam quandam quacunque in re praestantiam, quin haec odio haberi, si primum illud defuerit: optimum tamen esse, si vtrumque coniungatur. Generatim autem illa morum in conuersando suauitas ex pluribus censeri debet virtutis speciebus, vt affabilitate, comitate, modestia, candore, honestate, tranquillitate, &c. de quibus omnibus multa praeclara habet HIPPOCRATES, praesertim in libro περὶ εὐσχημοσύνης, & περὶ ἰητροῦ post pr. eaedemque vt veris radicibus nixae sint, necesse est. Sed tamen vna virtus est, vnumque omnibus actionibus tenorem

norem inducit, licet pro rerum negotiorumque varietate vario habitu apparere ſoleat. Denique ſtabiliamus hoc principium, Nullum alium in quacunque re agenda ſcopum prae oculis habendum eſſe praeter officii exſequendi rationem: (1) item alterum, Grauiores officii partes prius curandas eſſe, deinde quae ſunt leuiores, & illis prioribus faciliorem modo ſucceſſum, maioremque gratiam conciliant (2).

(1) Actionum enim integritas atque virtus cenſetur conuenientiâ cum illis regulis ad quarum praeſcriptum eae peragendae ſunt: Neque has ſibi quemque regulas pro arbitrio fingere licitum eſſe arbitror; ſed ſumi debent, prout ex aeternae veritatis legibus, reuelatione & ratione magiſtris, cognoſcuntur. Aſt hoc opus, hic labor eſt: & eum ego magna laude dignum exiſtimo, qui parum aberret.

(2) Quo referrem e. c. ea, quae pertinent ad externum cultum corporis. Praecipit hac de re etiam HIPPOCRATES, vt in libro περὶ ἰητροῦ, paullo poſt initium (ſupra *Proleg.* §. XXIV.) it. περὶ εὐσχημ. II Lind. & Παραγγελ. IX, 14 ſeqq.

§. XX.

Non tamen praetereundum eſt, ipſam Medicinalem artem ita comparatam eſſe, vt, qui eam profitentur, iis gratiam aliquam apud homines propter ſe conciliet. Quid enim magis deſiderent homines, quam bene valere & diu viuere? quos pluris facerent, quam eos, qui ipſis ad vtrumque auxilio fore promittunt, & praeſtant? quos familiarius amarent, quam eos, quorum fidei ea, quae cariſſima & ſecretiſſima habent, vitam ac valetudinem eiusque rationes credunt atque permittunt? Quapropter vere dixit HIPPOCRATES, aut quisquis auctor eſt libri *Praeceptionum*, §. IX 30 ὅτι ἐν ἑωυτῇ μούνῃ ἄιρεσις Medicinae ἐςὶ χαρίεσσα· *Medicinalem profeſſionem ipſam per ſe ſolam gratiae plenam eſſe* *.

* Probi Medici, ſecundum HIPPOCRATEM περὶ εὐσχημ. textu II Lind. ſunt χάριτι διατιθέμενοι, *ita inſtituti compoſitique, vt gratia comitetur ipſorum opera.* Vid. ſupra *Commentar.* I §. 12. it. *Proleg.* §. XXII not. 1 & §. XXIV. ARISTOTELES aliique Graeci hanc vocem ita de Medicis Dogmaticam medendi rationem ſecutis vſurpant, vt appareat, eius ſectae medicos hoc nomine commu-

muniter appellatos, ab aliisque, praesertim Empiricis, discretos fuisse. ARISTOTELES quidem, I Nicom. 13 sic loquitur, Τῶν ἰατρῶν ΧΑΡΙΕΝΤΕΣ πολλὰ πραγματεύονται περὶ τὴν τοῦ σώματος γνῶσιν· θεωρητέον δὴ καὶ τῷ πολιτικῷ περὶ ψυχῆς. Ad quem textum EVSTRATIVS haec notat, Εἰσὶ μὲν καὶ τῶν ἰατρῶν πολλοὶ, καταφρονοῦντες τῆς τοῦ σώματος γνώσεως, ἀλλ᾽ οἱ τυχόντες οὗτοι καὶ φαύλως ἔχοντες· οἱ δὲ ΧΑΡΙΕΝΤΕΣ, καὶ ὥσπερ τερπνόν τι καὶ κατορθωτικὸν ἐν ἰατρικῇ ἔχοντες, οὐχ οὕτως. Plura videri possunt apud Iac THOMASIVM *in Programmate* XXIV *de Arte Medica*; qui, *hac in voce elegantioris culturae, supraque vulgum enitentis, & honestissimis rationibus gratiam sibi & amorem quaerentis, ingenii laudem esse*, docet. Conferre iuuat locum ARISTOTELIS ex fragmento libelli *de Sanitate & Morbo*, in libro *de Respiratione* cap. vlt. extr. pag. 732 Tom. I edit. Guil. du Val, Τῶν ἰατρῶν ὅσοι κομψοὶ ἢ περίεργοι λέγουσι τὰ περὶ φύσεως, καὶ τὰς ἀρχὰς ἐκεῖθεν ἀξιοῦσι λαμβάνειν· καὶ τῶν περὶ φύσεως πραγματευθέντων οἱ ΧΑΡΙΕΣΤΑΤΟΙ σχεδὸν τελευτῶσιν εἰς τὰς ἀρχὰς τὰς ἰατρικάς. Quae ipse clarius explicat in l. *de Sensu & Sensili*, cap. I pag. 638 Σχεδὸν τῶν τε περὶ φύσεως οἱ πλεῖστοι, καὶ τῶν ἰατρῶν οἱ φιλοσοφωτέρως τὴν τέχνην μετιόντες, οἱ μὲν τελευτῶσιν εἰς τὰ περὶ ἰατρικῆς, οἱ δ᾽ ἐκ τῶν περὶ φύσεως ἄρχονται περὶ ἰατρικῆς. Scripsit idem THOMASIVS singularem dissertationem ea de re, quare *Facultas Medica* appelletur *Gratiosa*: quae dissertatio ante paucos annos 1734 Schnebergae in 4 recusa est. Add. Io. Henr. MEIBOMIVS *in Iusiur. Hippocratis*, cap. 4 sub finem. Ex Thomasiano Programmate adhuc pauca subiungam. Pet. BLESENSIS *in Epistola* 43 eadem appellandi ratione sequentem in modum vtitur, *Frequenter equidem ex aptitudine medici* gratiosa, *& ex quadam confidentia, quam aegrotus inde concipit, natura iam deficiens conualescit.* Thomasius mallet legere, *gratiosi*. Arnold. VILLANOVANVS *Parabol. Medicat.* doct. 7 cap. 3 Opp. fol. 1038 edit. Basil. 1585 & ex hoc TIRAQVELLVS *de Nobilitate* c. 31 n. 418 *Doctor* gratiosus *& efficax parabolis vtitur ad occulta per sensibilia declaranda.* Aliquatenus etiam huc pertinent verba Platonis infra §.XXII not. 2 proferenda. Insigne Medicorum gratiae & venustati testimonium perhibet Io. CASELIVS, *in Epistola ad Henn Arnisaeum*, qua ipsi gratulatur de summo in Medicina honore: vbi inter alia, *Medici*, inquit, *pluribus familiares sunt, ipsosque multis familiares cum beneuolentia & comi alloquio esse necesse est, vt vel hac de caussa medicorum familiaritas & amicitia expetenda aliis hominibus doctis esse videatur.* Et, *Sunt medici iurati veritatis cultores, & perpetui indagatores caussarum: etenim sine ratione nemo vestrûm latum digitum processerit. Hinc natum est, & in perpetuum celebrabitur, eundem & philosophum & medicum esse. Diuinum profecto studium, quod sui cultorem in tuto vt plurimum collocat, nec vspiam gentium necessariis egere permittit.* Et de Archiatris, *Multum apud reges possunt, & faciunt, quod in ipsis est, boni: possunt, vt qui quotidie in prima, vt merentur gratia sint, & aditum habeant ad heros, & vti tempore etiam norint.* Per totam autem epistolam complures Medicos χαρίεντας quibuscum sibi consuetudo & amicitia intercesserat, eximiis condecorat laudibus, & ita amoena suauique sermonis copia, vt appareat, quam grata sibi illorum fuerit memoria.

§. XXI.

§. XXI.

Iam de *Eloquentia Medici* nonnihil afferemus in medium. Posset quidem alienum videri, a Medico postulare eloquentiam: vtpote quum tralatitium sit, *morbos non eloquentia, sed remediis curari;* (1) quum summus auctor HIPPOCRATES persaepe silentium potius in administrandis artis operibus commendet; (2) quum a Philosophis inter eas artes referatur medicina, quarum tota fere ratio in operando consistit; (3) quum denique ab acerrimi iudicii auctore P. VIRGILIO *mutae* vocentur *artes* medicorum. (4) Et sane illa orandi praestantia, quae proprie vocatur *Eloquentia*, siue a natura adsit, siue studio quaesita, nocere potius veris artis operationibus videtur, quam easdem adiuuare: quamobrem praecipuum aliquod praesidium, quod medico comparandum sit, habendum non est; vt ea ratione medico illa tantum *in Tacendo Eloquentia* (5) commendari debeat. Attamen, multum ad commendationem medici conferre eloquentiam, negari non potest. *Est enim*, vt ait QVINCTILIANVS Inst. Orator. Lib. XII, 10, 74 *iucunda auri* (6) *ac fauorabilis qualiscunque eloquentia, & ducit animos naturali voluptate vox omnis; neque aliunde illi per fora atque aggerem circuli: quo minus mirum est, quod nulli non agentium parata vulgi corona est.* Et de Medicis speciatim PLINIVS Maior Hist. Nat. Lib. XXIX Cap. I *vt quisque inter medicos loquendo pollet, illico fit imperator vitae nostrae necisque.* Adeoque nimium quam saepe videmus, circulatores, aliosque perperam medicinae faciendae se ingerentes, orationis lenociniis blanditiisque, verbosis strophis, magnificis pollicitationibus, & similibus rebus, popularem captare auram & aegros venari. (7) Sed illa peruersa dicendi siue potius nugandi ratio neque nomen eloquentiae meretur, & in oratore suo *circulatoriam iactationem & volubilitatem* damnat FABIUS, (8) & in medico frequenter HIPPOCRATES (9).

(1) CELSVS *de Medicina*, Praefat. p. 10, 33 Almelou. Similiter CICERO *de Oratore* I, 62 c. 14 *Neque vero*, inquit, *Asclepiades is, quo nos medico amicoque vsi sumus, tum, quum eloquentia vincebat caeteros medicos, in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate vtebatur, non eloquentiae.* Conf. Id. de Orat. 2, 38 c. 9.

(2) Ex. gr. *de Medico* I, 13. περὶ εὐ-

εὐσχημοσ. II, 25 seq. Παραγγελίαις III in. Contra, prouerbii loco vſurpari ſolet MENANDRI ſententia, Ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος.

[3] Supra §. II not. Quapropter etiam HIPPOCRATES ſubinde monet, vt ipſo nos opere medicos oſtendamus, non verbis aut ratiocinando diſputandoue: vid. Νόμος I extr. & III, 4. περὶ εὐσχημοσ. pr. & III. IV. Παραγγελ. II. III pr XI pr. praecipuus item locus eſt περὶ τέχνης extr.

(4 De hoc iam ſupra §. II not. Addo Franc, PETRARCHAE de Maroniana appellatione ſententiam, ex *Inuectiua III contra Medicum quendam*, *Nec a caſu medicinam* Virgilius mutam *vocat, ſed quoniam muta debet eſſe, non loquax: Vos autem eo rem deduxiſtis impudentia veſtra; vt de mutis parabolani dici merueritis.*

(5 De qua non ſine ſingulari voluptate fructuque legi poteſt Dan. Ge. MORHOFII peculiaris Diſſertatio.

(6 Propoſui verba, prout eadem reconcinnauit Celeb. GESNERVS: quum in vulgari lectione prorſus non poſſint intelligi.

(7 *Nihil* enim *tam facile, quam vilem plebeculam & indoctam concionem linguae volubilitate decipere, quae, quicquid non intelligit, plus miratur:* ait HIERONYMVS *in Epiſtola ad Nepotianum de vita Clericorum*, fol. 16 B Eraſmi. Hanc autem circumforaneorum & praeſtigiatorum peruerſitatem grauiter coarguit Chriſti. Mich. ADOLPHI in Diſſ. de aegrotantium Conclaui pag. 84, prouocatque ad ACCVRSIVM, his eosdem caſtigantem verbis, *Loquaciſſimi ſunt & ita doctiſſimi vulgi ſententia habentur; re vero & opere ſunt ineptiſſimi, & artem inter omnes ſumme honorandam & a ſummo Deo hominibus conceſſam dedecorant.*

[8] *Inſtit. Orat.* 2, 4, 15 & 10, 1, 8.

(9) Vid. ſupra *Commentar.* II.

§. XXII.

Si qua tamen eloquentia medico tribui debet, ea, ſimpliciore vocabuli acceptione, non illa exquiſitiore & ſplendidiore, (1) conſiſtet fere in tali dicendi facultate, qua medicus ea, quae ad curandum morbum agenda videt, aegrotantibus aut horum neceſſariis, addo & medicis vna ſecum conſultantibus, perſpicuo ſermone declarare, rationibus intellectu facilibus aſtruere, aut nonnunquam ſola ſua vel aliorum auctoritate firmare, denique homines ad ea, quae facere debent, exſequenda permouere, ſimiliterque ab iis, quae non ſunt facienda, auertere; & hunc in finem praeſertim fiduciam ſui & amorem aegro, & bonam in eo ſpem excitare valet, (2) quantum haec oratione effici poſſunt. Multum profecto talis facundia conferet ad morbum felicius ſuperandum. (3) Eadem porro cenſetur partim naturali ſolertia, & bene celeriterque cogitandi loquen-

di-

diique facultate; partim exercitatione apte distincteque cogitandi, eademque cohaerentiae suauitate sensus animi promendi; partim, artis peritia, & eruditionis experientiaeque copia, pectore recondita; partim animo ad omnem virtutem, studio & exercitatione, composito. (4) Vt igitur ab inani circulatoriaque garrulitate se remoueat medicus χαρίεις, omnis eius eloquentia, sicut caeterae etiam eloquentiae species, ex animi diuitiis redundare debet, vt, quae loquitur, *sensu tincta* sint. (5) Quanquam autem illa dicendi facultas proprie medicum non faciat, & vel elinguis medicinam exhibere possit; quia tamen multa magnaque commoda praestat ad sanationem morborum melius, facilius, & iucundius consequendam: ideo meliorem maioremque facere medicum censenda est. Et haec quidem propius ad artis exercitium faciunt.

(1) Vir Celeb. C. A. Heumannus *in Progr. de Eloquentia Medici*, a. 1731 edito, *Duo* statuit *eloquentiae genera*, *aliamque* publicam *dici oportere*, *aliam* familiarem; & *de* posteriori *genere se loqui* profitetur, *quum eloquentiam laudat medicorum*: eosque eloquentes medicos habendos esse docet, *qui emineant facultate sermonem effundendi perspicuum, iucundum ac sapientiae humanitatisque plenum.* Talem facundiam ab Hippockate significatam existimo, quando περὶ εὐσχημοσ. II 3: probis medicis ΕΥΤΕΠΙΗΝ tribuit. Quocirca etiam in Παραγγελίαις XII ad emendandam in discipulis Medicis (de his enim interpretor ἀσαφίην γλώττης) eiusdem caussam explicat, in quibus praecipue est, πρὶν πρότερα ἐξαγγεῖλαι, ἕτερα ἐπιλαβεῖν· ἢ πρὶν τὸ διανενοημένον εἰπεῖν, ἕτερα ἐπιδιανοεῖσθαι.

(2) *Parabolis vtendum* esse medico *ad occulta per sensibilia declaranda*, sententia est Arnoldi Villanovani, vid. §. XX not. & add. §. X not. 4. Sed de hoc, & caeteris hic propositis Medici virtutibus passim iam in pertractatione libri *de Honestate* plura dicta sunt. Postulant autem plerique omnes, praesertim eruditiores, a medico suo, vt rationem eorum, quae imperat, reddat; idque iure suo postulare videntur, quum de ipsorummet ludatur corio. Ita Plato *de Legibus* l. IV non longe ante fin. pag. 602 Lacmar. *Liber medicus*, inquit, *vt plurimum morbos curat atque considerat ita, vt a principio morbi naturam perquirat, communiterque cum aegrotante atque eius amicis versetur, tum discendo ab illis nonnihil, tum, quoad fieri potest, docendo; nec ante imperat quicquam, quam persuaserit. Atque ita persuadendo semper mansuete ad sanitatem perducere aegrotantes conatur.* Et de Aristotele refert Aelianus *in Varia Historia*, IX, 23 Ἀριστοτέλης ἐνόσει ποτέ· προσέταξε δὲ αὐτῷ ὁ Ἰατρὸς πρόσταγμά τι· καὶ ἐκεῖνος, Μήτε ὡς βοηλάτην με, ἔφη, θεράπευε· μήτε ὡς σκαπανέα, ἀλλὰ διδάξας πρότερον τὴν αἰτίαν, οὕτως ἕξεις ἕτοιμον πρὸς τὸ

πείθεϑαι· διδάσκων ἐκ τέτων, μηδὲν χωρὶς αἰτίας πρoσφέρειν. Verum non ſemper aegrotis ſciſcitantibus ſatis a medicis fieri poſſe, ſuo demonſtrat exemplo Io. CASELIVS, *in allegata Epiſtola, Quod neque haec*, inquiens, *omnia intelligerem, & hoc pacto plus me aſſecuturum conſiderem, reieci me in reſpectum praeſidum humanae valetudinis.* De Fiducia aegri conf. *Diſſ. de Fortuna Medica*, praeſ. L. HEISTERO habita, §. XIII.

(3) Oraculum quaſi hac in quaeſtione pronunciauit grauiſſimus auctor Io. Mar. LANCISIVS *in Diſſ. de Studiis Medicis* §. XI, Opp. Tomo II pag. 210 ſeq. *Eloquentiae emolumentum in Medico praeterire non poſſum: praeſertim, quum multos videam* Celſi *auctoritate hanc facultatem in re medica parui pendere, exiſtimantes, non verbis, nec eloquentia morbos curari: quod certe in acutiſſimis, qui omnem plerumque mentis vſum aegroto auferunt, locum habet, & vbi quidem* artis demonſtrationes iucundius eſt operibus, *vt Hippocratis phraſim vſurpem,* quam ſermonibus oſtendere. *Verum in caeteris tractandis malis, praeterquam quod diſertus Medicus ſplendorem, dignitatem, immo ſaepe admirationem ſibi conciliat; dicendi vis ſummopere prodeſt. Sunt non pauca inſuper morborum genera, quae quum ne curari quidem debeant, id tantummodo in iisdem praeſtare Medicus vtiliter poteſt, vt aegris maximo conatu perſuadeat, ne medicam opem ad aegritudines ſuas depellendas implorent, ſatiusque illas tolerare ducant quam tollere, quum iis ablatis mors pro foribus adſit. Praeterea, quaecunque corporis incommoda ab animi pathematibus oriuntur, profecto incaſſum Medicus profligare conabitur, niſi aegrotantes dicendi quo decet robore flectat & moueat; praeſertim, vbi vel a voluptatibus eos abducere, vel ad doloris plena remedia debet impellere.* Quamobrem iſtud eloquentiae genus, *medens eloquentia* dicitur Celeb. HEVMANNO, c. l. qui & memorabilia quorundam medicorum exempla refert. Sic Augerium *Ferrerium* SAMMARTHANVS *in Elogiis* L. III Cap. 30 narrat, *hilaritatem quandam & feſtiuitatem in vultu, in ſermonibus, in omni actione praetuliſſe, idque ad leuandos aegros non mediocriter conducere* iudicat. Et L. I C. 10, Iac. Hollerium *aegrorum mentes non minus quam corpora, iucunda ſermonis comitate & hilaritate recreare* ſolitum fuiſſe. Adeoque Franc. Rabelais ſic ſtatuit, *Quum ſanitati conſeruandae nihil magis officiat, quam moeror & aegrimonia, prudentis medici partes eſſe non minus in mentibus hominum exhilarandis, quam in corporibus curandis laborare*: vid. Sammarthanus *Elog.* L. I Cap. 14. Quicum conſentit Ioh. WOODWARD *in Medicinae & Morborum ſtatu* §. V pag. 53 ſeq. *Omnis medico & prima impendenda cura, vt excitetur phantaſia, dirigantur rite paſſiones animi, & ſpe continua erigatur aeger. Verſatur in hoc maximum artis momentum, neceſſarium adeo, vt, hoc neglecto optima quaeque remedia, ſummo licet ſtudio excogitata, in variolis aliisue morbis magnis, acutis generatim, ſint fruſtranea. - Perſuaſiſſimus ſum, multo plures vita excedere anomaliis inductis ex terrore, metu, impreſſione quam cauſſatur vel conſpectus vel relatio imprudens amicorum aut adſtantium, quam ipſa morbi malignitate. Certum eſt, - in metu claudi ordinarie pylorum, & ſic pro tempore communicationis viam ventriculum inter & ſanguinem intercipi. Quandoquidem vero ventriculus fons eſt materiae varioloſae, latere nequit ratio, quanto & quam ſubi-*

bitaneo sit variolis praeiudicio hic animi affectus, & quam saepe perniciosus atque fatalis. Sic GALENVS *de Sanitate tuenda* Lib. I c. 8 pag. 131 Tom. II edit. 1561 Frob. scribit, *Nos aegros quotannis non paucos persanauimus, solis animi motibus ad debitum modum reuocatis.* Addit ibid. *Aesculapium, ad motus animosae partis moderandos, adhibuisse cantilenas, melodias,* &c. Hinc Io. Henr. SCHVLZE *Hist. Medic.* Per. I Sect. II Cap. II §. XI & XVII rationem reddit τῶν μαλακῶν ἐπαοιδῶν, quas Aesculapio tribuit Pindarus Pyth. III stroph. 3. quae alias de magicis incantamentis accipi solent. Similiter de Musices viribus explicari forte posset dictum Zamolxidis apud PLATONEM *in Charmide* non longe post pr. pag. 236 seq. Laemar. *Quemadmodum non est conandum oculos sanare sine capite, neque caput sine corpore: ita neque corpus sine animo. Et illam esse caussam cur Graecorum plurimi morborum curationem ignorarent, quod totum ipsum, cuius maxima cura erat habenda, negligerent. Curari autem animum incantationibus.* Quantum Pythagorica disciplina tribuerit Musicae, notum est.

(4) Constat experientia, homines fere nolle persuaderi sibi aliquid ab iis, quorum de prauis animi cupiditatibus vitiisque siue certi sunt, siue opinio, siue suspicio mentibus ipsorum sedet: certe multo procliuiores ad auscultandum obsequendumque sunt, si de dicentis probitate voluntatisque integritate antea persuasi sint; & id quoque quam maxime operam dare solent oratores, vt boni viri, si non sint, tamen esse videantur, qua de re QVINCTILIANVS passim. Sed nec hac in re simulatum potest esse diuturnum: &, nisi animus vera virtutis cultura probe subactus sit, non potest eum natiuum, non adscitum, affectus, candoris, integritatis, recti verique colorem habere oratio, aut vultus, aut omnis gestus corporis, qui color in afficiendis, flectendis, tractandis animis plurimum potest, eosque occulta vi parat, mouet, ducit, trahit. Eo autem magis necessarium in dicente est hoc studium, quo plura dicenda sunt, quae sine proprii penitiorisque sensus claritate non satis intelligi, nedum sermone recte explicari possunt: qua de re iam ante monui. Et quomodo credibile est, posse aliquem aliquid, inprimis de propria virtute, persuadere aliis, de quo ne ipse quidem persuasus est? Accedit in medicis, quod hi in medio rerum actu loqui coguntur, nec permissum est orationem domi compositam & omnibus persuadendi artificiis instructam afferre. Denique longe facilior, expeditiorque, certior, & constantior ad eloquentiam via est in studio probitatis veraeque sapientiae habituque virtutis, quam in leuibus, perplexis, & alienis superficiariae orationis artibus: *vt* hactenus quoque cum M. FABIO Lib. XII, 11, 12 *vere intuenti mirum sit illud magis, malos esse tam multos.* Sed de toto sthoc argumento propria est traditio magistrorum dicendi vbi de ἤθεσι oratoris tractant. Hoc apparet, quo in nostram sententiam perducantur homines, duo requiri, alterum, vt persuasi sint, posse nos ea quae promittimus, efficere, alterum, hoc etiam velle, & praesertim ipsis bene cupere. Vt de facultate nostra bonam spem concipiant, conducit, praeter alia, etiam consilium HIPPOCRATIS §. XIV not. prolatum. Ipse autem Medicus artis suae fiduciam habere debet, si aliis eam facere velit. Caeterum, quid inter studium virtutis

rectique dicendi generis intercedat commercii, pulchre docet Io. CASELIVS a. l. vbi de Cratone narrat, *Eum valde dilexisse, qui hoc studium pure eleganterque eloquendi scribendique colerent, iudicantem, qui bene prudenterque scriberent, eosdem perpetuum item studium in rectae vitae cultu ponere. Ac sane,* pergit Caselius, *qui sermonem negligunt, vnam de praecipuis vitae partibus negligunt: etiam vidi, qui quum initio commodae scriptioni minus studuissent, postquam serio animum virtute & mentem scientia perpolire coepissent, se quoque conuertisse ad scribendi rationem accuratiorem. Quod eo minus mirum, quia, qui sapientiam ad scribendum affert, quod est absque fuco ornamentum in lucubrando primum, abstergere sordes verborum nullo fere negotio potest.*

(5) *Zeno* apud QVINCTILIANVM *Inst. Orat.* Lib. IV 2, 117 vbi de Aristotele similia affert Celeb. GESNERVS. Sic item STOBAEVS in Sermone XXXVI med. refert, Τῶν τις ἐν Ἀκαδημίᾳ νεανίσκων περὶ ἐπιτηδευμάτων διελέγετο ἀφρόνων· ὁ δὲ Ζήνων, Ἐὰν μὴ τὴν γλῶσσαν, ἔφη, εἰς νοῦν ἀποβρέξας διαλέγῃ, πολὺ πλείω ἔτι καὶ ἐν τοῖς λόγοις πλημμελήσεις. Qui idem esse Zeno videtur cum eo, quem Quinctilianus commemorat. Sic in Medentibus quoque, *Pectus est, quod disertos facit, & vis mentis*; quod FABIVS generatim pronunciauit: *Nam sine hac quidem conscientia, ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit, & verba in labris nascentia,* Lib. X, 7, 15 & 3, 2. Quapropter etiam HOMERVS aliique heroibus suis verba tribuunt pectore prolata. Sed de his plenior est rhetorum tractatio. Et hactenus quidem *verum est,* quod *Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes,* vt prodit CICERO *de Oratore* I c. 14 extr. HIPPOCRATES in suis sequacibus talem dicendi formam saepe exigit: vid. supra περὶ εὐσχημοσ. IV, § III, 3 & 5; VI, 2 cum *Comment.* & add. *Proleg.* §. XVI. Hinc mirum non est, Medicorum quorundam orationem rotundis acutisque dictis constare, & solis veluti neruis, ossibus, tendinibusque contineri atque adstringi, tanquam firmum ac stabile sceleton, quod molliore succo & carne fere careat, nisi in vestienda quoque oratione singulare studium & industriam ponere voluerint. Est ipsorum oratio quam maxime sobria & naturalis, aliunde arcessitum & peregrinum cultum negligit, aliturque non lautiori & exquisito dapum genere, sed tanquam caseo & pane cum aqua pura, siue, quemadmodum est in veteri versu,

Glans alit & prisco more bibuntur
aquae.

Rationem Ill. HOFMANNVS *in Diss. de peruersis iudiciis de Medicis & Medicina* §. III hanc affert, Quod in viro profundi iudicii, quale in medicina facienda necessarium est, haud facile reperiatur loquacitas, vtpote quae ex memoria ortum ducat, felix autem memoria raro cum acri iudicio coniuncta sit. Hinc etiam CASELIVS c. l. Pet. *Memmium,* medicum, dilaudat, quod *disertus* fuerit *supra conditionem vitae generis.* Denique, vt concludam, Eloquentia Medici, trium dicendi generum proxime conuenire mihi videtur illi Menelai, cui *Homerus breuem quidem cum animi iucunditate & propriam & carentem superuacuis eloquentiam dedit,* maiorem etiam mereri laudem, si cuius *ex ore dulcior melle profluit sermo*

sermo, qualis fuit Nestoris: *sed summam illam*, quam Vlyssi tribuit, *facundiam*, *procellam eloquentiae*, *orationem niuibus hibernis & copia verborum atque impetu parem*, in medico non desiderari: vid. QVINCTILIANVS Lib. XI, 3, 158 & XII, 10, 64.

§. XXIII.

Plerumque tamen in medentibus requiri solet, vt sermocinationibus & narratiunculis, quae ad morbum praesentem nihil quidem aut parum pertinent, aegrotantibus praesto sint, & nonnunquam otiosum cum illis tempus confabulando fallant. Et, quum ad vtilitatem aegrorum omnis medici vita accommodari debeat; non vtique improbandum est, si in hac quoque re morem laboranti gerere, modo per temporis sui rationes possit, studeat, sed multo potius talis affabilitas magnopere laudanda est. Herm. CONRINGIO iudice, *Introd. in Art. Med.* Cap. I §. XVIII, *Cumprimis ciuilis scientiae notitia tantam gratiam medico conciliare potest, quantam ex reliquis disciplinis pene nulla.*

§. XXIV.

Praeter haec autem sunt nonnulla naturae bona, quibus medicus vnus prae alio placere recte potest: quanquam vnusquisque aliquid saltim boni, etiam a natura, benigna omnium matre, accepit, quo placere aliis possit, si bene ac sapienter naturae commendatione vti velit. Tali modo quosdam iocandi praestantia & salium leporumque gratia commendat; alios candida & exporrecta frons, liberalis facies, laetus hilarisque vultus: alios singularis modestia, vel etiam fiducia, &c. * Nonnunquam accidit, vt primo quorundam hominum adspectu ad singularem eorundem amorem pertrahamur, nec tamen rationem eius rei reddere possimus: sicut e contrario nonnullis quidam displicent, de quibus nihil fere aliud dicere possunt, quam quod MARTIALIS I, 33

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere, quare:
Hoc tantum possum dicere, Non amo te.

* Quemadmodum Ioach. VADIANVS *ingenio festino, moribus & cultu perhumanus fuit, vt nemo non illius consuetudine delectaretur:* apud Melch. ADAMVM *in Vitis Medicorum*, pag. 23 b. edit. 3 fol. Francof. ad M 1705 Conf. supra §. XXII not. 3. HIPPOCRAT. *Praeception.* text. V, 10 seqq. Lind.

§. XXV.

Praecipuam autem acquirendae χάριτος prosperaeque fortunae spem medicus ponat in fauore prouidentiaque Eius, qui cuncta sapientissime moderatur, & cuius beniuolae gubernationis vestigia per suae vitae varietatem facile deprehendet, quisquis illam curatius repetere memoria voluerit. Ille & ingenii, naturae, studiique bona, rerumque omnium contingentium seriem ad veram nostram felicitatem arcano consilio dirigit; & aliquibus peculiari modo amorem, beneuolentiam, ac fauorem hominum conciliat: quemadmodum passim legimus in Diuinis Oraculis, vt Genes. XXXIX, 4. 1 Samuel. II, 26. Luc. II, 40. Daniel. I, 9. Et singularem quidem curam agere apparet Deum vitae ac valetudinis humanae: nam & terminum vitae ex suo arbitrio suspendit, qua de re latius alibi; & ipse morbos saepe hominibus, ex suae rectricis sapientiae rationibus, immisisse, & idem vicissim saepius curasse morbos legitur, sicut inprimis in sanctissimo Sotere & eius Apostolis diuinae medicationis efficacia quam clarissime exstitit *.

* Conf. Ill. HEISTERI *Diss. de Fortuna Medica*, §. XVI. vel supra *Comment.* VII §. 11.

§. XXVI.

Quodsi in Medico necessaria doctrinarum experientiaeque praesidia, consilii maturitas, prosperorum successuum conscientia, constans veri rectique studium, bona de hominum erga se affectu existimatio, denique spes certa diuinae prouidentiae, coniunctae sint: tum demum vera suae artis surgit Fiducia, quae inter grauissimas morborum turbas & moestissimas miserrimorum aegrotantium lamentationes, compositae mentis aequabilitatem & prudentis consilii constan-

tiam seruet, medico diuinam concilians auctoritatem, aegrotos vero iucunda spe recreans atque reficiens.

ADDENDA.

Proleg. §. XII not. * p. 31, Locus libri *Praeceptionum* mire conuenit cum verbis EPICVRI in Epist. ad Herod. (ap. Laërt. X, 75) quae propterea egregie contulit Exc. TRILLER. in *Hippocrate Atheismi falso accusato* §. XXIII.

Pag 62 not. [a], Gesneriana correctio etiam in mentem venerat GVNDLINGIO, in *Gundlingian.* Part. XXIII §. X, vbi omnino eandem proponit: item alteram explicationem, nimirum abundantem esse posse voculam ἀυτῇ, quemadmodum de illa ἀυτῷ ostendit Iens. Lect. Lucian. 1, 6. TRILLER. c. l. §. XXIV emendat, ἐννοίᾳ ἀυτῇ. Verum ita deesset vox, quae ad τὴν ἰητρικὴν referatur, de qua sermo.

Pag. 143 seqq. De hoc ex l. de Morbo Sacro proposito loco ita iudicat Cel. GVNDLING. in Ot. P. 2 C. 3, *Hic locus ita est comparatus, vt ex veris Christianorum ideis, Deum ceu purissimum & sanctissimum ens delinearet: sed, quia Hippocrates id ait, loquitur, scribitue, ideo est suspectum*, Quapropter etiam vehementer pugnat, librum esse supposititium. Add. Id. in *Gundlingian.* Part. XXIII §. XXIII seqq.

Pag. 168 not. * * Add. Dissertatio Inaug. *de Diuino in Medicina*, a MOLLERO quodam Altdorffi 1696 ventilata: docte satis & ingeniose conscripta, iudice TRILLERO l. c. §. XXIV extr.



INDEX.

Maius

I N D E X.

Σφε-

Wol-

INDEX

FINIS.

